14385/B/1

D. JOHANNIS BOHNII,

Profeſſoris Lipſienſis,

De

OFFICIO MEDICI DUPLICI,

CLINICI *nimirum ac* FORENSIS,

hoc eſt

Qua ratione ille ſe gerere debeat penes Infirmos pariter, ac in Foro, ut Medici eruditi, prudentis ac ingenui nomen utrinque tueatur.

LIPSIAE,

APUD JO. FRIEDERICUM GLEDITSCH.

M DCC IV.

CUM PRIVILEGIIS.

303585

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Conceptus generales Tibi, *Lector Humaniſſime*, trado Praxeos Medicæ bimembris, Clinicæ ac Forenſis, quibus ad utramque hanc præparetur Tyro Artis: ſi non tanquam præceptis adæquatis, qualia ſcribere mihi haud præſumo, certe ut admonitionibus ſinceris, quarum ductu forſan ad potiora progrediantur me perſpicaciores ac feliciores. Exercitationibus Academicis aliquam eorum partem olim

deſtinaveram, aſt ſub Progymnaſmatum ejuſmodi cathedralium ſchemate eosdem omnimode complecti, tum argumenti prolixitas, tum alia, externa magis, impediebant: urgebant interim hactenus meditationum harum in publicum evulgationem nonnulli non minus Amicorum, qui ex crudis illis, typis olim exſcriptis, extantiora & perfectiora ſibi promittebant, ac Bibliopolarum unus alterve, me, ni falluntur, in emolumenta ſua laceſſentes. Quibus, ſi non ex voto atque opinione ſatisfacerem, annuere tamen æqvum duxi &, ut poſteriorum miniſterio priorum oculis meæ innoteſcerent lucubrationes, de OFFICIO MEDICI DUPLICI, conceſſi. In prima harum parte

egi

egi de Medici genuini requiſitis in genere, ſeu, quibus Clinicum æque ac Forenſem, ſi periti titulum undique tueri & Civibus pariter ac Civitati operam ſuam, cum eorum ſalute, præſtare malit, inſtructum eſſe oporteat: poſtmodum ad officium ejus potiſſimum, ac a quo nomen ſuſcipit, divertens, & qualem circa ægros ac morborum medelam ſe gerere idem debeat, explicans, momenta practica varii generis recenſui. In poſteriore docere eundem conatus ſum, quomodo coram Magiſtratu, ab hoc poſtulato, de rebus forenſibus & civitatis incolumitatem concernentibus, perite non minus, ac fideliter, deponere conveniat. Quæ enim hujus generis ſpecialiora & in

caſibus variis attendenda, ipſimet Medicinæ Forenſi disquirenda reliqui, qualem quidem, ſi præſentes ſchedas, declinante ætate, hinc devervente ingenio & calamo obtuſiore, conſcriptas, benevolo Tuo obtutu, L. H. digneris, Tibi non promitto, haud tamen omnimode denego: ſi modo vires concedat Summus Archiater, cui me meaque mancipo.

INDEX CAPITUM PARTIS PRIMÆ.

Proœmium. p. 1
CAP. I. *De Doctrina ſeu Peritia Medici in genere.* 5
II. *De Fortuna Medici.* 18
III. *De Empiricis.* 31
IV. *De Decoro & moribus Medici Clinici.* 44
V. *De Conſultationibus Medicorum.* 104
VI. *De Sciſcitationibus Medicorum in genere.* 128
VII. *De Sciſcitandis in ſpecie.* 140
VIII. *De Officio Medici judicantis, ſive præſagientis.* 169
IX. *De Officio Medici agentis in genere.* 190
X. *De Indicationibus formandis atq; obſervandis.* 221
XI. *De Auxiliorum & horum inſtrumentorũ adminiſtratione in genere.* 240
XII. *De Indicatione Vitali, Curatoria & Præſervatoria.* 250

CAP. XIII. *De Quantitatis humorum vitioſæ indicatis, horumq; inſtrumentis.* 254
XIV. *De Purgatione.* 263
XV. *De Evacuationibus univerſalibus cœteris.* 290
XVI. *De Evacuationib9 particularib9.* 319
XVII. *De Qualitate, Motu ac Situ Humorum p.n. corrigendis.* 338
XVIII. *De Spirituum animaliũ medela.* 346
XIX. *De Doloris mitigatione.* 357
XX. *De Moderanda diæta.* 365
XXI. *De Adminiſtratione Pharmaciæ.* 426
XXII. *De Chirurgicis Remediis.* 478

PARTIS SECUNDÆ.

CAP. I. *De Doctrinæ Medicinæ forenſis Neceſſitate ſeu Uſu.* 529
II. *De Medico Deponente.* 540
III. *De Chirurgis ac Obſtetricibus deponentibus.* 553
IV. *De Renunciationũ Inſtrumentis.* 575
V. *De Modo Renunciandi.* 611
VI. *De Renunciationũ Difficultate.* 633

I. N. J.

I. N. J.

PROOEMIUM.

PEritia Medica, ſive theoriam, ſive praxin, ſpectes, quæ complectatur, qua methodo & quibus inſtrumentis comparetur, paſſim & penes infiniti numeri Commentatores legimus, ut in utraque artis parte illos Medicum apprime inſtituiſſe, fatendum, ſubſcribendum nihilominus in hoc ſit *Rodorico a Caſtro* 1. *Med. polit.* 1. *eos artis potius tantum præcepta, quam Medici perfecti ſeu genuini circumſtantias, hactenus proſecutos eſſe, i. e. de ipſius artificis prudentia generoſitateque (uno excepto Hippocrate, qui pauca hac de re ſcripſerat) perexiguam, aut fere nullam, mentionem fecerint.* Vel ſi forſan Doctores nonnulli, quos nominatus *R. a Caſtro* aut non perſpexit, aut poſt hujus commentarium demum ſcripſiſſe conſtat, nec hoc argumenti genus omnimode neglexerint, ſive paſſim & ſparſim voluminibus ſuis practicis illud inſerendo, ſive ſub peculiarum præceptorum ſyſtemate, quod προςασιν ſeu *Gubernationem Medici, Hipp. de Medico* ait, exponendo, v. g. *ſcil. Jul. Cæſ. Claudianus de Ingr. ad Infirm. Zacutus Luſit.* in *Introit. Medic. ad prax. Botallus de munere medici & ægri, Valeriola enarrat. & Loc. comm. I. B. Seidelius de morbis incurabil. Zacchius Quæſt. med. legal. Septalius animadverſ. & caut. medic. Freitagius Noct. medic. Rejes Elyſ. camp. quæſtion. Bondewyns* ſ. Balduin *ventilabr. med. theolog. J. Bernier Eſſays de Medecine & Primeroſius de errorib. Vulgi*, quibus ex JCtis jungere licebit *Vincent. Carrarium de Medico & illius circa ægrum officio, Ahaſver. Fritſchium de Medico peccante*, ac denique ex Theologis *Hieron. Bardum in Medicin. ſacr. ſeu cathol. polit. ac Maximil. Sandæum*

dæum

dæum in Theolog. medica. Meo tamen judicio aut per brevitatem nimiam Officii Medici delineationem imperfectam reliquerunt, aut prolixitate & farragine caſuum minus concinna hoc negotium tædioſum reddiderunt, utraque hac ratione vero occaſionem conceſſerunt, ſtudioſius in illud inquirendi, quam inpræſentiarum apprehendere volui.

Ubi mox in primo limine Lectorem præmonere congruum æque ac neceſſarium mihi videtur, me ſub Officii notione inpræſentiarum non hoc velle, quod ſcriptores medici communiter Operam, ſcopum & Finem medium, ſeu *Quo*, ajunt, ſanationem nempe; neque quod Officium *Valeriola 1. loc. com. 4.* triplex, ſtatus ſc. f. n. conſervatorium, p. n. curatorium & neutralitatis præſervatorium ait: ſed quod miniſterii rationem idem *Valeriola* l. a. Officium ſeu munus *4. enarr. med.* i. e. *quo ſc. pro dignitate & ea, quam ſuſtinet, perſona gerere debeat*, vocat, & in quali ſenſu a multis autoribus, v. g. *Hippocrate, Botallo, Carrario &c.* hoc deſcribitur.

Sç. ex vaſti operis Hippocratici commentariis illi, qui iſagogica, προλεγόμενα & τεχνικὰ ſcripta, ſive ex recenſione *Erotiani*, ſive *Foëſi*, dicuntur, quod artem partim, partim artificem, deſcribant, duo imprimis in Medico genuino poſtulant, doctrinam nempe, ſeu peritiam, Artis, & prudentiam ſeu decorum, quod alias œconomiam circa ægrotantem dicunt: quorum prius eum præſtat gnarum & artificioſum, alterum fiduciam ſeu opinionem ipſi penes ægros conciliat. Cujus quidem utriusque connubium in illo adeo neceſſarium obſervatur, ut, qui eorum alterutro deſtitutus Medicinam facere audet, aut Medici imperiti, agyrtæ, empirici &c. aut imprudentioris, nomine appelletur, vereque dignus ſit. Hincque forſan, *ut ut*, diſſerente *Plinio 29. Hiſt. nat. 1. nulli magis ac citius, quam Medicum ſe profitenti, credatur, eſt tamen in nullo mendacio periculum majus, quamvis illud per blandam illam ſperandi dulcedinem, quæ cuique pro ſe eſt, haud intueamur; quod ejuſmodi homines noſtris periculis diſcant, experimenta per mortes agant, ac animas noſtras negotientur*, & quales ex illis ſunt, *a quibus & eorum Medicina*, advertente *H. C. Agrippa, plus periculi, quam ab ipſo morbo, eſt.* Imo ejuſmodi Pſeudo-Medicorum occaſione factum, cur in Medicos in univerſum, ſeu horum artem,

tem, tot inepta ac injurioſa dicteria atque ſcommata a diverſis fuerint prolata, ut audito vix Medici nomine, avari, malevoli, nequitioſi, mendacis, fraudulenti & gloriabundi hominis nomen plerique mortalium audire ſibi perſuadeant; & usque adeo quorundam medicorum malitia in omnes, qui artem hanc profitentur, ex communi opinione translata ſit, ac a pravis nonnullis artificibus in univerſam artem vitium transfuſum, ut probus quisque & peritus Medicus ex medicorum ordine deleri cupiat: nonnulli etiam hos, tanquam rem pernicioſam, republica exturbare maluerint juſſerintque. Quibus nihilominus malevolis ac futilibus cenſoribus cautius loquitur *R. a Caſtro 1. Med. pol. c. 7.* hunc in modum: *Et eſſet profecto non ſaltem ægris, ſed totius artis exiſtimationi & famæ conducibilius, ut Medicis potius reſpublica careret, quam ut malos Medicos adhibeat. Ex eodem enim hoc improbitatis fonte in artis ignominiam redundarunt multorum nequiſſimorum adulteria, veneficiaque ſceleratorum quorundam hominum, ſub quorum perſona Carnifex potius damnari, quam commendari, Medicus, potuiſſet.*

Quo igitur Medici genuini ac probi a perſonatis & pravis, viri eruditi ab hyſtrionibus, diſcernantur, innuere hoc ipſo Commentario conabor, qualem ſe gerere debeat, qui peritiæ ac honeſtatis famam anhelat, & medici prudentis munus explere contendit, Clinici pariter, ac Forenſis.

Neque enim illis aſſentiri poſſum, qui Medici officium in eo tantum conſiſtere putant, quod ſtatum hominis ſanum a morboſo diſcernat, ægritudinum naturas & cauſas evolvat, eventus earum præſagiat, iisque medelam præſtet; œconomiam vero illius naturalem intra ſphæram & motus ſuos conſervet: adeoque Medicinam definiunt per artem, ſanitatem hominis integram conſervandi & perditam reſtituendi. Utpote quales arctioribus juſto cancellis eam circumſcribunt, artifici vero eousque præjudicant, ut de juris ſui turbatione iniqua querelas jactet Medicina contra filios, dicam, an genitores, ſuos, i. e. contra definitionis ejuſmodi minus adæquatæ imprudentiores conſarcinatores, juſtiſſimas. Medicorum munus non in lectulis tantum ægrotantium terminari, ſed forum quoque eosdem aliquando moderari, in curiam prodire & reipublicæ

conſiliis & decretis ſuis litare, præter *Langium 3. epiſt. 6. Vinc. Carrarium de Med. & illius offic. Rod. a Caſtro Med. polit. Codronchium meth. teſtific. Fortunat. Fidelem de Relat. medic. Paræum de Renunciat. & Zacchiam Quæſt. med. legal.* experientia publica atque quotidiana docere poterat. Sc. negotia publica & forenſia ejuſmodi ſæpe poſtulare temperaturam, cujus ſubſidia ex arte noſtra mutuanda, & quibus componendis ſeu dirimendis Medicus, ſi non, ut judex, præſto ſit, certe ſine hujus judicio Prætorajus dicere aliquando nequeat. Quibus ita ſe habentibus *bimembrem* mihi conſtituere liceat hunc tractatum, cujus *prior pars Clinicum, poſterior Forenſem*, inſtruat Medicum: ille ſimul complectatur, quæ doctrinam & mores utriusque ſpectent communes, ac quibus præparatus demum ſeu gnarus & prudens uterque medicum, *non fama & nomine, ſed re & opere inter valde paucos*, juxta *Hipp. Leg.* ſe venditare poſſit.

PARS

PARS PRIMA
DE
OFFICIO MEDICI CLINICI.
CAPUT I.
DE
Doctrina ſeu Peritia Medici in genere.

SIcut primus Medicinæ conditor & medicorum formator in *lege, malum theſaurum imperitiam & infelices opes his ait, qui eam repoſitam habent*, ita, juxta *eundem, de Medico, per præcepta demum artis artificioſus dicitur quis*, i. e. peritiam & ſcientiam qui ex præceptis hauſit. Adiſcat ſc. ac calleat hic cuncta illa, quæ quocunque modo ad artis finem faciunt: ſive hoc præſtent propius & immediate magis, qualia proprie ad ipſam artem ſpectant, proprias ſc. & domeſticas Medicinæ partes, nempe προφυλακτικὴν & θεραπευτικὴν; ſive ab eadem longius recedant, quæ προπαιδευτικαὶ vel præcognita, item partes tranſumptæ, appellantur, phyſiologiam, nempe, pathologiam ac ſemioticam, ad contemplativarum ſcientiarum claſſem, ut philoſophiæ naturalis portiones, referendas, prout quidem a *Petro Caſtello Optim. Med. Lindano Manuduct. ad Medicin.* aliiſque recenſentur, in quantum ratione & experientia ſuffulciuntur. Ad quas nihilominus cunctas commodius evolvendas & comprehendendas Linguarum inſuper ac Diſciplinarum philoſophicarum theoreticarum cognitione opus, utpote inſtrumentorum perquam neceſſariorum. Linguarum Latinæ & Græcæ, pro primis artis monumentis ſeu ſcaturiginibus commodius ſcrutandis: neque tamen harum tantum, ſed Gallicæ pariter, Italicæ & Anglicanæ aliarumque provinciarum, quas Commentatores in arte ac hujus adminiculis explorandis & declarandis præclaros alere novimus; utpote quibus, hoc ipſo imprimis ævo, quo illi pleraque ſua ſub idio-

Doctrina Medicus opus habet.

QuæMedico ſcitu neceſſaria?

Linguas calleat.

mate vernaculo edere cernimus, ſine artis majore forſan diſpendio, ac olim de lingua græcorum pronunciabat *Valleſius*, carere vix poſſumus. Cum de hac aſſerere haud verear, iis, qui artem alios docere minus geſtiunt, ejus notitiam hodie non adeo neceſſariam eſſe, aut, juxta *P.Caſtellum*, mediocriter ſaltem Grajorum literis tinctum, dogmatis medicis apprehendendis & excolendis ideoneum ſatis exiſtere. Poſtquam nimirum Hippocratis, Galeni aliorumque Græcorum ſcripta ab infinitis nunc interpretibus ſatis evoluta ac declarata volvimus, eorum aſſerta hinc inde ſatis dubia, ne dicam falſa, i. e. ratione æque ac experientia nunc maxime concuſſa conſtat: nec medicum noſſe juvat, quid hic vel ille Priſcorum ſentiat, quomodo contradicentes conciliandi, ſed quæ horum poſteriora tempora firmarint & experientia ſuccedanea ſuadeat. Pariter de Arabico ſermone conſilium placet *Caſpari Bartholini, de Stud. med.* & *P. Caſtelli de Opt. med.* quo hujus utilitatem medico futuro non adeo magnam pronunciat horum uterque, laudat, non poſtulat, vel quod illi ex Græcis plurima petierint, horum ſenſa non ſemper aſſecuti fuerint, eorum monumenta typis propriis exſcripta rarius extent, artem ſub hodierno ſtatu conſpicuam nec magis firment, nec dubiam reddant, eorum dogmata.

It. diſciplinas philoſophicas diverſas.

Inter philoſophicas diſciplinas Scientiam & Hiſtoriam naturalem, Pyrotechniam & ſcientias Mathematicas illas, quas Phyſices, in quantum ad Medicinam hæc facit, inſtrumenta novimus, Geometriam, Mechanicam, Phoronomicam, Opticam &c. Medico tyroni commendo: non tantum, quatenus profundiorem rerum naturalium & medicarum cognitionem juvant, ſed quod modernorum phyſicorum plerorumque ſcripta nec legere, nec intelligere, ſine illis liceat.

Peritiam ſeu doctrinam comparabit ſibi autorum lectione.

Doctrinam autem ſicut quamvis, ita medicam imprimis, ſibi quis comparabit primo lucubratione ac ſedulitate propria, ſeu evolutione autorum ſelectiorum frequentiore, quos v. g. *Conringius in introduct. in art. med.* hujusque Scholiaſtes ſtrenuus, *Celeberrimus nimirum ac Eruditiſſimus Schelhamerus, Joh. van der Linden in manuduct. ad Medicin. Petrus Caſtellus de Opt. Med.* aliique recenſent, & quales quælibet fere hucusque dies promit: hinc ſimul ex auditu ac in-

ternunciis

Et a vivis Præceptoribus.

ternunciis & interpretibus Doctoribus ſeu Præceptoribus vivis, modo tales, quales idem *Lindanus* precatur, i. e. *doctos ac fideles*, inveniat tyro; qui partim illorum Commentatorum mentes atque ſententias dilucident, partim per obſervationes & epicriſes ſuas aut confirment, aut refutent. Quibus tertio accedant operationes ac tentamina anatomica & chymica frequentiora, una cum experimentis phyſicis, ſive manu propria, ſive ſub magiſtrorum directorio, adminiſtrata. Hæcque eſt doctrina, inſtitutio & induſtria, quas duces, qui Medicinæ ſcientiam ſibi vere comparare vult, *Hippocrates* paſſim ſuadet.

It. ex tentaminibus anatomicis ac chymicis.

Tempus ad medicinum addiſcendam neceſſarium

Non poteſt determinari.

Atque hoc quidem, dum, juxta eum *de arte*, cum magno demum labore & non modico tempore fit, mirari ſubit aliquoties citatum *Lindanum* l. a. ubi, poſtquam, pro ingeniorum diverſitate tempus definiendum monuerat, paulo poſt nihilominus tribus quatuorve annis academicum artis noſtræ ſpatium emetiri quem poſſe, aſſerit, tempore ad illa, quæ ſaltem legenda innuerat, minus adæquato. Indulgentiorem & artis longitudini ac difficultati litantem magis obſervamus *Joh. Rhodium introduct. ad medic.* ſexennium ad minimum ſtudio medico concedentem. Quamvis etiam hic audiendus veniat *Hippocrates*, quando *1. aph. 1* vitæ noſtræ brevitatem artis longitudinem multum ſuperare ait, hinc in *lege* ejus doctrinam inſtitutione a puero acquiri & tempore demum roborari atque enutriri innuit, de *Loc. in hom. t. 50.* vero ſcribit, *Medicinam cito addiſcere non eſt poſſibile, propterea, quod impoſſibile ſit, ſtatam ac certam doctrinam in ipſa fieri; & in epiſtola ad Democrit.* *Ego ad finem Medicinæ nondum perveni, licet jam ſenex ſim, neque etiam ipſius inventor, Æſculapius &c.* quatenus his verbis difficultas non tantum in arte condenda & firmanda, ſed addiſcenda pariter, exprimitur. Adeo quidem, ut quamvis cuncta ejus capita a ſcriptoribus ſatis eruta nobis concipiamus, multitudo nihilominus rerum huc pertinentium, maximam partem adhuc reconditarum, tyroni, imo cuivis Medicinæ operam navanti, inſuperabilis deprehendatur, qui proin nunquam in induſtria neceſſaria langueſcat.

Semper diſcere allaborat Medicus.

Auctorum lectio non negligenda.

Et vituperanda practicorum plerorumque deſidia, dicam, an arrogantia, qui vix Doctores, ſub & obreptitie, proclamati & Academiam exeuntes, cum hac ſtudia omnimode deſerunt, nec, niſi in ca-

ſibus

ſibus difficilioribus forſan, ſi Diis placet, auctores evolvunt, ſibi ſufficere rati adverſaria nonnulla lacera & inarticulata, aure & calamo ſatis fugitivo ex ore Doctoris cujusdam excepta, aut nullo hoc viſo, vel audito, a commilitone deſcripta, utraque valde cruda. E quibus pro rei exigentia euporiſta, ut ajunt, petunt, formulas concinnant & applicant, poſthabita omni ratione & circumſtantiarum diſcrimine, quæ penes prudentem & dogmaticum Medicum magni nihilominus momenti ſunt. Quales injurii ſane exiſtunt in artem, cui colendæ atque exercendæ ſe dicarunt, ac in ægros, quorum medelam temerario plane auſu in ſe ſuſcipiunt: potiſſimum, ſi de hac cum aliis peritioribus iis conſultandum fuerit, ubi præter experimenta ſua, aut mavis aliena, fidei ſatis ſubleſtæ, nihil crepant, morbum, hujus cauſam & medendi methodum ignorantes.

In magiſtri verba non jurandum.

Pares his, ſi non pejores, ſunt, qui per pietatem nimis credulam ſeu veſanam, deſidiam itidem, faſtum ac pertinaciam, Anteceſſorum & Doctorum ſuorum inſtitutioni primæ, hinc in prima juventute hauſtis conceptibus rudioribus & formatis ideis ad maturiorem & decrepitam ætatem inhærent, proin aliorum commentaria legere, ſecundum horum manuductionem in abſtruſiora artis disquirere, de iis ſobrie ambigere eademve comprobare renuunt; imo quod non idem ſecum ſentiant, nunquam aliquando viſa, aut lecta, ſed vel ob novitatem tantum ſuſpecta, cavillando ſpernunt ac eludunt. Oriundi forſan ex illa *infeliciorum*, juxta *Scaligerum*, *ingeniorum quæ mordicus ſentiunt, anteceſſores noſtros nihil ignoraſſe, proſapia, & omnipotentiæ atq; benignitati divinæ eousq; derogantes, ut poſt Hippocratem, Galenum, Fernelium, Sennertum*, torpidiora ab illa formata eſſe ingenia ſibi perſuadeant: quaſi, delirante olim *Phavorino*, nullum judicandi poſteris inſtrumentum idem Numen conceſſerit, imperfectiores ſeu mutili nunc creentur homines, auriti tantum, non oculati, ajentes ſemper, nunquam negantes, admirantes, non dubitantes, non ratiocinantes, ſed aſinos rudentes. Vim ſane ſuo aliorumque ingeniis inferunt ingenia ejuſmodi, quæ ad illas anguſtias medicinam redigunt, ut paucorum commentariorum volumina hujus & eruditionis ſuæ limites velint, dogmaticorum nihilominus medicorum nomen affectantes. Et non, niſi imprudentiorum em-

Veterum lectio non ſufficit.

piricorum, videtur, huic vel illi ſectæ ſe addicere, ſeu uni alterive Prædeceſſorum aut primæ inſtitutioni omnem ſuam devovere peritiam, immemorum nempe illius *Senecæ: Multa egerunt, qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt, multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit, neque ulli nato, poſt mille ſecula, præcidetur occaſio, aliquid adhuc adjiciendi.* Item, *Veniet tempus, quo iſta, quæ nunc latent, in lucem dies protrahet, & longioris ævi diligentia veniet tempus, quo poſteri noſtri tam aperta nos neſciviſſe mirabuntur.* Novi morbi ſi non fiunt, certe obſervantur, aliquando aut novæ eorum obſervantur cauſæ, aut iidem morbi, in diverſis ſubjectis genium evariando, evariant etiam medendi rationem: fallit memoria, fallit judicium, niſi conſultoribus ejuſmodi mutis excitatum ac ſuffultum; ut taceam, nova adhuc morborum horum illorumve indies deprehendi remedia, hactenus ignota. Per conſequens errat, imo peccat, qui præcoci ſuæ peritiæ eousque fidit, ut autorum quotidianis evolutionibus & ſtudiis concatenatis ſe non indigere ſibi perſuadeat.

Firmat denique doctrinam aliunde hauſtam exercitatio practica, per quam quidem non illam intellectam volo, quam idem v. g. *Lindanus* commendat, & *per quam Medicinæ Candidatus praxi præparetur, perinde ac miles pugnæ per luſoria certamina:* nimirum ut caſus ægrotantium ſibi fingat, ex his, aut ab aliis potius fictis ſeu obſervatis, affectus ideam, ætiologiam, ſubjectum, ſin minus evidens, rimetur, hincque progoſin & indicationes formet, ac remedia adæquata ex diæteticis, pharmaceuticis ac chirurgicis adaptet, ſecundum indicantium nempe ac indicatorum diverſam habitudinem, & quaſi ipſum ægrum in lectulo decumbentem tractet; hæc omnia in chartam conjiciendo & Magiſtri peritioris & experti magis cenſuram deſuper poſtulando, quod Exercitia ſeu tentamina caſualia vocant. Sed hanc ſimul, quam *Sennertus method. diſc. medicin. Joh. Rhodius introduct. ad Medic. Jacob. Roſales in armat. medic. Bartholom. Thurrianus Introbul. 3.° c. 1. & Petr. Ramus in Orat. pro reformat. Academ. Pariſ.* tanquam Medicinæ partem alteram, hactenus neglectam, ſuadent. Quatenus nulla ars, juxta *Ariſtot. 2. ethic. 1.* & *Thurrian. l. a*, ut ut ejus præcepta penitius hauſta fuerint, ſine uſu atque exercitatione aliquid laude dignum præſtare valet, ſed ut in opus

Complementum addit exercitatio.

Exercitatio in quo conſiſtat.

Neceſſitas exercitationis.

ipſa tota dirigatur, operando demum perfecta evadit, i. e. *quæ didicimus, dum efficimus, diſcimus*; Perinde ac Muſicus canendo, Citharœdus citharizando, Orator dicendo, Dux exercitum gubernando, pugnando &c. in arte demum proficiunt, ut hac conſummata pollere dicantur: ſic Medicus medendi habitum ſolo exercitio ſibi comparat, ſecus imparatus & anceps ubique hæret. Neque alia datur via, per quam ad praxin medicam partemve Medicinæ curativam rectius pervenitur, niſi, poſt præcepta hauſta, per experientiam: dum, juxta Philoſophos, ad cognitionem rerum ſingularium utilius eſt, ſe per experientiam exercere, ut Practici ſolent; quam mentem applicare indagationi cauſarum per ſcientiam, vel univerſalium contemplationem, quod Theoretici agunt.

Experientia duplex: Eſt enim Experientia duplicis generis, hiſtorica ſeu mutuatitia, & ſenſualis magis ſeu propria: quarum illam a Majoribus & Prædeceſſoribus acquiſitam habemus, a quibus exactiſſime & quoad ſingulas circumſtantias obſervata & annotata exempla, ſub Hiſtoriarum, Alienæ Obſervationum, Caſuum, Conſiliorum, Curationumve titulo enarrantur, ut ſecundum illos caſus noſtros metiri & regere queamus ægros; adeoque non initiando ſolum, ſed provectiori quoque & experto magis in arte, valde proficua & neceſſaria eſt. Quoniam variorum pathematum horumque medelarum relationes genuinas & accuratiores tradit, ex quibus multorum pariter morborum & caſuum rariorum notitiam ſibi conciliat uterque: doctior ſeu peritus magis collatione cum propriis facta obſervatis experientiam ſuam confirmat & auget; tyro autem idoneus hinc evadit, ut tuto & audacter, ſecundum obſervationes alienas, agat, & ſuis infirmis illarum phænomena ac remedia applicet. Aſſiduo proin ſtudio & frequentius Hiſtorias & Obſervationes Medicorum volvere atque revolvere convenit, quo his junior imprimis artifex inſtructus promptior evadat, & in curationibus ſuis quaſi totidem Archiatros Collegas ac Conſultatores habeat: perinde ac ipſum Hippocratem egiſſe, *Valleſius in comment. de morb. popular. præf.* aſſerit.

& propria. Hæc tamen experientia quia ad lucubrationes & lectiones autorum ſpectat, propriam potius hujus loci facio, non illam, quam plurium annorum praxi & ex multijugibus demum experimentis

propriis

propriis ſibi quilibet comparat, qua quod frequentius v. g. in hoc vel illo affectu prodeſſe deprehendit, memoriæ ac ſchedis tradit, quod Empirici veteres *Præceptum artis fidele* appellabant: utpote qualem in Novitio concipere haud datur, ſed Veteranorum peculium eſſe, ſana ratio dictitat. Neque eam, quam Clinicus junior ſolus & proprio Marte, ſeu temerario potius auſu, tentaret, utpote quæ periculo ægrotantium nunquam expers foret, fierentque experimenta, ut *Plinius* loquitur, *per mortes aliorum*, germ. junge Medici, neue Kirchhöfe: dum per experientiam artem, quam nondum tenet, addiſcere tunc annititur, cum ſe Medicum jamdum profitetur; atque ſic ſceleratiſſime fallit miſeros, quibus ſe Medicum exhibet ac obtrudit, artis nimirum adhuc ignarus; de corio & vita humana, quaſi re minoris momenti ſub cæco fortunæ directorio ludens. Vel ſimiles hi ſunt empirico illi Ophthalmico, penes *Freitagium Noct. med. c.5.* qui, cum non infeliciter acu aliquot ſuffuſione laborantium oculos punxiſſet, rogatus, quomodo Chirurgiam hanc adeo accurate didiciſſet, reſpondit, ſe, priusquam modum operationem hanc rite perficiendi cognoverit, vel pileum plenum, tentando & experiundo punctionem hanc, oculorum effodiſſe.

Non tentativa.

Sed hanc imprimis Filiis artis exercitationem commendo, quæ in viſitandis, ſub comitatu & manuductione Præceptorum & Practicorum experientiæ magis conſummatæ, ægrotantibus conſiſtit: quorum lateribus illi juncti naturæ ac remediorum effectus & eventus morborum inter ipſas operas notant, ſicque experimenta faciunt, ægro ſibique ſalubria; ſibi relicti, aut ſine Medici peritioris directorio aut nulla, aut minus congrua, imo funeſta, unde demum pravus contrahitur habitus, perinde ac in muſica & aliis artibus evidentiſſimum eſt. Eo ipſo quippe dum ars medicatrix latebris ſinuoſis abdita eſt, præmonſtratore opus habet, qui inexpertum doceat, donec habitu, ut ajunt, judicativo ſeu diſcretivo acquiſito idem ſimilia ſponte promptius intelligat, neque fallax maneat ſemper experientia propria. Qualis, quo major & maturior evadit, firmius & perſpicacius efficit judicium, poſſeſſori quoque ſuo plus quotidie peritiæ conciliat: unde Medicus, quo ſenior & expertus magis, eo doctior & ad medendum aptior; dummodo memoria firmiter retineat a ſe recte experta, cenſetur.

Sed ſub directione periti Medici adornanda.

Tria complectitur hæc experientia.

De modo & ratione ejuſmodi exercitiorum medicorum penes Autores vix aliquid invenies, niſi quæ *B. Thurrianus* l. a. confuſe ſatis tradit, ad tria tamen forſan capita reduci valent, Operæ nimirum Medici peritioris obſervationem, ſtudium ſeu hujus contemplationem, ac denique cum moderamine congruo imitationem : quorum requiſitorum ſi alterutrum defuerit, irrita atque imperfecta erit exercitatio, imo prava ac damnoſa. Et per conſequens male ſibi conſulunt, qui Medici juniores, ſine peritioris conſilio ac directorio, medicinam mox facere audent : ſed pejus adhuc conſulitur ægris, qui talibus inexercitatis utuntur. Quemadmodum legibus pariter publicis cautum eſt, & in ſpecie *Facultatis Noſtræ Statuta* jubent, ut Licentiandus artis, poſt ſtudia maturiora cum uno pluribusque Doctoribus praxi aliquandiu interfuerit : adſtipulante *Perezio ad Tit. C. de Profeſſ. & Medic. n. 21.* qui nec Doctores examinatos & renunciatos in ordinem Medicorum civitatis admitti vult, niſi ſub Archiatro quodam experientiſſimo praxin prius exercuerint.

Experientiæ hujus occaſio duplex.

Liceat mihi exercitationis hujus occaſionem diſpeſcere in privatam & publicam : ut prior ſit, qua Medicus Senior initiandos lectulis infirmorum, privatæ curæ concreditorum, adducit, eos de affectus phænomenis admonet, cauſas explicat, remedia indigitat &c. ſive per modum quæſtionum, ſeu quacunque methodo hoc agat. Publicam vero concedant Xenodochia publica, in quibus, omni rerum neceſſariarum inſtructis autoritate & ſumptibus publicis non tantum alantur & curentur tot infirmi, ſed Medici horum ordinarii, & inter hos Profeſſores, diſcentium etiam curam gerant, in horum corona grabatulos illorum viſitando, affectus p. n. declarando, de ſingulis vero cum iis diſſerendo ; uno verbo, per eorum calamitatem horum ſtudia firmando, ſicque privatæ æque ac publicæ ſaluti proſpiciendo.

Noſodochiorum frequentatio.

Qualis Noſodochiorum frequentatio inſimul hoc emolumenti rei Medicæ præſtat, ut in iis viſcera denatorum morbida ſcrutari, hincque noſologias genuinas formare liceat, quod Anatomen practicam vocant ; cujus, ſcribente *Carolo Offredo*, Medico Patavino, *in Epiſtola ad Bonnetum, mirandi ſunt uſus, nec ſatis extolli queunt, quod ex Naturæ libro colligantur, quæ errare nequit* : dum hoc modo morborum

borum ſedes & cauſas quaſi manibus palpare ac oculis diſcernere datur; adeoque eorundem cauſa ſicut evidentior, ita & medela felicior ſuccedit. Si nimirum, conſilio *Varronis*, rationem, non aleam, in imitatione & experientia ſequamur. **Anatome practica.**

Habet quippe hæc Anatome illud adhuc ambiguitatis, ut, quamvis Profectoribus phænomena præternaturalia, quæ affectus funeſti extiterunt genitores, frequentius manifeſtet, aliquando nihilominus dubios relinquat eosdem, an illa ſemper talia, & forſan non productum morboſum, fuerint, v. g. viſcerum dyſcraſia & compages ſeu textura vitioſa colluviei hydropicæ, quam hujus cauſam credidiſſet imprudentior: quale quid in ſpecie de Epatis corruptione & Polypis, qui in ventriculis & vaſis cordis majoribus occurrunt, *Kerckring. Spicil. anat. obſ.* 77. monet. Cui accedit, quod *Gliſſonius de Rachitid. cap.* 2. annotavit, *Morbos fere omnes tractu temporis alios diverſi generis ſibi adſciſcere, ideoque chronicos plerumque ante obitum eſſe complicatos. Ne E. putet Lector, quicquid in defunctis corporibus, ab hoc morbo (Rachitide) extinctis, p. n. reperitur, ad hunc affectum neceſſario pertinere, forte etiam magis id alium morbum, huic ante mortem ſupervenientem, quam hunc ipſum, reſpiciat. Et profecto Anatomici frequenter in ſuis obſervationibus lapſi ſunt, dum, quæ ad alium morbum ſpectant, alteri, cum quo ante obitum complicatus erat, adſcripſerunt.* De cætero, præter *Th. Bartholinum anat. pract.* frequentiora teſtantur morbis defunctorum extiſpicia, in uno horum cadavere ſimul diverſa viſcera male ſe habere: ut dubia hinc maneat mens, utri horum fatalia ſymptomata ſint aſſignanda. Quemadmodum pariter nec omnium affectuum p. n. veſtigia in cadaveribus oculis evidentia fiunt, ſc. ſpirituum, humorum & forſan aliquando partium ſolidarum quoque, utpote quarum nec poſteriorum anomaliæ ſemper æque ſenſibiles exiſtunt, v. g. obſervante *Celſo præf. lib. I.* earum color, ſoliditas, figura, ſitus, it. pororum ac fibrarum laxitas, ſtrictura, ſeu tenſio, ſubſidentia, contorſio &c. p. n. Atque hoc quidem ob varias (annotante *Bonneto præfat. ad Sepulchret.*) quæ, extincto, aut ad interitum vergente, motu vitali, accidunt in corporibus, mutationes: *ut nihil quicquam ſtultius aſſerat idem Celſus, quam, quale quid vivo homine eſt, tale exiſtimare eſſe moriente, imo jamdum mortuo.* In ſpecie huc

Fallit hæc aliquando.

Nec omnes morbos detegit.

huc referre quadrat, quod *Balonius 3. conſil. 71.* circa capitis affectus, *Volch. Coiter obſ. anat. chir. & Bartholinus l. a.* de Epilepſia memorant, ab his conſumptorum capita vix unquam aliquid commemorabile indagatoribus ſolertiſſimis exhibere; in quibus nihilominus incautior ætiologus aut abſceſſum, aut ſerum pituitoſum, vermes, apoſtema, aut ſimile quid reperturum iri aſſeveraſſet: item quod commotio cerebri haud cruenta, lethalis tamen, autopſiæ minus pateat. Spem nempe augurantium ipſa inſpectio fallit, & eorum fiducia atque expectatio in ſtuporem vertitur, ac ſi cum ipſa anima mortis occaſio evolaſſet. Ut taceam denique, ejuſmodi interdum in cadaveribus deprehendi interaneorum a ſtatu naturali receſſus, de quorum ſymptomatis vivi nunquam conquerebantur, quosque in iis nec accuratior diagnoſis hariolari poterat. Ita memini, me pulmonum compagem ſæpius ſolidiorem juſto, glanduloſam, item pleuræ ac coſtis enormiter & undique adnatam, vidiſſe, homine ſuperſtite nunquam tuſſi, dyſpnœa ſimilive thoracico pathemate afflicto, imo ad curſus, cantus ſimilesve motus quam agili, quemadmodum ſuperioribus demum menſibus in puero cachectico & hectico, qui ſine ullis nihilominus pnevmonicis ſymptomatis obierat, pulmones valde ſuppuratos me deprehendiſſe recordor. Calculos frequentius exhibent cadavera illorum, qui vivi nullam unquam dyſuriam, iſchuriam, lumborum ac inguinum dolorem, nauſeam, vomitum ſimiliave pathemata nephritica experiebantur: ſicut ex Amici calculoſi, quem nephriticum omnes judicabant, in quo tamen nullum unquam per totidem annos, quot diris admodum ſymptomatis cruciabatur, calculi veſicæ ſignum, ut ut in hæc frequentius inquireretur, comparuit, poſt diuturnos demum circa lumbos & tandem in inguine dextro cruciatus diros, nullos in regione hypogaſtrica, defuncti, veſica urinaria præter lapides renales diverſæ molis, calculum ponderis aliquot unciarum protraxi.

Quidam morbi viſcerum non ſemper per ſymptomata ſe manifeſtant.

Aſt in Germania, imprimis Saxonia noſtra, exercitamenta ejusmodi perneceſſaria Philiatris inani forſan conatu ſuadere videor: ubi profecto difficiles admodum ſunt decumbentes in admittendis cum Medico ordinario diſcendi cupidos, **wollen nicht an ſich lernen laſſen**: neque ulli Medicorum clinicorum, majoris quamvis autoritatis

Exercitationes ejusmodi fere denegat noſtra Germania.

tatis ac fiduciæ, ſuaſor eſſem, ut pediſſequos hujus cauſa adduceret tyrones, & cum his ejuſmodi, publico licet maxime proficua, circa ægros inſtitueret tentamina. Multo minus nobis & noſtris patent Noſocomia publica, quæ viſendis ægris & defunctorum extiſpicio occaſionem præſtent: neque talis forſan unquam in Germaniæ civitatibus ſperanda erit, ſi Viennam, Hamburgum & Argentoratum excipias, populoſioribus & inſtructiſſimis Xenodochiis, gaudentes, quorum alumni vivi praxeos, mortui anatomes, exercitio, moderantibus Medicis ſingularis peritiei, quotidie ſubjiciuntur.

Abundant & luxuriant vero his Belgium, Gallia, Anglia, Italia, magnis ſumptibus & ſplendidiore apparatu extructis & enutritis, v. g. Lutetiæ Pariſiorum, Lugduni Gallorum & Batavorum, quorum Leidenſe *Kyperus meth. diſc. & exerc. med.* non injuſte pluribus aliis præfert, Ultrajecti ad Rhenum, Paduæ, Florentiæ, Romæ, miſerorum infinitorum perinde ſaluti, ac artis Medicæ incremento, ſacrata. Adeo ut, ſi vel aliquid ad peregrinationes Philiatros urgeat, hæc noſtrarum Civitatum & Academiarum penuria ſit, quam exteri largius compenſant. Imo tantum indulget Proſectoribus v. g. Patavinis horumque Conſiliariis, autoritas publica, ut ex Noſodochiis non modo publicis, ſed ædibus quoque privatis, minorum nempe gentium, ipſarum ſectionum adornandarum gratia, petere liceat defunctorum exuvias: quamvis armata demum utplurimum manu hæc ſpolia reportent. Hafniæ parem oportunitatem quondam, venia ſuperiorum, captare annitebatur *Th. Bartholinus*, quam nihilominus poſtmodum, anicularum diris & imprecationibus deterritus, negligebat idem. Nos publica æque conceſſione, ac privatorum conniventia, deſtituimur, & rariſſime demum nobis, pro morbis reconditis horumque cauſis indagandis, aperiendi corpora copia fit: E. nec hanc noſtris penes nos αυτοψίαν promittere valemus Philiatris; hinc ut aliunde Exercitationem practicam æque ac anatomico-practicam ſibi conquirant, ſuademus.

Hinc Medico juniori peregrinatione opus.

Guido Patin lettre 46. equidem, ſimplicitati gentis innocuæ illudens Germanos peculiari affectus p. n. genere laborare ait, quem *Peregrinomaniam* appellat, quoq; extra patriam curioſius, quam fructuoſius, ferantur illi: & profecto non ſine ratione, quam præter me

Peregrinationes Medicorum nonnulli ſuſpectas reddunt.

norunt

norunt prudentiores, quique peregrinationibus ſuis olim factis non adeo abblandiuntur, & de multis paradoxis, ſive veris, ſive fictis, in his viſis atque obſervatis, garrula lingua, gloriantur, nugantur. Verum denegata illa in patrio circulo Exercitatio medica maxime urget exteras gentes, ubi hæc conceditur, adire atque luſtrare, i.e. aliunde petere, quod noſtra non fert tellus. Ac dum *Wigandus de Philiatr. German. Itiner. Diſſert. 1.* Praxin Medicam exterorum inter alia ſuſpectam reddere ſatagit his verbis: *Sed demus, has ad praxin manuductiones florere hodienum apud exteros, demus, famoſos practicos, magna caterva diſcipulorum ſtipatos, frequentare ægros, dictare caſus, communicare methodum & formulas; nego tamen & pernego, augeri inde & promoveri Philiatrorum Germanorum commodum & profectus, ſed impediri ajo, confundi, turbari, corrumpi. Sc. ubi peregrinæ methodo aſſueti juvenes domum redeunt, quid frequentius eſt, ut ea methodo populares trucidentur, qua exteri convaluere? &c.* Ipſi regerendum puto, ſuperari facile poſſe a filio artis erudito (rudiores & per ſtudia ſolidiora minus præparatos eximo) hanc difficultatem, modo ſecundum regulas artis ſubjectorum diverſitatem ſimilesque circumſtantias attendat, & extra patriam obſervata concivibus ſuis applicare, vel non applicare, moderari &c. diſcernat. Imprimis cum non tantum de remediis ut talibus inveniendis, non de indicationibus formandis, ſed de modo etiam viſitandi ac tractandi ægros, potiſſimum hic ſermo ſit. Ut taceam, nec quævis exotica remedia noſtratibus non æque quadrare, v. g. Sanguinis miſſiones Gallis frequentes atque ſalutares, trepanationem calvariæ &c. de quorum poſteriore ut ut aſſerere non vereatur *idem ſcriptor, ſe nunquam trepanum in Germania vidiſſe non infauſtum.* Largior nempe, Germanos & multo magis Boreales gentes, non adeo frequentes ac largas ferre venæ ſectiones, imprimis tenerioris adhuc ætatis: experientia tamen (modo huic non prævaleat præjudicium) edocemur, nec pueros puellasve noſtrates ab hoc remedio generoſo omnimode eſſe excludendos; & meticuloſitatem noſtram in mittendo ſanguine ſi Gallorum temeritate temperemus, forſan hinc inde affectuum graviorum certior obtingeret medela. Ut vel Alſatorum ac Helvetiorum mos, quo quotannis aliquoties, ac præſervationis tantum gratia, ultra libram

Vindicuntur.

unam ac duas ſibi detrahi curant ſanguinem, ſine ullo virium notabili diſpendio, teſtatur. Et hoc ipſo, dum, ſecundum eundem Autorem in noſtra Germania non una ubique methodus curandi obtineri valet, evincitur, hanc & medendi inſtrumenta a ſagaciore, pro diverſitate ſoli, atmoſphæræ, victus, idioſyncraſiæ &c. commode mutari poſſe: niſi ideo, Hippocratis, Galeni aliorumque, ſive Græcorum, ſive Barbarorum dogmata & in hæc Scholiaſtes atque Commentatores Italos, Gallos &c. quoque e ſcholis & praxi noſtra exterminare velimus, quod Græciæ, Latii, Galliæ &c. incolis præprimis videantur conſarcinata; ut mittam illa, quibus *in diſſert. 2 & 3* idem Autor prolixius ſolvit & declinat dubia, a ſe aliisque contra Philiatrorum noſtrorum itinera mota.

Nimirum jubet in *Lege Hippocrates*, ut, qui Medicinæ ſcientiam ſibi vere comparare velit, locum ad diſciplinam accommodet: qualis nihilominus alibi quoque, imo interdum magis, ac in patria, panditur, ſc. ut, advertente *Bartholino de peregrin. med.* varietas ægrorum faciliorque horum inſpectio habeatur. Sicut idem Hippocrates de Medico, illum, qui vulnerum chirurgiæ exactam peritiam deſiderat, caſtra militum ſequi ſuadet, ſic enim exercitatum fieri eum poſſe ad ejuſmodi uſum ac neceſſitatem: qualem ſcientiam hoc tempore ex Italia, Gallia, Belgiove potiſſimum mutuantur noſtrates; hincque nec Modioli applicationem ſimilesve Chirurgias in Germanis adeo infauſtas experiuntur, ac *Wigandus* ille aſſerebat. Imo ipſum *Hippocratem*, perhibent, *amore medicinæ per diverſas civitates, provincias & ſingulas regiones proficiſcentem experimenta collegiſſe:* quemadmodum ſecundum *Soranum* ideo etiam functis vita parentibus eum patriam reliquiſſe fertur, *quo nimirum rei medicæ effectus & ſucceſſum per multos locos cognoſceret, & in his variis modis exerceretur.* Et quod velato capite pingatur, poſt alias rationes ſignum peregrinationis amantis hoc ajunt. Sicut denique peregrinationis neceſſitatem *Galenus* in libello, *quod optimus medic. ſit philoſoph.* aſſerit, quo nimirum ex illa ultimum perfectionis gradum quis aſſequatur: quippe non omnis fert omnia tellus, nec omnes præclaros Medicos unus locus vel provincia tenet, ſed hic locorum excellens Chymicus, alibi accuratior Anatomicus, peritior Practicus vel Operator, inveniuntur.

Hippocrates peregrinatus.

CAPUT II.

De Fortuna Medici.

Fortunam in Medico multi poſtulant.

ARgumento huic communis traditio vanaque omnimode perſuaſio, qua peritiam non ſolam medicum formare, ſed fortunam ſimul in hoc requiri, quæ tanquam χεὶρ πρακτικὴ, doctrinam vel in medendo ſuffulciat, vel etiam citra hanc eundem ad hoc negotium idoneum præſtet, non rudis tantum plebs, ſed Medici quoque imperitiores aſſerunt, occaſionem præbet. Atque hi quidem, quos vel avaritia, vel ambitio ad ineptias ejuſmodi abripit, commento huic vel ideo promptius ſubſcribunt, quo vulgo perſuadeant, ſe tales albæ gallinæ filios eſſe, cæteros ægris ſanitatem deſideratam præſtare non poſſe, ſuorum pleroſque reconvaleſcere, nullos, aut paucos, obire, & quæ hujus generis plures ſunt jactantiæ, nugæ, quibus proniorem præ aliis apud vulgus opinionem captare ſatagunt. Illa vero rerum momenta non, niſi ex effectu, aut potius promiſſis ejuſmodi magniloquorum, dijudicans, fortunæ favore deſtitutos, quicquid demum in ægritudinum medela ſecundum artis regulas moliantur, fruſtra agere, infelicem quoque exiſtere ægri conditionem, qui curæ medici minus fortunati ſe exponat, ſtrenue garrit. Ad experientiam provocans, quaſi hæc offendatur mille teſtis multorum artis medendi minus ſolide gnarorum ſeu agyrtarum, qui ſucceſſu ſatis exoptato & felici, imo præ doctioribus feliciore, medicinam facerent; ac ideo quoque illorum fortunæ præ his, ſi morbis corripiuntur, ſe ſuamque fortunam & valetudinem confidere malunt. Quorum nonnulli fortuna hac, ſibi a populo imprudentiore ac ſuperſtitioſo nuncupata, ſuffulti dexteritati ſuæ fatali eousque adblandiuntur, ut noverim, qui horoſcopo certo ſuam in medendo felicitatem ſeu aleam medicam in acceptis referant, hinc ſibi connatam ac individualem credant; meminerim tamen ſimul, unum ex his, qui aſtralem ejuſmodi influxum gloriabatur, in ſui ipſiusmet medela non adeo felicem extitiſſe, & ante maturiorem ætatem fatis ceſſiſſe. Seduxerant ſine dubio hos Fortunatos *Ptolomæi*, *Manfredi*, *Ranzovii*, Autoris, *Cœli enarrant*, ſimiliumque deliramenta aſtrologica,

Hinc conſtellationem tempore nativitatis certam.

gica, illum felicem ac fortunatum medicum evaſurum fabulantia, in cujus primo ortu Mars & Venus, aut Venus ac Mercurius, corporaliter, ut loquuntur, ſeu benevolo adſpectu, conjunguntur, vel cui naſcenti Mars & Venus in ſexta domo affulſerint. Neque fabula hæc adeo recens, ſed primis quoque ævis & artis mox incunabulis jamdum acta deprehenditur, dum *primum hujus Parentem de Loc. in homine* contra hoc ruditatis tegmen ſtrenue pugnare & fortunam Medici nil, niſi ejus peritiam, aſſerere, legimus.

Negat hanc fortunam Hippocr.

Argumenta ejus hæc ſunt, quod primo conſtans & firma ſit Medicina, hinc doctrina ejus, præceptis immutabilibus ſuffulta, fortuna non egeat: deinde fortuna ſui juris & nullius imperio ſubſit, dum ſcientia ſeu ars imperata facere cogitur, quam feliciter aſſequatur, qui ſecundum eam agat, aut qui ſciens illa utatur. Quod vero Medicinæ fortuna haud opus ſit, hinc tertio evincit, quod remediorum, ſi non omnium, certe multorum, vires manifeſtæ ſint, v. g. purgantes, ſudoriferæ, anodynæ &c. hinc ad ſanandos morbos & effectus ſuos præſtandos non expectent vel deſiderent fortunam aut quodcunque extra ſe tale. Aut quarto, ſi cum fortuna eadem exhibere proſit, non magis remedia adæquata, quam minus talia, ſeu virtute medicatrice omnium deſtituta, vel aliena & intentioni medentis contraria poteſtate gaudentia, homines ſanent. Ac tandem concludit: *mihi ſoli hi fortunate aſſequi, itemque infortunate non aſſequi, videntur, qui recte quid & male facere ſciunt. Fortunate enim aſſequi eſt, recte facere, hoc autem qui ſciunt, faciunt: non aſſequi autem hoc eſt, ſi quid non ſciat, hoc non recte faciat. Indoctus autem qui eſt, quomodo fortunate aſſequi poſſit? Si quid enim etiam aſſequatur, non memorabilem ſane ſucceſſum habebit. Qui enim non recte quid facit, non fortunate aſſequi poterit, cum reliqua, quæ æquum eſt facere*, non faciat.

Argumenta Hipp.

Quibus gentilis nominati argumentis ſequentia ſubnectere decet, quod quinto aleatores ejuſmodi & hiſtriones criſtati injurii ſint in ipſum ſummi Archiatri Majeſtatem, utpote quæ ejusve Providentia ſola, quæ ubique, hinc circa ægros pariter, fiunt, moderatur ac perficit, ſanat & non ſanat. Quorum effectuum cauſæ ſecundæ ſi evidentes fuerint, in iis mens humana acquieſcit; ſin lateant & oc-

Sola providentia divina medici actiones moderatur.

cultæ magis, tunc, gentili prorſus more ac modo, fortunam tanquam boni & mali productricem, eadem veneratur aut criminatur, derogans divinæ potentiæ, quod ſolius Numinis veri ac unici eſt. Dum contra Medicus pius ac prudens cauſam illam ſupremam nunquam a conatibus ſuis alienam cupit, ſed benedictionem, conſilium auxiliumque in artis ſuæ operibus ſeu morborum medela implorat atque ſperat. Quod idem æger petit, ut, qui Medicinam de terra creavit, & a quo omnis ſalus, remediis applicandis virtutem adſpiret: quippe quem hic ſervare abnuit, in eo ſanando fruſtraneus erit medici peritiſſimi ac ſolertiſſimi labor, ſub nutu vero divino medicus pariter ac æger fortunatus ac felix erit dicendus, per mutuam ſc. ſui utrinque felicitatem.

Fortunam irrident Philoſophi.

Et ſi, quales ſaniores Philoſophi, quamvis ethnici, de Fortuna ſibi conceptus fecerint, evolvamus, *Galenus* & *Tullius* illam talem pinxerunt ſc. mulierem &c. ut ex hac pictura eam nihil aliud, quam ignorantiam & inconſtantiam eſſe, conſtet, i. e. fortuna ejuſmodi rebus ac perſonis tantum inſit, ubi nec mens ulla, nec ratio, exiſtit. Aliis Lunæ mutabili, inconſtanti, creſcenti ac decreſcenti comparatur, Poëtæ filiam Oceani eam, ob eandem ſui inconſtantiam, finxerunt: juxta *Ariſtotelem* eſt ſine oculis, ſine judicio, & ſine prudentia, ſeu, ut clarius ſe explicat, *ubi mens plurima, ibi fortuna minima, ubi plurima fortuna, ibi mens perexigua*: *Chilon* imperitum oculiſtam eam pronunciat, qui plures excœcaret, paucioribus longe viſum reſtituat: quemadmodum *Plutarchus* ſimilem eam pronunciat illis injuſtis certaminum gymnaſticorum judicibus, qui illos ſæpius coronent, qui minus hoc demereantur.

Deus non immediate agit.

Haud igitur figmento huic gentilium ancipiti & fallaci, quod eorum plerique ipſimet rident & ludibrio habent, ſed Numini divino, quod ſolum ſuperna ac inferna gubernatur & temperat, cui ſanior obtigit ratio, ſe mancipat: quamvis nec hoc immediate operetur, i. e. non cujusvis imperitioris medici conſilia & remedia ad ſalutem ægrorum dirigat. Creavit ſiquidem non minus Medicum, ac medicamenta, adeoque hæc non caſſa, illum non eruditum & temerarium, ſed quem per *Syracidem* honorare jubet, & cujus caput per eruditionem atque probitatem ſuam exaltari & in conſpectum Magnatum

gnatum collocari ait. Hinc remediis non ineptis, non frivolis ac intempeſtive applicatis, ſed quæ morbo adæquata, ſecundum artis regulas & ſecundum ſanam rationem adminiſtrantur, demum benedicit, ex pacto nimirum, quod per gratiam ſuam immenſam cum natura, a ſe conſtituta, Deus iniverat. Adeo ut ſi imperite medentis labori temerario adſpiraret, i. e. irrita ac incongrua remedia, præter ordinem naturæ, a ſe in prima creatione decretum, per immediatam ſeu extraordinariam benedictionem ad ſalubritatem decumbentis dirigeret, miraculum hoc foret: quale quamvis idem, notante *Primeroſio*, pro voluntate ſua omnipotente facere poſſit, non ſolet tamen, niſi raro admodum, hoc agere; nec quod omnipotentiæ divinæ opus, fortunæ miſeræ ac vanæ hujus vel illius medicaſtri opus deprædicari poterit. Temeritatis potius foret, extraordinariæ ejuſmodi directioni ſe ſuosque committere, ac Deum tentaret, qui artis præceptis neglectis ejuſmodi ſuperſtitioni inniteretur.

Non fortuna, ſed ars, operatur.

Accedit ſexto, quod fortuna vulgi, quia hujus fundamentum lubricum, rariſſime finis ſui compos fiat; dum contra per artem medicam, ſi non ſemper, frequentius tamen eum aſſequimur: i. e. monente *Hippocrate de vet. medic. quamvis non habeat circa omnia certitudinem exactam, propinqua nihilominus ſit recto, ſimulque ratione poſſit ad ipſum pervenire.* Item ſeptimo, quod quæ per fortunam fiunt, ratione deſtituuntur & nullis mediis ad finem ordinentur: Medicina vero, Ars omnium præſtantiſſima, mediis & regulis certis utatur, tanquam habitus cum certa ratione factivus, hinc fortunæ cœcæ ac imprudentiori ſe ſuaque negotia committere nequit.

Fortunæ effectus ratione deſtituuntur.

Medicinæ incrementa a fortuna.

Caſu equidem & per propitiam, ut ajunt, fortunam magis, quam conſilio & induſtria ſagaciore, diverſa arti noſtræ obtigiſſe augmenta, ſc. præter anatomica & chymica, remedia pharmaceutica & chirurgica, qua lepram carne viperina ſanari, bufonum pulvere urinam largiſſime cieri, ſicque aſciticos levari, *Galenus*, *Solenander* & *Petræus* perhibent; ac operationum quorundam manualium, v.g. tracheotomiæ, paracenteſeos thoracis atque abdominis præmonſtratricem ſortem temerariam extitiſſe, *Albucaſis*, *Paræus*, *Jacotius*, *Amatus Luſit. Valeriola*, *M. Donatus*, *Benivenius*, *Pigræus*, *Fienus* &c. teſtatum faciunt, quemadmodum pariter Prædeceſſores ſuos, qui arterioto-

teriotomiam renuebant, Medici cujusdam, qui loco venæ arteriam præciderat, imperitia, redarguit *Galenus*, & materiam medicam quotidie fato accreſcere, palam eſt. Ita ut nova invenire, non artis ſemper, ſed aliquando fortunæ, opus obſervetur: quarum hanc illa tamen provocat, ut propitiam eam frequentius experiantur mortales.

Ad morborum ſanationem aliquando fortuna concurrit.

Neque omnino inficiari licet, ad ipſam morborum medelam fortunam ſeu ſortem aliquid aliquando conferre, ita ut multos, quos ars non ſanat, fortunam &, ni fallor, temeritatem ſanare, hinc inde obvium fiat: i. e. phænomena etiam plane fortuita & omnino caſualia interdum vel artem juvare, vel ipſi ſuccenturiari, in affectibus ſatis deploratis. Nempe ubi cauſæ evidentes mere accidentariæ & ſine conſilii directorio agentes, modo ſine neceſſaria ſui cum effectu connexione, modo cum tali, ſub εὐτυχίας nomine, ſanitatem attulerint, perinde ac ἀτυχίαν valetudinem varie lædere conſtat. Dum v. g. fortuitam abdominis perforationem aſciticos ab inundatione aquarum liberaſſe, *M. Donatus 4. c. 22. Rouſet. de partu cæſ. p. 44. & Rhodius 3. obſ. 12* referunt: & dum hydropicis moderamen ac abſtinentiam a potu multum prodeſſe, Practicorum conſenſus teſtatur, quosdam nihilominus horum ab uberiore potulentorum ingurgitatione ſanitatem recuperaſſe, *Schenckius obſ. p. 437. Dodonæus obſ. p. 117. Panarolus pent. 2. obſ. 24. & Pechlin 1. obſ. 63.* annotarunt. Phreneticos ab imprudente olei potu, hincque exorto alvi fluore, it. per præcipitium ab alto & in fluentem reſtitutos narrant *Panarolus 1. obſ. 40. & Paræus introduct. ad Chir. c. 23.* Vertiginem chronicam & nullis hactenus remediis cedentem hæmorrhagia profuſâ ex lapſu de ſcala diſcuſſam fuiſſe, commemorat *Fr. Loſſius 1. obſ. 8.* Ex largiore ſanguinis profuſione præter modum refrigeratos calorem priſtinum per iræ excandeſcentiam recepiſſe, *Mœbius inſt. 4. part. 2. c. 8* refert: a qua pariter paralytico motum, penes *Valeriolam 2. obſ. 4.* & muto loquelam, reſtitutam penes *Bartholin. actor. Hafn. vol. 1. c. 21* legimus: ut taceam, quæ de terrore, arthriticos & quartanæ paroxyſmos tollente paſſim obſervantur. De qualibus ſimilibusque medelis *Celſus* ait: *quos ratio non ſanat, temeritas aliquando juvat.*

Evidentior hæc fortunæ, ut ajunt, vis deprehenditur in affectibus,

bus, Chirurgiæ operam poſtulantibus, quales nonnunquam deplora- tos & maxime lethales, miraculoſe potius, quam artificioſe, i. e. caſu & divino favore extraordinario magis, quam Chirurgi manu, cum omnium ſtupore, ſanari, quotidie obſervamus, v. g. capitis percuſſiones graviores, cerebri compagem profundius & ad ventriculos usque lacerantes, quarum exempla ex *Galeno 8. de uſu part. 1. & in Hippocr. 6. aph. 18. Theodorico chir. 2. c. 2. Bruſſavola in 6. aph. 18. Fallopio de curat. vuln. c. 45. Ant. Muſa, H. Augenio, Berengario, Arcæo, Glandorpio &c.* item pulmonum vulnera, quæ parum ſpei alebant, conſolidata nihilominus penes *Platerum obſ. p. 735. & 736. Valeriolam 4. obſ. 10. Glandorpium ſpecul. chir. obſ. 24. Foreſtum 6. obſ. chir. 4. Pechlinum hiſt. vuln. thorac. Scultet. arm. obſ. 43. Tulpium 2. obſ. 17.* aliosque plures legere licet. Egoque in juvene generoſioris proſapiæ, cujus thorax ſub papilla ſiniſtra gladio ita transfoſſus, ut ejusdem lateris os homoplatæ penetraret, ſanguis ſpumoſus cum ſibilo per vulnus anticum prodiret, cruenta expueret cum dierum aliquot ſuffocationis metu; it. in juvencula villica, globulis minoribus multis, Haſen-Schrot / ſclopeto eliſis, latus thoracis dextrum ad homoplatam usque hinc inde perforantibus, graviter ſauciata, teſtari poſſem, utrisque feliciter reconvaleſcentibus, & nunc quam commode degentibus. Imo pluribus hujus vel alterius generis caſibus morborum fortuitas maxime medelas comprobare liceret, niſi prolixitatem plus quam neceſſariam metuerem.

Imprimis vulnerum.

Illud tantum impræſentiarum annotaſſe juvabit, fortunam in curandis morbis, quibus aliquid præſtat, nunquam forſan ſolitariam deprehendi, ſed aut artem, juxta *Hippocr. 6. epid. 5. t. 5*, aut naturam, ſeu corporis morboſi motus intrinſecos ſeu tendentias ad ſtatum naturalem, a. utramque, adjutrices ſibi ſociare, adeoque ſolitariam nunquam forſan in paradoxis ejusmodi producendis ſufficere, ut vel plurium recenſitarum hiſtoriarum & ſimilium circumſtantiæ docere poterunt. Ita v. g. trachææ cartilaginum vulnera, inſanabilia ut plurimum, mediante ſutura, modo cruenta, modo per glutinum, aliquando coaluiſſe, *Petr.* von der Stille *chir. part. 1. tr. 4. c. 14. Paræus 9. c. 29. Tulpius 1. obſ. 50. Th. Bartholinus cent. 5. hiſt. 89.* perhibent. Quibus accenſeo obſervationem, ante novennium circiter mihi ex vicinia

Nunquam tamen fortuna ſola ſufficit.

Tracheæ vulnera ſanata.

vicinia transſcriptam, de profunde ſatis præciſo larynge & portione quadam pharyngis, ſorte ſatis propitia intra paucas ſeptimanas coaleſcentibus, adjuta a ſutura integumentorum duntaxat externorum, cum profundiorem trachææ & œſophago admovere non auderet Balneator levioris peritiæ. Quo etiam ſpectat veſicæ urinariæ fundi vulneris, alias minus conſolidabilis & lethalis crediti, coaleſcentia fortuita, quam aliquando experimur, & in Studioſo Holſato olim obſervavi, poſtquam turundam, Chirurgis alias ſolennem, extrahere per artis regulam juſſeram: ut prolixius *de lethal. vuln. cap. de abdom. vuln. lethal.* enarravi. Liceat mihi his annectere, quod in cadavere cujusdam, ex venæ iliacæ internæ vulnere decimo tertio demum die defuncti olim annotavi, ſc. huic particulam pinguedinis, vicino peritonæo intertextæ, & gladio percutientis ſimul laceratæ ac quaſi avulſæ, caſu intruſam ſeu incuneatam, ſine dubio terminum vitæ, ejuſmodi vaſorum majorum plagis ordinarie anguſtum ſatis, prolongaſſe. Cui parallelum, ſi non conſpectius videtur, quod *Ephemerid. Nat. Cur. dec. II. ann. 2. obſ. 161* tradunt de vulnere arteriæ cruralis, cujus hæmorrhagia lethalis ad decimum quartum usque diem a grumoſo obturaculo cohibebatur. Sicut pariter, quæ de hydropicis avidiore potulentorum hauſtu reſtitutis, ſuperius ex *Dodonæo, Panarolo, Schenercio ac Pechlino,* adduxi, non ſine naturæ vegetioris ac ſolertioris conſpiratione contigiſſe patet: a potu uberiore ſc. ſtimulatæ, & per rupturam umbilici, diarrhœam ac hæmorrhoidum fluorem cauſam morbi conjunctam excernentis.

Veſicæ vulnus ſanatum.

Vulnera vaſorum tardius lethalia.

Hydropici a potu uberiore reconvaleſcentes.

Et ſic infiniti adhuc ſuppeterent caſus ac ſucceſſuum modi, a quibus deſperatis morbis advenit ſalus, quam nihilominus vel Medicus adſtans ſibimet ſuique peritiæ ac fortunæ tribuit, vel alii huic in acceptis referunt, utrumque inepte atque inique: dum nimirum illi occaſio eousque favet, ut natura vires ſuas conferente, leviora præſidia deſideratos excipiat eventus; adeo ut *Hippocrates* non ſine ratione præcipitem ſeu fortuitam occaſionem attendere hinc inde juſſerit. Quoniam nihilominus eventus ejuſmodi illis rebus ſunt accenſendi, quæ per accidens, non conſilio, fiunt, & tales ægros non Medicus, ſed caſus, ſanat, i. e. accidentia ſeu phænomena hæc nullatenus ab officio Medici & directorio methodi dependent: hujus dexte-

Caſu quæ fiunt, medico non ſunt adſcribenda.

dexteritati & fortunæ, utpote qui ſecundum rationem, a fortuitis alienam, i. e. artem, operatur, minime tribui poterant.

In gratiam vero illorum Capitonum, qui ex reconvaleſcentiis ſuorum fortuitis fortunam ſibi magis propitiam perſuadent & periotiores aliis ſe judicant, meminiſſe quadrat ex *Bernier Eſſais de Medicine part. 2. c. 15.* Medici cujusdam Hiſpani, intempeſtive glorioſi, & fortuitam infirmi ſui reconvaleſcentiam ſibi ſuæq; peritiæ inconſiderate adſcribentis. Hic ſuper mulam equitando ſubintrarat ædes, ubi deſperatiſſima & ſuffocationem minitante pectoris vomica quis decumbebat, jumento deſcendens hoc in aula, prope ægrotantis cameram, more ſibi conſueto, alligat, eum mox viſurus: dum ex improviſo ad alium agonizantem in altiorem domus partem evocatur, quem primo viſitat. Aſina interim laxius juſto firmata habenam & vincula rumpit ac hinc inde decurrens cubile ſuppurati irruit, in hoc ſtrepitus non exiles parat, lectulum miſeri appropinquat, & quem inibi obſervat, naribus & ore ſuo inhalat & eousque laceſſit ac angit, donec hic, ex torpore & languore graviore excitatus & a conſpectu beſtiæ inopinæ conſternatus valde, avertere pro viribus conatur blanditias illius ſibi ſuſpectas. Quales angores & motus, a conatibus naturæ adjuti, abſceſſum, ægrum pariter & Medicum latentem, rumpunt, ac ejus ſaniem ad ultimum usque ſpiritum hactenus opprimentem, ἄνω καὶ κάτω exturbant. Medicus ex ſuperiore ædium parte deſcendens mulam in area relictam quærit, & in camera dicti ægri præter opinionem invenit, nemine hominum animalis ingreſſum attendente. Infirmum hinc intuetur, ejus pulſum explorat, quem robuſtiorem, ſimul tamen frequentiorem, deprehendit, hominemque, prognoſtico tantum non relictum reviviſcere, obſtupeſcit: infirmus vero, medicum ſuæ medelæ & quod ultimo propinaverat remedio abblandiri, huicque ſui reconvaleſcentiam arrogare animadvertens, eum ita alloquitur: Nec tu, Domine Doctor, nec pharmacum tuum, eam mihi præſtiterunt, ſed mula tua: cujus beſtiæ vaſtioris & ſagacioris intuitu cum exilior tantum mula tu mihi videaris, in poſterum, ſi forſan denuo me morbo corripi contigerit, non tuæ, ſed aſinæ hujus, medelæ me committam.

Hiſtoria ægri caſu ſanati.

Unde equidem apparet, ſortem ægri & mutationes morbo-

rum diverſas a cauſis externis & fortuitis dependere, minime tamen hinc inferendum, ſorti ejuſmodi temerariæ ſe ſuosque Medicum committere debere, ſed artis potius regulas opportune applicando agere. Poſtquam octavo adhuc urget, quod eo ipſo, dum Fortunam per ejuſmodi cauſam, quæ vi clancularia, præter intentionem conſiliumque, agentem agere impellat, deſcribunt, non appareat, qua ratione Medicus, qui pro ſcopo ſanitatem habet, hanc aſſequatur: dum fortuna actionem ad finem determinatum haud juvet, ſed ad aliud quid, præter ſcopum præfixum, ſc. non tam ſanitatem, quam morbum forte, hujusve incrementum præſtet.

Medela morborum fortunæ haud committenda.

Fortuna æque morbo ac ſanitati confert.

Ex quibus cunctis concludere licet, cum infinitis, mentis perſpicacioris, ſcriptoribus, ſtolidam ac veſanam maxime hanc de fortuna Medici eſſe hæreſin, ſolumque hunc fortunatum cenſendum, qui genuinus artifex, ſeu in arte peritus, ac qui ſecundum hujus præcepta & ſecundum ſanam rationem agit; ita quoq; ut quamvis eventus voto non ſemper reſpondeat, infortunati tamen, multo minus imperiti, nomen haud mereatur, cum, juxta *Hipp. 1. progn. 3, ſanos facere omnes ægrotos*, ob diverſa impedimenta, *impoſſibile ſit*: rudes vero fortuna nunquam potiantur, dum ſemper inſcite, male ac temerarie operantur.

Fortunatus medicus quis?

Equidem vulgi præjudicium tantæ ſæpe autoritatis obſervatur, ut prolixior ejus applauſus vel ſolus felicem reddat medicum, famam ipſi conciliando, quaſi præ multis magis dextre & ſalubrius medeatur, juxta illud: *Opinio facit Medicum:* Nemo tamen ſalubrioris mentis ſibi perſuadebit, hunc plebis favorem ſeu ignorantiam ulli plus eruditionis atque dexteritatis, quam poſſidet, decernere poſſe, utpote quæ, juxta *Hippocr.* effatum *illos pro medicis habet, qui non ſunt;* & aliud eſt dici ſeu haberi, aliud eſſe ſeu mereri. Poſtquam imprimis adeo ſtupido affectu nonnullos in ſuos, quos præcipitanter ſatis aliquando ſibi elegerunt, medicos ferri deprehendimus, ut, quamvis hos vix ſemper feliciter agere eorumque ægros, perinde ac aliorum, mortales obſervent, nec ſine evidentioribus erroribus hi agant: malint nihilominus eos æſtimare ac commendare, & horum errores occultare atq; delinire, quam, ſe in peritia illorum æſtimanda erraſſe, profiteri, ne *Hippocratis* ſententia vapulent, ſeu ignorantiæ vulgi ab hoc accuſentur. Felicitati cedit medico multorum ægrorum confidentia & con-

Plebis opinio non reddit eruditum.

confluxus, hinc multum autoritatis & opum in eum redundat: aſt non felicius & promptius ideo ſanat ſibi concreditos. Nec plus in negotio hoc valet Magnatum & Principum poteſtas, quibus Archiatrum quidem ſibi eligere, hujus caput extollere & magnificis muneribus gratiave ampla condecorare atque locupletare integrum eſt, &

Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt:

peritiorem autem eum reddere minime valent, cum nec Procerum judicium de medicorum dexteritate majoris, ac plebis, æſtimari debeat, id eſt utrique horum applicandum veniat illud Apellis, *ne ſutor ultra crepidam.*

Propter majorem ægrorum confidentiam nec felicior, nec doctior quis dicendus. Nec propter magnatum gratiam.

Et calamitas maxime deploranda, artis vero & qui eam faciunt, incremento exitioſa, eſt, quod cuilibet idiotæ & vetulæ de his judicare & decernere integrum ſit, cum nec ſagaciſſimus hominum viliſſimum mechanicum hujusque opus taxare ſibi præſumat, convictus per ſanam rationem, *Perito in arte eſſe credendum*, aut metuens, ne minus adæquata ſua cenſura ignorantiæ opprobrium experiatur, neve rudior operariusogganniat, der Herr verſtehet es nicht: Unde mirum, ab inſulſis ejuſmodi cenſoribus inſulſas de medendi ratione petulanter cenſuras effutiri. Ut nimirum medicum mox peritiſſimum proclament hi balatrones, ſi forſan levioribus ægritudinibus, quales natura ſola frequentius ſuperat, præficiatur, aut paucula tantum adminiſtrando reconvaleſcat infirmus: convitiis vero ac calumniis proſcindant illum, qui ad graviores morbos & quibus ſanandis nec Apollo, nec Æſculapius, par foret, vocatus, licet ex arte & quam erudite operetur, haud averruncat affectum incurabilem. Sicut pariter non raro accidit, ut medico omnia equidem ſecundum rationem agente ſalus nihilominus ægro deſiderata, ob morbi contumaciam aliamve cauſam, haud mox eveniat, qui interim moræ pertæſus & ſanitatis avidior, alium indoctiorem empiricum accerſit (ni obtrudatur) eo nimirum tempore atque occaſione, qua adjutrix magis inſurgit natura, hactenus plus otioſa, ſeu ubi diætam mutat æger, ſeu ubi declinat morbus, remediis prioris medici ſubactus & fere devictus, hinc poſterior quamvis nihil aut parum prioris medelæ addat, convaleſcat infirmus. Qui ideo miris encomiis hunc deprædicat, quaſi vel uno medi-

Vulgi de medici peritia judicium abſurdum.

Medicus non quovis tempore coagentem habet naturam.

medicamine ſalutem brevi reſtituerit, quod prior ſeu ordinarius intra totidem dies ſeptimanasve cum magno remediorum apparatu præſtare haud poterat: & confirmatur hac ratione adagium: *beata vetula, quæ in hora criſis venit.* Id eſt, fortunatior ab omnibus dicetur indoctior, qui laudem præmiumque reportat, illo, qui ſolidè doctus & dexteritate validiore inſtructus, rejectus tamen & cum convitiis loco ſoſtri dimiſſus, ſeu qui ſecundum illud *Ovidii*

Pro vitio virtus crimina ſæpe tulit.

Plerumque medici, ſcribit *Hildanus* 5. *obſ.* 86. *etiam fideliſſimi & optimi, graviter injuria afficiuntur ab iis ægris, qui veluti ſcortum meritorium quotidie novos Medicos adhibent. Res a. ita habet: Sæpe rationalis Medicus ægro medicamentum ex arte præſcribit, & per dies aliquot ea, qua fieri poteſt, diligentia exhibet applicatque, absque tamen ſucceſſu: ut enim ſemen terræ mandatum non illico germinat, nec ſtatim ſumptus cibus in ſanguinem abit, ſic quoque tempus requiritur, antequam medicamentum vires ſuas edere poſſit: Interim ſi imperitus aliquis ægro medicamentum aliquod, etiam ineptiſſimum exhibet, ac primo exhibitum tum demum vires ſuas exerit, ita ut convaleſcat æger, tunc primus ſanitatis autor infamia opprimitur, poſtremus laudibus ad cœlum extollitur, muneribusque ſplendidis afficitur.* Atque hoc ſuum aſſertum Medici cujusdam, Birckmanni, exemplo confirmat, qui cuidam ægro, ſpectato ſatis, per dies aliquot medelam ex arte fecerat, parvo cum ſucceſſu, dum poſtmodum ſub multam noctem alius medicus, Tilemannus, vocatus, ut aliquid feciſſe videretur, julepum ex aquis deſtillatis & ſirupo paratum exhibet: a quo æger ita allevatus fuit, ut Tilemanno altero die denuo viſitanti decem florenos aureos offerret, quod munus obviam facto Birckmanno oſtendens hunc ita allocutus fuerit: ecce Domine Doctor, Tu ſementem feciſti, ego meſſem.

An empirici præ medicis ingenuis plures ſanent?

Dum denique ad illa, quæ quotidie fieri putant, provocant minorum gentium homines, quaſi nimirum medicaſtri rudes minusque docti, eadem, ſi non conſpectiore, facilitate ægros a morbis gravioribus vindicent, præ his, qui in arte peritiſſimi & doctrina celeberrimi: In gratiam credulorum atque ineptorum advertere ſuadeo, ſicut in omnium rerum generibus, ſic in hoc quoque, experientiam fallacem

fallacem maxime eſſe. Attendimus in experimentis, quæ hypotheſi noſtræ favent, hæcque miramur & deprædicamus, negligimus aut fugitivo ſaltem oculo intuemur, & quaſi neſcire cupimus, quæ ab eadem declinant. Et ſic etiam in ſucceſſuum feliciorum ejuſmodi agyrtarum annotatione ac collectione noſmet fallimus, illos tantum obſervando ægros, qui ſub nugis eorum reconvaleſcunt, haud ſolliciti de his, qui priſtinam infirmitatem loco ſanitatis ſperatæ reportant, vel miſerioris conditionis ab ejuſmodi impoſtoribus recedunt. Contingit forſan, ſi diis placet, a medicaſtro unum vel binos, neſcio, qua occaſione, ex viginti advolantibus ſanari, fruſtra accedunt & abeunt eorum octodecim, vires ſuas valetudinarias ad tumulum usque lugentes: an hoc eſt, plures ab imperitis, quam peritis, ſanari? **Plures pereunt, pauci ſanantur.**

Ne multa exempla hujuſmet prærogativæ vanæ recenſere opus habeam, concipere modo mihi liceat impoſtorem, quem vicinia inter campi pecora alit, accurrere hunc minimos & maximos, ſtolidos, & qui his prudentiores videri geſtiunt, quorum poſtulatis ineptioribus ut faveat, & quidem utplurimum per curam ſympatheticam, modo induſia, modo capillos, modo ungues, urinam &c. ab iis petere, hosque poſt fraudulentas præſtigias, emunctas pecunias ac remediorum ineptorum commendationem, cum vana ſalubritatis ſpe ridentem aliquando & eludentem, dimittere. Fingere porro concedatur, petulantiam hominis hujus agreſtis adeo validum ſpirare magnetiſmum in medicos haud exilioris ambitionis, ut Magnatum quoque, fidei ſuæ concreditorum, valetudinem *Nebulonis* ejuſmodi nugis veſanis exponant, imo pro ſe ſuorumque liberorum affectibus remedia coram & per literas quam humaniſſimas rogent. Poſito denique nonneminem forte ab illo ſanatum, multos vero, quos ſtoliditate ſua ille faſcinavit, ſine pecunia & ſanitate receſſiſſe atque recedere, in *Nebulam* quorum ſpes tranſiit: i. e. frequentiam & numerum valetudinariorum, qui fores hujus pſeudo-medici quotidie pulſant, ingentem ac prodigioſum pronunciari ab his, qui peregrinationum ejuſmodi ſuperſtitioſarum comites extiterunt. Si ab his quæras, qui ab Æſculapio hoc villico ſanitatem reportarint, unum vel alterum ex centum nominari, qui eam glorietur, aut hujus ſpe potius lactatus revertatur, audies.

Deprædicant ſe ipſos & ab aliis deprædicantur empirici.

Sc. habent hoc fati ſingularis ejuſmodi deceptores, ut eorum medelas quilibet feliciores & exoptatiſſimi ſucceſſus deprædicent & inſtar portenti exclament, imo ipſimet operas ſuas aut phraſibus gloriabundis enumerant, aut per alios, qui iisdem colludunt, ediſſeri curant; gratam mentem nummis & multis in publicum laudibus declarant ab iis ſanati: non ſanati ſeu illuſi malunt cum propria ſtultitia medicaſtri errores ac fraudes occultare, ſilent prodigia hæc, ſibi quamvis funeſta, ne ludibrio hominum exponantur, mula mulam fricat. Alia plane ratione ſe res habet cum Medicis dogmaticis, qui, ut ut non raro dexterrime ac feliciſſime in affectibus gravioribus res ſuas agant, buccinatoribus tamen deſtituuntur, qui medelas has proclament, a jactantia ipſimet ſunt alieni, gratitudinis eorum, qui ſalubritatem iis debent, neſcii. Medetur febri in tribus vel quatuor ſubjectis dogmaticus, idem facit in unico empiricus; podagricum aut nephriticum paroxyſmum ſolvit prior frequentius, idem aliquando tantum præſtat agyrta: ſilent de ejus dexteritate omnes, hujus curam miris deprædicant encomiis, quaſi aliquid egerit peritiorum medicorum viribus impar: & ſic luditur de medicorum genuinorum exiſtimatione, dum rudioribus homuncionibus æquiparantur, pudet dicere, anteponantur. His ſors ſemel favens celebritatem ad cœlum usque conciliat, latent ſub umbra illi, quibus eandem ſortem pluries recenſere datur.

Medicorum facta ſilent omnes.

Artifex non poteſt agere per fortunam.

Prudentioribus vero quo pariter quoad negotium hoc ſatisfiat, quam abſurdiſſimum & ineptum maxime deprehendo, quod medicus, qui ſcopum ſibi præfigit ſanitatem, in mediis ad finem hunc conſequendum incertis, mancis & fortuitis acquieſcere queat, quia potius certioribus & artis regulis conformibus opus habeat, hinc talia norit & commode uſurpet: dum illum finem, quem per artem cognoſcimus, absque ejusdem artis præceptis nemo certo ſibi proponere, multo minus conſequi, poſſit. Et per conſequens haud apparet, quomodo, qui ſtatum ægri nec naturalem, nec morboſum, neque remedia idonea horumque virtutem & uſum intelligit, ſolius fortunæ volubilitate & blanditiis ductus, medicinam dextre faciat, cum artem ſine artis cognitione exercere impoſſibile ſit: quique remedium ſine ratione quærit, depromit atque propinat, incertus manet de

de hujus efficacia, ac an morbum hoc abigerit, quod juvaſſe videtur. Commendo interim contradicentibus & ſi morbos evadant, fortunæ ope & non auxiliis artis ſe hos evaſiſſe ajentibus locum *Hippocr. de arte t. 5. Ego vero non privabo quidem ipſe fortunam, tanquam nihil operæ pretii faciat; puto enim morbis, qui male curantur, ut plurimum infortunium accedere, qui vero bene, eos bonam fortunam nanciſci; Poſtea vero interrogo, quomodo poſſibile eſt, ſanatos aliud, quam artem, cauſari, ſiquidem ejus uſu & miniſterio ſunt ſanati. Nudam enim fortunæ ſpeciem eos reſpicere ac ſequi noluiſſe, ex hoc apparet, quod ſe ipſos arti concrediderint, &c.*

CAPUT III.
De Empiricis.

Quibus circa doctrinam ac peritiam Medici ſuppoſitis facile intelligere erit, quales *perſonatos tantum Medicos Hippocr. in Leg.* pronunciet, i. e. quos *Vulgus, per ruditatem ſuam, pro Medicis habet, & ignorantes artem exercent*, ſeu *Medici fama quidem ac nomine, re autem & opere minus tales.* Nempe imperitia ac peritia, ruditas ac erudito eſt, quæ Pſeudo-Medicos a genuinis diſcernit: de quorum illis non noſtrum tantum ævum, ſed ſuperiora quoque, v. g. Hippocratis, Galeni, olim tempora conquerebantur, hominibus per imperitiam ſummam ad ſummam audaciam evectis: quorum nomen *Tiraquellus de nobil. c. 31. n. 394* non inepte ideo a medio derivat, quod per medicos tales homines e medio tollantur; & quales illos Gallorum puto, de quibus olim Medicus quidam Lugdunenſis eruditus ac peritus jocabatur, Regem Hiſpaniæ plus debere Medicis illius nationis, quam Præfectis ac Ducibus copiarum ſuarum cunctis; nimirum quod illi plus popularium ſuorum, ſeu Gallorum, trucident, quam hi horumque cohortes. **Quid empirici?**

Scatet ejuſmodi Medicaſtrorum turba ſub Ciarlatanorum ſeu Charlatanorum, i. e. Erronum, Circumforaneorum, Agyrtarum, Empiricorum &c. nomine, non Italia tantum, quæ ideo provincia ſeu Patria Ciarlatanorum audit, ſed Anglia etiam, Belgium, Gallia &c. in **Sunt ubiq; terrarum**

in ſpecie metropolis hujus, Lutetia, in qua prodigioſum ſemper Medicaſtrorum confluxum poſt *Patinum Bernier Eſſais de med.* & alibi teſtatur, ac prior *lettre 117.* occaſione reformationis Notariorum, illum, qui Pharmacopœos, Procuratores, Prætores & Medicaſtros, quibus Gallia abundet, reformaret, publicum ſibi maxime devincturum pollicetur. Aſt de Germania noſtra haud inique vulgari proverbio copioſiſſimi. aſſeritur: *Plus eſſe medicaſtrorum in hac, quam muſcarum ſit in Armenia:* ſeu, prout non nemo ſcriptorum ait, *Copia paſſim Medicorum* (Medicaſtrorum) *Germania ita fere obruitur, ut vel Medico opus ſit, qui a Medicis illam purget;* vixque ullus terrarum angulus, qui non ab infectis his inquinetur. Quippe

Fingit ſe Medicum quivis idiota, Sacerdos,
Judæus, Monachus, Hiſtrio, Raſor, Anus,
Miles, Mercator, Cerdo, Nutrix & Arator,
Lamia, Decoctor, Pharmacopola, Magus.

Variæ conditionis homines medicaſtros agunt.

Qualem Pſeudo-Medicorum multitudinem, fraudes & hinc Reipublicæ exitium poſt *Rodericum*, Epiſcopum Zamoracenſem, in *Speculo vitæ human. Joh. Hartman Beyer in Nat. conſult. Medic. Langius epiſt. 2. Camerar. memorab. med. cent. 1. part. 52. Freitag noct. med.* aliique infiniti, & quidem poſterior c. 3, innuunt his verbis: *Inter cæteros, quorum uberrima in gente noſtra eſt annona, empiricus unus vel alter eminentiſſimi tanta impunitate, iis falſimoniis, fraudibus & impoſturis, miſerorumque homicidiis & cladibus artem medicam medicaſtri flagitioſiſſimi, pauperum & ſimpliciorum medullam & ſanguinem ſorbentes, profitentur & fraudulenter exercent; atque id impune, impune, inquam, ſuggerentibus ipſis neceſſaria & colludentibus Pharmacopœis. Qualem, quæſo, dices eſſe Medicum, qui tot metamorphoſes perpeſſus, ut ex Sutore factus ſit Balneator, ex Balneatore Caupo, ex Caupone Textor, ex Textore Coctor cereviſiarius, ex Coctore Magus (quo nomine aliquando in carcerem conjectus & vix a capitis ſententia liberatus) ex Mago Medicus ſc. & Impoſtor perdidiſſimus.* Et porro: *Cæterum eo res reducta eſt, ut e fece & ſentina hominum perdidiſſimi ad reſtim navimque, luxu, alea, ſcortillis aliisque inhoneſtis artibus redacti, hanc anchoram, hoc aſylum (nulla ſiquidem eſt hujus ſceleris paſſim locorum ſevera coërcitio) fidenter arripiant, eoque nefarie in calamitatem ægrorum, fraudem Doctorum*

rum Medicorum & peſtem Reipublicæ uti annitantur ac permittantur. Nullus tam ſtupidus Phormio eſt, vel Davus, qui fruſtra, omnibus vitam tuendi rationibus tentatis, demum non profiteatur Medicinam. Dic, ſodes, quis pagus adeatur, ubi vel ipſe paſtor, vel æditous aut faber, vetula, caupo aut ſagi ſagæque medicinam non exerceant? ut ſileam innumeros Pſeudo-Chirurgicos ibi paſſim deliteſcentes: quis non ſanguinarius Carnifex putatur eſſe Medicus, quod facineroſos mactet?

Atque hoc quidem audent Sociorum ejuſmodi plerique jure quaſi poſſeſſionis & quod ſe Spartæ huic idoneos ſatis æſtument: ita quidem ut, ſi hujus injuſti & temerarii attentati admoneantur, injuſte ſecum agi putent, variiſque ineptiis, frequentius ſumma rerum inopia, temeritatem ſuam propugnare annitantur. Memini quippe, proximis annis Studioſum quendam Theologiæ & Ludimagiſtrum, qui torum conjugalem præpropere conſcenderat, quæſitum a magiſtratu, cur Medicinam faciendo falcem in alienam meſſem mitteret, petulanter reſpondiſſe, man werde ihm ja ſein Bißgen Brod nicht nehmen. **Nolunt ſe in poſſeſſione turbari.**

Hos autem Medicaſtros obſervamus duplicis claſſis, ſc. vel in publicum & ſcenam prodeuntes, & per compita, vicos, oppida, provincias ac Regna vagantes, quos ideo Errones, Circumforaneos, Cerdones, Circulatores, Saltibancos, Marckſchreyer ꝛc. appellant: vel tenebriones illos autodidactos & ſciolos, qui his peritiores & honeſti magis videri volunt, plus minus latentes, ſedem fixam aliquando in pagis & urbibus colentes & peritia medica aut omnino nulla aut leviore tantum, inſtructi; qui auſu tamen temerario ſatis medicinam clam palam exercent, & ex calamitate infirmorum, Medicorum genuinorum cavillationibus, fraudibus ac detrimento, uno verbo ex Reipublicæ damno, victum & amictum ſibi quærunt. **Duplicis claſſis.**

Quorum priores a Legibus publicis infames declarantur, v. g. *L. 1. ff. de his, qui not. inf.* utriſque autem, quia negotium periculo plenum temere ſuſcipiunt, cum nihilominus, monente *Cajo l. 8. idemque juris*, §. *mulionem 1. ff. ad Leg. Aquiliam* affectare quiſquam non debeat, in quo intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem ſeu inſcitiam ſuam aliis periculoſam futuram, & juxta *Ulpianum L. Illicitas 6.* §. *ſicut 7. ff. de offic. præſid. & L. ſi ſervus 27.* §. *ſi calicem 29.* **Empirici quidam infames.** **Cuncti pœna afficiendi & removendi**

 quicquid

quicquid per imperitiam illi commiſerunt, imputari debet. Quemadmodum olim non, niſi a Magiſtratu electos ac approbatos medicinam exercere potuiſſe, *Carrarius de Med. & illius offic. p. 3. §. 1. 9. & 11.* perhibet, cui *Ann. Robertus rer. judicatar. lib. 1. c. 5* adſtipulatur, it. Imperator *Carolus V. conſtit. criminal. artic. 134.* Qualis idem Imperator &, annotante *Boudewyns ventilabri med. theol. part. 2. quæſt. 4.* aliique Brabantiæ Duces variis legibus atque edictis caverunt, ne quis Medicus ad praxin admitteretur, qui in Univerſitate quadam gradum ad munus Licentiæ non ſit adeptus, illaque laudabiliſſima edicta Anno 1659. ab Antwerpienſium Magiſtratu de novo promulgata fuerunt.

per leges publicas.

Quos ſecuti Principes Imperii diverſi in ſuis Conſtitutionibus ac Legibus provincialibus, v. g. *Würtebergenſes*, Landes-Ordnung *tit. 5.* Alle und iede / ſo in der Artzeney nicht ordentlich ſtudiret / noch ihrer Geſchicklichkeit von der Univerſität ſondere Zeugniſſe oder mitgetheileter Graduum gnungſame Uhrkund haben / ſollen ſich in unſerm Hertzogthum / ohne unſere Erlaubniß und Zulaſſen / Leib-Artzeney zu üben und Artzeney zu geben / gäntzlich enthalten. Item *Saxo-Gothani*, Lands-Ordnung *tit. 6.* Wir wollen ernſtlich und nicht allein bey nahmhaffter Geld- ſondern auch / nach Gelegenheit / ſchwerer Leibes-Straffe / und hieneben ſonderlich bey Verluſt alles deſſen / was zu dergleichen Curen gehörig / gebieten / daß niemand / wer der auch ſeyn mag / ſich unterſtehe / den Leuten weder um Geld / oder Geldes werth / Geſchencke oder Verehrung / oder auch umſonſt / Artzeney in den Leib zu geben / auch die Obrigkeit / ſonderlich Räthe in Städten / keinen / der ſich Artzeney-Eingebens gebrauchet / unter ihnen dulden rc. Quemadmodum nec Saxonia noſtra ejusmodi Erronum ſeu Medicaſtrorum coërcitionibus deſtituitur, dum Sereniſſimus Elector & Dux Saxoniæ, Auguſtus, p. m. An. 1580. Lipſienſem & VVittenbergenſem Facultatem Medicam juſſit, fleißige Auffſicht zu haben / daß das practiciren und Krancke zu curiren nicht ohne Unterſcheid iederman / ſo der Artzney zum öfftern unerfahren / und kein Teſtimonium publicum erlanget / ſolte verſtattet und zugelaſſen werden: quod itidem voluit Chriſtianus primus p. m. in Conſtitutione 1588 promulgata, wie es auff der Univerſität Leipzig mit Lehr / Diſciplin,

plin, &c. His verbis: Uns gelanget an/ welchergeſtalt etzliche Magiſtri und andre/ ſo gar keinen Gradum haben/ in der Stadt und auff dem Lande bey euch zu curiren ſich unterſtehen ſollen. Damit nun ſolches zu treiben nicht iederman/ ohne Unterſcheid/nachgelaſſen/und die Gefahr und Schaden/ ſo den Patienten hieraus erfolget/verhütet und abgewendet werden möge/ ſo wollen wir/ daß hinführo die Practica in der Medicin allein den Doctoribus und Licentiatis Medicinæ, und nicht denen Magiſtris oder auch andern verſtattet werden ſoll/ ſie hätten denn von unſerer Univerſitäten einer ꝛc. Quales Conſtitutiones in Viſitationum Academiæ noſtræ decretis non tantum, in ſpecie de Anno 1616. & 1658. ſed in ſtatutis pariter Facultatis noſtræ, reiteratas legimus, *ſtatut.22. de Doctoribus inhabilibus ad Facultatem, praxin tamen hic exercentibus, & Statut. 23. de Circumforaneis & Empiricis*, nimirum ut Doctorum alibi promotorum nullus praxin hic exerceat, niſi prius de ſua Promotione publica & legitima Decanum & Facultatem per exhibitionem authenticæ docuerit &c. Empiricorum vero nulli, niſi in quo Decanus & Conſilium Facult. Med. peritiam deprehenderit & probaverit ejus, quod inſtituit ſeu pollicetur, medicinam facere, aut medicamenta vendere, vel ægrotos medendi cauſa adire, concedatur.

Et mirum profecto eſt, imo ſtuporem incutit, quod vitam & ſanitatem ejuſmodi Medicaſtris concredant homines ſanæ mentis, ſociis nempe novis, incognitis, imperitis, mulierculis quoque, quos clanculariè tantum agere, & publico potius edicto ejiciendos ac expellendos norunt, præ Medicis notis, bonæ famæ & eruditis, ſicque ſpem ſalutis incertam, imo mortem, ab iis pretio emant: cum neminem adeo ſtultum arbitrari liceat, quin, ubi alteri aliquid mandandum foret magni momenti, ejus rei peritum atque gnarum maxime ſedulo perquirat. *Nullus eſt*, inquit, *Thurrianus qui ſuos agros villico, ruſticarum rerum inexperto, nullus, qui ædificationem alieniſſimo ab Architectura, nullus, qui pecuniæ procurationem & diſpenſationem hujuſmodi rei imperito commendet.* Sane, qui in deſperatis morbis circumforaneos & agyrtas implorant, ſimiles ſunt naufragium paſſis, qui ex anchoræ amplexu ſalutem ſibi pollicentur: cum ejuſmodi hominum temeritas vagæ tantum empiriæ innitatur, quod carnifi-

Male agunt, qui ejuſmodi hominibus valetudinem concredunt.

cum eſt, qui artem ſuam ſola pariter experientia addiſcunt. Id eſt, Medicaſtri omni deſtituuntur doctrina, quales cum *Eunucho* quærere liceret, *quomodo ſcire poteris, cum nemo te docuerit? Mira res eſt*, ſcribit *S. Hieronymus*, *Fullones, metallarios, fabros, lignorum cæſores, ipſa quoque vilia opificia exercentes, absque Doctore eſſe non poſſunt, nec experiri audent, quæ non noverunt: ſola eſt medendi ars, quam ſibi paſſim unusquisq; vendicat, &c.* Et quod in his ſimilibusq; artibus mechanicis, etiam infimis atq; ſordidis, exacte obſervari ſolet, ut, qui aliquam earum exercere cupiunt, omni prius ſtudio examinentur & ſpecimina ejus congrua edant: id in arte omnium nobiliſſima, cui corporum ſalus eſt commiſſa, negligitur. Dum adeo levis ac facilis cenſetur, ut nullum ſub magiſtro requirat exercitium, aut tam vilis, ut, quæ vel minimis rebus impenditur, ei uni non impendatur, ſedulitas; & per conſequens infelicior hominum conditio videri poſſit, quod ipſorum vitæ minus, quam aliis extrinſecis & ſæpius nullius momenti rebus, proſpectum atque cautum ſit.

Empirici ſunt homines imperiti

Habentque proin, advertente *Freitagio*, etiam hoc cum carnifice poteſtatis commune Medicaſtri, homines videlicet accepta mercede occidere, atque ex homicidio, unde ſupplicium leges cunctis ſtatuunt, præmia capere. Hoc ſaltem intereſt (monente *C. Agrippa*) quod Carnifex non, niſi ex judicum ſententia, interimat facinoroſos, iſti vero rudes veteratores, ſub prætextu & perſona medici, præter omne judicium perimant etiam inſontes. Ridendo verum dicit de illis *Phædrus Fabul. Æſop. lib. 1. fab. 14.* occaſione Veteramentarii ſeu Sutoris imperitioris, qui, cum ex Opificio ſuo amplius vivere non potuerit, Medicinam facere præſumebat.

& temerarii.

Malus cum ſutor inopia deperditus
Medicinam ignoto facere cepiſſet loco,
Et venditaret falſo antidotum nomine,
Verboſis ſibi acquiſivit famam ſtrophis.
Hic cum jaceret morbo confectus gravi,
Rex urbis, ejus experiendi gratia,
Scyphum popoſcit: fuſa dein ſimulans aqua,
Antidoto miſcere illius ſe toxicum,
Hoc bibere juſſit ipſum, poſito præmio.

Timore

Timore mortis ille tunc confeſſus eſt,
Non artis ullæ Medicum ſe prudentiæ,
Verum ſtupore vulgi, factum ſe nobilem.
Rex advocata concione hæc addidit:
Quantæ putatis eſſe dementiæ,
Qui capita veſtra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiſerit pedes.

Inficiari nemo poterit, temerarios ejuſmodi non raro juvare fortunam, horumque remedia aliquando auxilium deſideratum præſtare: Jactant fortunam. Aſt nolo impræſentiarum fortunæ fallacis & caſus recenſere, regero tantum, unde tibi tu nunc promittere poteris Deam illam propitiam? fortuiti caſus, in natura perinde ac arte ſubinde evenientia monſtra, regulas medicas ſicut non conſtituunt ſeu formant, ita nec turbant, ſeu infringunt, i. e. juxta Auſonium:

Qui ſi emerſerunt,
Evaſere quidem fati ope, non Medici.

Seu, *ut Ariſtoteles 5. metaph. 2* loquitur: *Fabrum ſanitatem feciſſe, accidens eſt, quoniam non eſt aptus ad ſanitatem faciendam faber, ſed Medicus.* Numerentur & computentur funera quoque ac infirmi illi, qui aut nihil opis ab agyrtis ejuſmodi perceperunt, aut in deterius etiam conjecti fuerunt: horum numerus reconvaleſcentium tabulas longe ſuperabit, ſeu abſorbebit, prout *cap. 2* prolixius *diſſerui.* Nonne periti ac genuini Medici quotidie infirmos ſanant varii generis ac pathematis? quia tamen deſtituuntur geſtorum ſuorum buccinatoribus, imo hos formidant, illorum miracula horum medelis dogmaticis prævalent. Gloriatur v. g. Empiricus de Electuario antifebrili, medetur etiam per hoc febribus, non vero ambitioni & avaritiæ propriæ; medentur alii Medici per Corticem Peruvianum, aliave appropriata febribus pariter, ſine illo Electuario: quid paradoxi, quæſo, ſuberit medicinæ illius præ horum remediis; niſi quod de illa lucri cauſa ille multum jactitet, reliqui ſuis modeſtius & ſine ſtrepitu utantur. Æſtimantur non raro a vulgo pragmatici forenſes meri, fundamentis juris deſtituti, & qui per experientiam tantum aliqualem, eamque ſuperficiariam ſatis, cognitionem aliquam ejus ſibi compararunt, quos quia, quæ Legibus pulchre conſtituta

 ſunt,

ſunt, corrumpere & depravare, *Ciceronis* jamdum querela fuit, cauſidicos & rabulas degeneres atque JCtorum ſimias ajunt prudentiores: cur noſtris ſimiis vanam & levem ex plebis applauſu invidebimus gloriam?

Cauſæ empiricos foventes.

Quærerem potius, quæ cauſa hujus calamitatis, niſi mox obviam foret *Pattin lettre 118. c'eſt la faute des juges, qui les* (agyrtas) *ſuffrent*, adeo quidem ut de Officiali quodam Regio eminentioris Ordinis & Nominis *lettre 149* ſcribat: *Il eſt mort de la main d'un Charletan, lui même, dont la charge eſtoit de chaſſer cette ſorte des gens &c. & Ab. Fritſch. medic. pecc. c. 1. In culpa autem ſunt Magiſtratus, qui vagam ac publico pernicioſam licentiam medicandi non coërcent, & ἀπαιδέυτες ac veræ artis protinus ignaros impoſtores e Republica expellunt.* Nemo ad praxin Juridicam ſeu forenſem hodie facile admittitur, niſi tentatus & examine comprobatus: cur graſſari patiamini in corpora veſtra & veſtrorum tot agyrtarum temerariam inſcitiam? *Cur ſutori*, ait *Freitagius Noct. med. c. 12. vel alii, qui ſartoriam non didicit, aut eam exercendi jus ſibi non comparavit, in civitate non licet eandem exercere? cur id & ſimilia tam ſtudioſe prohibentur, & interim cuilibet, etiam ſtupidiſſimo, artem Medicam exercere fas ſit, ex cujus uſurpatione ab ignaris tantum impendet periculi, & cujus recte exercendi & docendi privilegium Imperiali autoritate ſolis doctis & Doctura jus obtinentibus confertur?*

Suffulcit hanc Superiorum conniventiam & ut criſtas agyrtæ alacrius erigant, facit ſine dubio vulgi ruditas, *qui tales pro Medicis habet, qui non ſunt.* Niſi enim impoſtores ejuſmodi noſſent homines variæ, imo non raro ſpectatioris, conditionis ſe ſtupidiores & torpidioris judicii, qui ad ſolum myſterii ſeu ſecretioris remedii, quod jactant, auditum ſuam medelam poſcerent, temeritas eorum brevi & ſponte corrueret. Meminique magnæ ſimplicitatis ac ruditatis empiricum, cum aliquando penes Virum eruditum ac prudentem praxin ſuam deprædicaret, in ſpecie, quod demens aliquis medelæ ſuæ ſe ſubmiſerit, ab hoc reſponſum tuliſſe, niſi demens eſſet, qui medelam a te expectat, Medicum te nunquam voluiſſet. Verum Medicos ipſos quoque ejuſmodi ſuis ſimiis aliquando, aut conniven-do, aut hos advocando, imo ſuorum medelam committendo, in con-

ſilium

ſilium trahendo, cauſam dicere, res ſtuporis plena, & omnem fidem ac rationem ſuperat: Vera tamen eloquor, pharmacopolas v. g. opifices etiam, opiliones, ſecreta ſomniantes, a parvis æque, ac magnis Medicis Magnatibus ac ſubditis commendari. Quare? non aſſequor: forſan per eorum ignorantiam, aut, quod deterius ac toti arti turpe, per abblandiendi libidinem &c. Et ſic perditio noſtra eſt ex nobiſmetipſis.

Egi hactenus ſub terminis generalioribus contra Medicaſtros, inter quos Pharmacopolas, qui ægrorum medelam ſuſcipiunt, & ſive eosdem viſitando, ſive pharmaca, ſub quocunque (niſi ſummæ neceſſitatis) prætextu, porrigendo, ſingulares compoſitiones & ſecreta jactando, his paradoxas virtutes adſcribendo & per mundum circumforaneorum ſtylo exclamando, medicinam exercent, numerant Medici omnes, v. g. *Camerarius memorab. med. cent. 1. part. 52. Rod. a Caſtro Med. Pol. l. 2. c. 4. Primeroſ. de error. vulgi in medic. l. 1. c. 3. Freitag. Noct. med. cap. 20. S. Pauli de Offic. medic. pharmac. & chirurg. Boſſelius amalth. medic. polit. appar. 3. c. 17.* Succenſent equidem his valde, qui pſeudo-medicos eos ajunt, & facultatem faciendi medicinam eis dubiam reddunt, pharmacopœi: aſt illi non ſine legum publicarum autoritate & tutamine hoc faciunt, v. g. Imperatoris *Caroli V.* edicti de Anno 1540. *Ne quis apothecarius ægros viſitet, aut illis absque Medici conſenſu medicamen porrigat. Ordinationis Bavaricæ provinc. 3. tit. 11. artic. 3.* Es ſollen die Apothecker vor ſich ſelbſt und ohne Erlaubniß der Doctorn ſich nicht unterſtehen die Leute zu curiren/ ſelbſt Recepte zu ordnen/ und das Amt eines Doctoris zu gebrauchen. Cui parallelæ obſervantur, die Heßiſche Medicinal-Ordnung 1617. Leipziger Apothecker-Ordnung 1669. Riegauiſche Apothecker-Ordnung *ac Conſtitutiones medicinales Brandenburgicæ.*

Pharmacopœi medicinam facientes ſunt empirici.

Atque hæc quidem non ſine fundamento ſancita eſſe, rationes varii generis oſtendunt, omnes tamen in eo collimantes, ut, dum Medicus, notante *Sattlero diſſert. de jure & privil. Med. perſona a Republ. per inſignia Doctoralia approbata eſt*, nemo Pharmacopolarum ſe talem venditare valeat: Hinc licet dolus directo in hoc abſit, tamen per culpam & imperitiam in eum redundet, dum ſe immiſcet rei minime ad ſe pertinenti, *ff. de regul. jur. l. 137. §. eod.* ſcil. in difficultatibus

cultatibus hominum, ubi minime vagandum *L. illicitas 6. §. ſicut 7. de offic. præſid.* pharmacopolam, qui medicinam ullo ſuperius explicatorum modorum exercet, limites artis ſuæ ambitioſe ac frivole tranſilire, & negotium hoc, nunquam ſine culpa affectare, recte concluditur.

Pharmacopolarum ars eſt mechanica.

Quippe primo Pharmacia equidem Medicinæ pars, non vero totum hujus, eſt; utpote quæ plura & majoris momenti involvit. Deinde Pharmacia, prout in tabernis pharmacopolarum addiſcitur & exercetur, ars mere mechanica eſt, ut ex *Carrario de med. & illius offic. part. 3* conſtat, ipſaque ſana ratio dictitat. Quatenus pharmacopola, quando ſeligit, præparat & componit medicamina, ſecundum præſcripta & formulas medicorum, finem ſuum ultimum aſſequitur; neque ſollicitus eſt, vel eſſe tenetur de medici fine, ſive medelam morborum, ſive ſanitatem, hunc dicas: terminatur ejus actio in ſelectu v.g. rhabarbari boni & integri a corrupto & caſſo, trituratione corallorum, parando decocto, extrahenda eſſentia, deſtillando ſpiritu, & miſcendo electuario, componenda potione, formando ſuppoſitorio &c. uſum & applicationem ad morbos Medico præſcribenti reliquit. Dum medicina ars obſervatur magis ſcientifica, & ſi non filiarum juxta *Voſſium de Philoſoph.* certe juxta *Tertullian. de anima*, ſororum, philoſophiæ naturalis facile princeps, ſeu phyſices operativæ partium præſtantiſſima, eſt: unde ſane plus peritiæ involvit ipſa pharmaceutica, prout ſc. hæc miniſtra, non pars, eſt Medicinæ. Et miror, modo allegatum *Voſſium*, poſtquam *cap. 8* dixerat, ſe inferius, *cap. nempe 10.* chirurgicam & pharmaceuticam artem traditurum, non ut partes medicinæ, ſed ut hujus miniſtras, nihilominus indigitato loco pharmaceuticen deſcribat, quod medicamentis vel intus asſumptis, vel foris admotis, medeatur: quod medicorum, non pharmacopœorum eſt, ut modo diſſerui. Paradoxa equidem hæc pharmaciæ in medicam & mechanicam diſtinctio videri poterat trivialibus inſtitutionum compilatoribus: quam nihilominus naturæ rei congruam deprehendent a præjudiciis alieni. Hinc certe aliud eſt, inſtrumenti cujusdam præparationem noſſe, aliud noſſe genuinum ejus uſum, ſeu hoc dextre adminiſtrare. Tertio haud ſequitur, gaudent bonis medicaminibus Pharmacopœi, E. commode hæc

hæc applicare ſciunt: perinde ac non quilibet, qui equum generoſum tenet, equitem, multo minus equiſonem, ſe jactare valet; novaculam, modiolum, forcipum & forficum quam aptiſſima genera qui cudit, de tonſoris & Chirurgi peritia ideo gloriari nequit; gladium, haſtam qui conficit, gladiatorem ſi ſe venditaret, riſui omnium ſe exponeret; nec coriarius materiam calceis conficiendis præparans ſutoris opificium profitetur: præſcribere E. & formare medicamenta toto etiam cælo differunt. Et per conſequens, ſicut inter artes mere magisque mechanicas una obſervatur, quæ ſecurim, ſcalprum, terebram parat, alia, quæ lignis diſcindendis, lævigandis, perforandis hæc adaptat; alia, quæ clavos figit, alia, quæ aſſeres mediantibus his compingit; chartam facit chartarius, cui literas inſcribit typographus, hisque exprimit non ſui, ſed eruditioris animi, ſenſa: ita longe quoq; differunt, qui Clyſterem præſcribit, nunc emollientem ſeu laxantem, nunc conſolidantem & adſtringentem, & qui eundem parat atque applicat Seplaſiarius, cur ſeu quem in finem injiciendus, neſcius, niſi ſutor ultra crepidam & Apothecarius, per commune adagium, extra pyxidem ſapere velit.

Sunt artis medicæ imperiti.

Quibus quarto accedit, quod præſcripta a Medico mutare, & in his unum alteri ſubſtituere, ab omnibus Legibus publicis Pharmacopœis interdicatur, quod hoc ultra ſphæram & peritiam eorum ſit: Quibus igitur in remedio aliquid mutare integrum haud eſt, quomodo Medico, Naturæ miniſtro, parem ſe gerere poterit faſtu & avaritia turgeſcens ejus, non naturæ, miniſter; cum nefas ſit, admonente *Boſſelio l. a. cap. 17. Miniſtrum agere Medici actiones.* Nimirum ſicuti Pharmaceutica ars Miniſtra eſt Medicinæ, ſic Medici miniſter ſeu amanuenſis eſt Pharmacopæus, ſimili modo, ac *Galenus 2. de ſanit. tuenda cap. 17.* Pædotribam Gymnaſtæ & Coquum Medici miniſtrum pronunciat. Quinto, quod potiſſimum ignari ſint artis medicæ Pharmacopœi, perinde ac medicaſtri omnes; quod huic addiſcendæ nunquam vacarint, nec ejus doctrinam ulli unquam legitime comprobandam dederint: i. e. artis fundamentis neceſſariis deſtituti in Rempublicam pro veris Medicis ſe ingerunt, affectando ſeu exercendo hoc, in quo imperitiam ſuam aliis periculoſam futuram in conſcientiæ foro convincuntur. Qualis quidem auſus ſexto

Miniſtri ſunt medicorum,

Ignari artis medicæ.

in temerariis ejuſmodi majorem reprehenſionem meretur, quod vigore omnium Conſtitutionum publicarum non admittantur ad ſui muneris & Artis Pharmaceuticæ exercitium, niſi ſuam in hac peritiam Medicis ac Pharmacopœis peritioribus comprobarint & teſtimoniis avthenticis docuerint, jubentibus hoc *Conſtit. Medicinal. Haſſiac. c. 10. & Ludovic.* von Hornigk, *Pol. Med. tit. 6.* niſique magiſtratui juramento fidem promiſerint: præſumant nihilominus medicinam facere, cujus fundamentorum ſpecimen nullum unquam dederunt, teſtimonia publica exhibere nequeunt, nec juramento Medicinæ ſe addixerunt; quæ cuncta tamen præſtare tenetur & præſtat omnis Medicus genuinus. Inepta temeritas! *Addo ego*, ait *S. Pauli de Officio Medic. Pharmac. & Chirurg. decorum eſſe, unumquemque manere in ſuo ordine, apud Lucianum alicubi legi, Platonem etiam velle, unumquemque ſua in Republica agere debere. Sic Medici eſt, dignoſcere morbum, imperare commodam diætam, demum medicamenta præſcribere,* v. g. Clyſterem, *quod pharmacopœi non eſt: Sed cujus eſt, eum miſcere, ut fiat clyſter, mox eundem paratum, exquiſito oculorum ſenſu, veſicæ bubulæ inditum, explorare illius attemperatum calorem, poſt dein eundem l. a. intrudere, congruenter decenterque, minime vero illius explorare pulſum, urinam inſpicere; cujus neque eſt apud profanum vulgus de morbi cauſis diſſerere, multo minus ægris mederi. Sic Pharmacopœi non eſt præſcribere Medicamenta, cujus neque eſt Mercurium ſublimatum, Arſenicum, Euphorbium poſcentibus ignotis emptoribus divendere, &c.*

Chirurgi internis morbis non medeantur. Præ Pharmacopœo plus ſcientiæ Medicæ quamvis ſine dubio teneat, aut tenere debeat, Chirurgus, ſi nomen ſuum operi reſpondere ambiat, huic nihilominus pariter non tantum a Medicis Patavinis, ſi forſan ab his Licentiam petierit, ut negotio intrinſecus medendi imperito, in Privilegio, Pharmaca per os ægris dare & Phyſici munus unquam obire interdicitur, imo ad hæc ſancte cuſtodienda ille juramento obligatur: ſed in noſtratium quoque Chirurgorum Examinibus, & dum Magiſtri ſuæ artis creantur, ne, niſi in caſibus neceſſitatis, per interna remedia affectibus internis magis mederi audeant, prohibetur. An hujus ſui officii & jusjurandi ſemper memores exiſtant, diſquirere nolo, cum penes nos & hactenus ad minimum ſatis modeſtos ſe gerant noſtrorum plerique: quippe ſecus qui agunt, perſonatos

ſonatos Medicos ſeu medicaſtros pronunciant jura, juramentum præſtitum ſeu conſcientia propria & ſana omnium Prudentum ratio.

Tria ſaltem aſſequi nequeo, nimirum primo, quomodo & cur olim factum, ut iisdem Chirurgis, qui omni jure ab affectuum p. n. per medicamenta interna medela removentur, cura nihilominus binorum graviorum morborum, Scorbuti nimirum & Luis gallicæ, ita concedatur, ut de his in Examinibus publicis, vi ſuorum ſtatutorum, etiam reſpondere teneantur? Unde evenit, ut eorum nonnulli ad tantam protervitatem elati fuerint, ut nominatos affectus ſoli curandos non modo ſuſcipiant, ſed, quaſi ad Medicos minime ſpectarent, temerarie propugnent. Alterum, quod in Chirurgis vituperandum, & arrogantiæ, levitatis ac præcipitantiæ, effectus eſt, ideo medicaſtris pariter adſcribendis, dum aliquando in affectibus, quorum medela ad ſe ſpectat, ægros non tam ad Medicum ablegant, ut ab hoc, quid agendum, petant, quam ut utrique horum quaſi præſcribant, indicationes forment, remedia inveniant, nimirum purgandum eſſe, ſudoriferis opus &c. ut juſſa eorum potius exequatur Medicus. Tertium, quo muneri atque autoritati Medicorum detrahunt Chirurgi, non horum, ſed Legislatorum potius quorundam, culpa fit, qui horum in deponendo ſuper Vulnerum Lethalitate ſimilibusque fidem ac peritiam Medicorum peritiæ parem, nedum hac majorem, voluerunt: dum Chirurgorum vel Tonſorum judicio aut tantum ac præ Medicorum, aut horum depoſitione vel plane non, vel, niſi concurrentibus & conſentientibus Chirurgis, ſtandum eſſe, juſſerunt; quamvis nonnullos JCtorum ab hac ſententia receſſiſſe, in propatulo ſit. Quia tamen de hac re in parte ſecunda prolixius agam, illius paradoxi ulteriorem evolutionem impræſentiarum detrecto, hoc tantum ſubnectens: Tunc temporis & cum leges hæ conderentur, aut Medicos in re Chirurgica fuiſſe rudiores juſto, cujus tamen contrarium ex horum commentariis apparet; aut quid Medicina, quid Chirurgia, ignoraſſe Legislatores, & ad hanc usque diem ignorare eorum interpretes, quod officio Medicorum præter omnem rationem derogent, inſciorum vero & tantum non invitorum Chirurgorum humeris onus impar imponant.

Male ipſis conceditur ſcorbuti & luis venereæ medela.

Chirurgi temere aliquando præſcribunt medicis.

Ad deponendum de vulnerum lethalitate minus apti.

Atque hæc de Medicaſtris diſſerere argumentum dicendi præ-

Etiam inter Doctores medicos empirici reperiuntur.

ſens juſſit, ubi de Medicorum munere diſquirendum mihi erat; modo inter hos non ſimilia illis reperirentur monſtra & rerum medicarum quam maxime rudes homunciones; poſtquam ipſummet *Galenum* duplex medicorum genus notaſſe legimus, unum illorum, qui mere empirici ſunt, alterum eorum, qui levi ac brevi tantum inſtitutione academica tincti, famam tamen multæ ſcientiæ anhelant. Quam autoritatem majorem quo ſibi concilient, exigua eruditione ac pretio multi eorum honores ſeu gradus academicos redimunt, quamvis hinc minus doctiores redeant: Ut penes ſagaciores & cordatos Viros integrum manſerit inter Doctorem Medicum ac Medicum eruditum diſcrimen; quod tamen ſine injuria ſit dictum. Pro me loquentur & injuriarum actionem declinabunt Medici duo, magnæ autoritatis & fidei, *Bruno* nempe *Seidelius de Morbis incurabil. ac Primeroſius de errorib. vulg. in Med.* uterque cauſam hujus ignorantiæ cordate explicans. *Prior. p. 69.* poſtquam de Medicis imperitis egerat, his verbis: *Hujus mali cauſa & culpa non poſtrema in Academiis hæret, quæ titulos & dignitates tribuunt interdum ineptiſſimis &c. Poſterior* quia peculiari & integro *cap. 2. de Doctoribus Medicis*, adeoque prolixius, eam recenſuit, in chartam de charta hanc transſcribere nolo. Imo ſi hac de re in jus raperer, Patrocinium ſpondet & cauſam geret *JCtus Joh. Chriſtoph. Walther. de ſtatu, juribus & privileg. Doctor. cap. 12. §. 73.* ubi medicos quosdam gradus ſeu titulos ex largitione emere tradit, perinde ac cap. 11. §. 63. penes JCtos quoque aliquando fieri docuerat. Favorem demum Judicis in hac lite mihi pollicetur juſtitia cauſæ, & ejuſmodi idiotarum notoria frequentia.

CAPUT IV.

De
Decoro & moribus Medici clinici.

POſtquam de doctrina ſeu peritia Medico neceſſaria, i. e. quæ callere hunc fas ſit & qua ratione artis fundamenta ſibi comparare debeat, ſuperius dixi, tempeſtivum nunc erit, prudentiam ſeu decorum in Medicina facienda obſervandum explicare. Atq; hoc non

non illud tantum, quo ab infirmo & adſtantibus confidente gratoque animo excipiatur, ſeu *penes vulgus opinionem captet*, hic, quod etiam medicaſtrorum eſt; dum juxta *Hipp. Leg. Vulgus per ruditatem ſuam tales pro Medicis habet, qui non ſunt*, ſeu, ut idem de *vict. acut. t. 3.* ait, *Idiotæ non valde cognoſcunt eos, qui in his aliis præſtant, aliarumque curationum magis aut laudatores, aut vituperatores, exiſtunt &c.* ſed, quod potiſſimum forſan, quodque idem *Hippocrates 6. epid. ſ. 2. œconomiam ſeu adminiſtrationem circa ægrotantes* ait, *& per quod, explicante Galeno comm. a. l. medicinalibus, quæ didicit, præceptis, utatur*; ut ſi non plebecula, rerum medicarum ignara, peritiores tamen atque prudentiores, Medicum dextre ac perite egiſſe, pronunciare habeant.

Decorum medici quod?

Contigit, ut *cap. 2* dictum, præ cæteris artibus, liberalibus æque ac opificiariis magis, hoc Medicinæ pernicioſum &, qui eam exercent, calamitoſum, fatum, ut cujusvis ac minus competentis judicis ſententiæ ſe ſuaque facta ſubmittere adigantur, & rudiores plus, quam ſapientiores, licentiam, neſcio, qua temeritate ſeu libidine, de his judicium ferendi ſibi præſumant, coram palamve hoc fiat: cum alias nihilominus, nec de crepidæ ſeu calcei fabrica præter ſutorem ullus ſententiam dicere audeat, & hoc immunitatis atque autoritatis etiam viliſſima opificia gaudeant, *Peritis in arte eſt credendum.* Aſt, bone Deus! quam moleſtam ridiculamve nos noſtraque dicta ac geſta quotidie popellæ imperitioris, garrularum quoque atque ineptarum fæminarum, non experiuntur præcipitantiam? quarum cenſura impertinens & loquacitas inconſulta Medico plus ſæpe, ac ipſemet æger, tametſi aliquando ſatis moroſus, & morbus gravis atque pertinax valde, laboris ac tædii creat, per quam non tantum eum bene vel male cum hoc illove ægrotante egiſſe, decidere, ſed omnem inſimul ejus peritiam & eruditionem cenſere, audent. Ut plus ſæpe ille ſollicitus eſſe teneatur, non qua ratione infirmo proſit, quam quomodo aliis placeat? non quomodo illum ſanet, ſed ut ſe ab ejuſmodi imperitorum ac imperitarum calumniis atque cavillationibus virulentis præſervet easque declinet.

Medici judicio vulgi exponuntur.

Quia tamen clandeſtinum ſatis utplurimum hoc medicorum forum, ſeu intra privatos tantum parietes exercentur ejuſmodi judicia; utut a toris puerperarum ſimilibusque angulis per totam in-

Hinc placere ſtudeat.

terdum civitatem decreta hæc inſulſa publicentur: non habet medicus peritus ac cordatus, cur ab iis animum & medicandi rationem ſibi turbari patiatur; quamvis, quantum quidem fieri per rectam rationem poteſt, etiam ut quibusvis, etiam mulierculis, placere ſtudeat, ſuaſor eſſem, cum ad procurandam & deſpondendam medico ægrorum confidentiam has quam idoneas pronubas eſſe, experientia loquatur; modo intra aſſidentium ſeu adſtantium & ægro miniſtrantium terminos ſe continerent, quibus quia locum juxta Medicum, non medici munus, *Hippocr. 1. aph. 1* conceſſit, non conſultricum & directricum perſonam in ſe ſuſcipiant.

Confidentiæ in medicum vis.

Quantum ægri in Medicum fiducia præſtet & quanti momenti ſit, præter *Hippocr. de Medico t. 1. Præcept. t. 4.* ubi *Medicum fide magis, quam duritie, mederi*, ait; paulo poſt vero, *ſc. t. 5.* pergit, *ſi fuerit erga homines amor, adeſt etiam erga artem. Quidam enim ægrotantes, ubi perceperunt, affectionem circa ſe non eſſe in tuto,* (i. e. morbum periculoſum) *per medici probitatem ac manſuetudinem gloriantur, ſanitati reſtitutos ſe eſſe.* Quod etiam *6. Epidem. 4* innuit, ubi, quantum & quomodo gratificando ægris proficiat ſibi ac his Medicus, explicat, horumque commodorum quædam recenſet, prolixius *Galenus* in comment. explicuit, & *Avicennæ* effatum, *fidem ac ſpem erga Medicum & Medicinam ſæpe plus efficere, quam ipſam cum Medico medicinam*, ac praxis quotidiana adſtruit: id eſt, diverſa partim in Medicum, partim in ipſummet infirmum, hinc redundant emolumenta.

Confidentia ægros reddit obſequioſos.

Siquidem ſi hic firmius ſibi perſuadeat, illum ad morbum profligandum affectumque leniendum, & ſalutem accelerandam habilem ſeu idoneum exiſtere, adeoque ſingularem ſibi utilitatem ex conſiliis & medicatione ejus promittat: morigerum ſeu obſequioſum magis illi ſe præſtat & hujus juſſa ſine contentione vel metu capeſſit. Vel, ut *Galen. in 6. epid. 4* rem explicat: *Ægrotantes medicis, quos libenter adſpiciunt* (ſibi gratis) *magis obtemperant; at illis, quos non libenter vident homines* (i. e. odioſos ſibique infeſtos) *etſi utilia conſulant, obedire tamen recuſant.* Porro eadem ægrotantis confidentia etiam hunc fructum parit, quod amor, lætitia ac ſpes, in ea coincidentes, ſpiritus languentes excitent, ſanguinem commoveant, hinc coctionem cruditatum morbificarum juvent, & robur naturæ in depellendis

Confert ad ſanitatem maturandam.

dis affectibus præternaturalibus, ad ſenſum fere, augeant: dum contrarium ex diffidentia, cujus individui comites triſtitia, metus atque odium ſunt, timendum videtur.

Quod quidem eo minus mirari vel in dubium vocare poſſumus, quo frequentius obſervamus, ingentem animi affectibus potentiam in valetudine noſtra, & functionibus corporis varie immutandis ſubeſſe. Quis, quæſo, non in ſemetipſo unquam annotavit, quantum appetitus v. g. ventriculi integri fervidior a nuncio aut objecto minus grato ac triſti afficiatur & in momento quaſi proſternatur, redux ſeu reviviſcens paulo poſt, diſcuſſo animi pathemate illo & compoſita ad hilaritatem ſeu voluptatem magis mente? ut nihil dicam de ejusdem ſtomachi digeſtione, quam citius & felicius abſolvunt, qui animi tranquillioris ac lætioris ſunt, præ illis, qui terrore ac mœrore atteruntur. Et eo ipſo, dum animi motus diverſi non minus graviores morbos aliquando ſolvunt, ac eosdem patrant, v. g. dum *Valeriola 2. obſ. 4* iram paralytico motum, *Bartholinus Actor. Hafn. vol. 1. c. 81.* muto loquelam, reſtituiſſe, *Hildanus 1. obſ. 79.* arthriticum ſanaſſe, perhibent; terrorem vehementiorem arthritidis ejusdem & quartanæ aliarumque febrium paroxyſmos, profligare, quotidie obſervamus; contra apoplexiam ab ira frequentiſſimam experientia teſtatur, it. a terrore *Frid. Loſſius 1. obſ. 14* refert, iram puerperis noxiam valde, *Tulpius 2. obſ. 18. & 20* fœtui in utero epilepſiam induxiſſe, *Hildan. 3. obſ. 8.* cuidam artuum contracturas concitaſſe, *idem epiſt. 44.* ac ſubitaneam triſtitiam mortem excepiſſe, *Bartholinus 2. epiſt. 85* perhibent: nonne affectus pariter hos illosve & animæ ſenſitivæ voluptatis ac doloris ſtatum, in quantum hic a medici amore odiove, ſeu confidentia ac diffidentia, dependet, valetudinem vel in melius vel pejus mutare, hinc remediorum applicationem diverſimode moderare poſſe, nobis perſuadebimus? Nimirum *cum*, monente *Camerario cent. 2. partic. 12. Confidentia, tanquam agens, cum ſalute perducenda in ſubjecto licet partiali, conveniat, ad tria quoque inſtrumenta medica* (in ſpecie diætetica) *per regimen & animæ accidentia referri poſſit, jure optimo confidentiam producere poſſe ægri ſalutem, affirmatur.* Quatenus fiducia vias ad interiora animi aperit, metus ſeu diffidentia claudit: illa facit, ut vel promptius ſeſe

Animi affectuum evidens vis in corpus.

Confidentia quid agat?

in valetudinem,

exerat

exerat vis medicamenti & interiora penetret, ac naturam ad alacrius reſiſtendum firmat: hæc illorum impetum cohibet, viresque enormius laxat.

Poſſem provocare ad praxin quotidianam, uberrime evincentem, remedia etiam ſaluberrima, a medico minus grato & infeſto exhibita invitoque ægro aſſumpta, raro ex voto operari; contra minus appropriata ſaluti eſſe ſæpius jubere in medicum confidentiam: quæ aliquando etiam eousque ſe exerit, ut minus proſperos illorum ſucceſſus, imo circa horum præſcriptionem atque applicationem a Medico perpetratos errores, ſingulari moderamine adeo occultet, ut ex rudi homuncione Podalirium aut Machaonem peritiſſimum creet, creatumque renunciet ac proclamet; dum aliorum medelam, quam perite etiam factam, ſi forſan huic eventus minus reſpondeat, cavillant ac vituperant diffidentiores, ita etiam, ut, qui Medici opera evadunt, fati ſeu Dei, non Medici ope evaſiſſe dicantur. Pariter qui Medicum favore ſuo comitatur, hactenus infirmus, ſe a magno & difficili morbo ſedula illius opera fuiſſe liberatum ſibi aliisque perſuadet: qui illum flocci pendet aut odio proſequitur, a leviore morbo, naturæ potiſſimum virtute ſe reconvaluiſſe fingit & ait, Medicique moleſtias & curas negligit. Niſi, ut innui, commune hoc fatum Medici genuini cum agyrtis, aut hi non raro propitium magis, experirentur; exemplis autem negotium hoc declarare minus conſultum videretur, utut hoc, forſan non ſine aliorum indignatione, in ſe ſuſceperit *Wigandus*, ille de *Philiatr. germ. itinerib.* Scriptor, *Diſſert. 1.*

in medicum.

Neque latere poſſunt diſpares & tantum non inepti illi confidentiæ ac diffidentiæ, ſeu meræ opinionis, fructus ullum; ita ut quemadmodum de his crebro conquerendi, ſic de illis ſibi applaudendi, cauſam habeant Medici, rideat etiam aliquando cordatus illam hominum ineptam arrogantiam & præcipitantiam, (niſi ſibimet ſtolide aduletur) qua in acceptis ipſi referunt ſalutem ſuam, cui tamen ne minimum hujus debent. Dolentes vero erigit *Hippocrates* ſui ævi fato, *de arte* & in *Epiſtola ad Democrit.* his verbis: *Artis Medicæ recte facta, o Democrite, plerique ex vulgo hominum non omnino laudant, verum Diis ſæpe attribuunt; ſi vero natura reluctata perdiderit eum, qui curatur, Medicos reprehendunt, Numen prætereuntes.*

Fidem

Fidem tamen veram ut ſibi licite & prudenter comparet, ſimulque omnia, quæ ſui muneris, rite peragat Medicus, *cautionibus opus habet variis, commodioris doctrinæ gratia, ſecundum officii, quod gerit, diſparitatem recenſendis ac declarandis.

Ad fidem comparandam prudentia opus.

Sc. haud facio cum illis, qui hoc in eo tantum conſiſtere putant, ut valetudinis humanæ curam gerat, hinc medicinam per artem ſanitatem conſervandi ac reſtituendi definiunt, adeoque arctioribus juſto limitibus circumſcribunt: cum eundem Medicum reipublicæ quoque immediate magis litare, ejusque ſphæram & Artis ambitum latius ſe extendere, vel ex hoc palam fiat, quod in ſententiis dicendis & ſuum cuiq; tribuendo leges publicæ harumque Adminiſtratores ad Medicorum judicia hinc inde provocare, hi vero de quæſitis illorum deponere, per ipſas leges teneantur. Adeo ut non incongrue forſan, juxta duplicem hunc ſcopum, Medicina in clinicam ſeu practicam communiter dictam, & forenſem dividatur: hinc quædam præcepta, medici munus ſpectantia, huic circa ægros verſanti, quædam in foro provocato ſeu in hoc deponenti, obſervanda veniant; de quorum poſterioribus in *parte ſecunda* agam, de prioribus præſentis erit diſſerere.

Officium medici duplex.

Ubi tamen mox, ratione priorum imprimis cavere volo, me non ejuſmodi cautelas recenſitum, multo minus commendatum, iri, quæ fraudulentiam potius, quam prudentiam, ſapiunt, & popularis tantum auræ aucupio inhiant, quales inter cautelas medicas ab *Arnaldo de Villa Nova* relatas, legimus, impoſturas vocat *Langius 3. epiſt. 6.* ac quibus nugas ſuas colorare, & imperitiam celare annituntur Pſeudo-Medici, cujus genii videtur ille *Gvenaut*, Pariſienſis, de quo *Patin lettre 130* perhibet, illum frequentius dixiſſe, non poſſe Medicum imperialem ſibi ab ægro conquirere, niſi hic fallatur. Tales ſiquidem artes ſeu tricas famam & argentum ſibi comparandi deteſtantur viri honeſti ac ingenui: utut crebrioris forſan uſus ſint, ac nonnullis feliciter ſatis cedant.

Damnanda medicorum fraudulenta prudentia.

Primo ſiquidem execrari decet illam nonnullorum imprudentiam, aut, mavis, animi malignitatem, per quam præ aliis emergere hosque ſubigere ſeu ſupplantare illi moliuntur: philavtia nimirum, ambitione vanaque gloria inflati eos parvi faciunt, irrident, conviciis inceſſunt,

Qua alios contemnunt & cavillant.

inceſſunt, cavillant, ab eruditorum candore abhorrent, ſola ſua ipſis arrident ac aliena ſemper deſpiciunt. Quam quidem ſuam amarulentiam modo coram & palam, modo clam & a tergo, ſpirant, utrumque infinitis artificiis, imo aliquando ſub blanditiarum & collaudationum ſingulari ſpecie, occultant: laudant alterius v. g. eruditionem, dolent ejus in praxi infelicitatem, ſtudiis nimis attentum ajunt, qui praxin minus curet, laudant ſcientiam ejus chymicam, quo abuſum remediorum chymicorum commodius in eodem culpent. Aliorum frons & lingua adeo proterva eſt, ut dicta & facta alterius aperte, neque tamen hoc coram, taxent, quaſi v. g. intempeſtivum propinarit purgans, minus opportune adminiſtrarit aut neglexerit ſanguinis miſſionem &c. quod quidem majore audacia agunt, ſi muliercularum vel aliorum imperitorum præjudicia malevola ſibi favere obſervent, aut ab his eorum cenſura petatur. Seniores juvenes imperitiæ, hi illos ſtuporis & novorum inventorum ac obſervatorum ignorantiæ, accuſant: indocti eruditos ex capite novitatum ſuſpectos reddere annituntur, es ſeynd neue Dinge / laſſen ſich wohl hören / aber in Praxi gehets viel anders.

Colludunt cum pharmacopœis. Quorſum etiam refero Medici & Pharmacopœi colluſiones & quæſtus reciproci atque ſordidi cauſa ſancita, per Leges vero publicas ac Juramentum Promotionis illi & huic prohibita, pacta: per quæ ille hujus pharmacopolium præ cæteris hujusque medicamenta ac in iis comparandis & parandis ſedulitatem præ aliorum opera extollit, medicamenta ſeu Recepta majoris pretii, præter neceſſitatem, præſcribit ac compoſitiones ſumptuoſiores adornat; contra hic Domini Doctoris praxin ad invidiam usque felicem inter Aquæ vitæ potores pronunciat, peritiam illius deprædicat, exempla ab eo ſanatorum enumerat, quaſi ſolus hic canoniſta de Medicorum civitatis dexteritate atque eruditione ferre poſſit ac debeat ſententiam. Hoc eſt, der Medicus und Apothecker vertragen ſich wohl.

Conſpirant plures. Quemadmodum pariter hujus loci, i. e. æque ſordida, videtur Medicina ſocialis, per quam bini pluresve Medici de communi praxi paciſcuntur, ita ut præter ſemet alios, ubi caſus poſtulat, ſibi vel ſubſtituendos, vel adjungendos, neſciant. Quorum utrumque quia aut in ægrotantium damnum, aut cæterorum Medicorum præjudicium

[...]um ac detrimentum, plus minus directe, vergit, decorum, ab Hippocrate ſingulis commendatum, lædere videtur.

Cui *deinde* multum quoque derogat, Mulierculis, Obſtetricibus ſimilibusque ægrotantium paraſtatis nimis abblandiri, his tantum non ſolis ſuam fortunam committere easque Hygæam adorare, i. e. per harum commendationes ac, ſi non fallor, patrocinia praxin quærere, ſeque ægris obtrudere. Technæ, quibus favorem hunc ſexus ſequioris nonnulli Medici ſibi comparare ſtudent, infiniti ſunt generis, adeoque paucos forſan harum recenſere mihi integrum erit. Nimirum iisdem, præprimis quæ autoritatis conſpectioris Matronæ, aut rerum Medicarum aliquam peritiam ſibi perſuadent, in dictis & factis, etiam abſurdioribus, non facile contradicendo, earumque conſilia & judicia cum ſubmiſſione approbando, imo cum his interdum conſultando: donec hanc de illis pronuncient ſententiam, **es iſt doch ja ein beſcheidener Menſch/ hat N. N. eben an dergleichen Kranckheit glücklich curiret/** ſit ut ſit; ſecus ſe exhibenti ita maledicant, **der** Doctor **läſſet ſich nicht einreden / düncket ſich alleine klug &c.** Inferiores vero ſubſellii fæminarum, v. g. obſtetricum, harum amanuenſium & aliarum hujus generis anicularum gratiam muneribus ſibi conciliare ſtudent, eas cibando, potando, phiolam Elixir proprietatis, Matthioli aut ſimplicioris mixturæ aquam vitæ ſubminiſtrando, illis gratis medendo, aurum demum & argentum porrigendo. Verum, utut hodie eo, proh dolor! devenerint res noſtræ, ut per has agantur, & ab earum favore ac cenſura multorum praxis ejusque incrementa dependeant: quia nihilominus rudiori vulgo ejuſmodi promachæ accenſentur, *quod*, obſervante *Hippocrate*, *illos* etiam *pro Medicis habent*, *qui non ſunt*, decretis harum meris confidere difficile atque abſonum eſt.

Favorem quærunt muliercularum.

Argutiis ejuſmodi practicis communiter accenſent morem nonnullis ſolennem, quo nimirum non vocati medici ægris ſe obtrudunt, ædes eorum irrumpunt, pharmaca apportant & haud conſulti remedia ſuadent, imo ſanis morbum perſuadent; aliquando ſub ſingularis affectus, quo illos complectuntur, conteſtatione ſimilive ſtropha: aſt, quia craſſa nimis & ruſtica ſatis hæc impudentia & ſupplantandi ratio, nec argutiis doloſis accenſere meretur.

Ægris ſe obtrudunt.

Morbum levem graviorem ajunt.

Potius *tertio* his adſcriberem, ſi a Medico morbus gravior ac periculoſior fingatur, ac revera eſt, penes adſtantes imprimis: & quidem eum in finem, ut, ſi æger moriatur, erroris ſuſpicio ab ſe declinetur; ſin reconvaleſcat, ſoſtrum augeat ille plusque decantet Medici laudes, ſi ipſi quoque reconvaleſcenti ſymptomatum perpeſſorum gravitas prolixius ante oculos ab hoc ponatur & cicatrix pathetice ſatis refricetur. *Hiſtrionis* quippe *eſt*, ait *Celſus 5. cap. 26. parvam rem attollere, quo plus præſtitiſſe videatur*: id eſt, ex tuſſiente facere phthiſicum, febrem tertianam ſimplicem dicere ardentem, ſcorbuticam petechialem &c. Sicut enim nec mors ægri medico ſemper in opprobrium converti debet, ſic nec ſanitas ſuperveniens laudem ubique fert eidem, ubi ſc. pronunciata morte æger nihilominus reconvaleſcit, vel ſi diuturnum morbum aſſeverarit, qui brevi terminetur.

Uroſcopiam profitentur.

Denique his pravis in praxi medica emergendi modis ſeu imposturis merito annumerantur fraudes Uroſcoporum, quibus etiam talia ex urinæ contemplatione judicare ſibi præſumunt, qualia vir prudens ac honeſtus negligit atque detrectat, quas *Arnoldus de Villa Nova* nihilominus inter cautelas medicorum commendat, reticendas potius, quam recenſendas. Quæ enim hac immanior impudentia? quisque callidior vel inſanior Uromentiæ abuſus? Dum ſycophantæ & aleatores ejuſmodi, ſtrophis ac impoſturis his utentes, ſi diis placet, ſexum, ætatem, imprægnationem, membrum laborans, ubi habitet æger, an ex plauſtro, an equo, deciderit ſimiliaque præterita & futura divinant, ſeu hariolantur, ſicque utut in re medica plane rudes atque ignari, ſanitatem magnifice promittunt, incurabilium etiam affectuum, ſub capitis ſponſione, hinc plebem ſimplicem in magnam ſui admirationem rapiunt ac fidem peritiorum medicorum ſublestam reddunt.

Medicus prudens ſit.

Has ſimilesve technas nulli Medicinam facienti commendo, cautum nihilominus & ſagacem in artis ſuæ cultu ut ſe gerat, negotium ejus arduum poſtulat, ſi nimirum bonam exiſtimationem ſibi conciliare ac partam cuſtodire malit. Poſtquam nimirum vix ulli artificum majore circumſpectione, quam Medico, opus eſt, qui in functionis ſuæ adminiſtratione tot morborum monſtra, ſymptomatum virulentorum Lernam ampliſſimam, infirmorum adeo diverſas

complexio-

complexiones ac idioſyncraſias, conditiones, mores adſtantium æque ac abſentium malevolorum, (frequentius ipſorummet Medicorum) cavillationes & cenſuras experitur, quibus ſingulis debellandis ac ſuperandis vix ſemper par exiſtere videtur.

Illam Medici gubernationem ſive cum *Hippocrate* decorum & œconomiam, ſive politiam & prudentiam, dicamus, vel eo ipſo tamen, dum huic ſemper relatio ad ægrum ſubeſt, ſupervacaneam cenſeo eam partem prudentiæ, quam Eremiticam ſeu ſolitariam vocat *Roder. a Caſtro*, ac per quam virum bonum ille ſe præſtat, prolixe explicare ejusque requiſita recenſere, ut egerunt præter ſcriptorem allegatum *Freitagius*, *Zacutus Luſit. Botallus*, *Septalius*, imo ipſe *Hippocrates*; utpote quod Ethicorum eſt: ſed Medicam potius, ſeu qua ratione ſe gerere debeat ille cum infirmis, aſſiſtentibus, Medicis ſibi aſſociatis & circa quaslibet a moderamine ejus dependentes res, tantum advertam, ac numeros illos recenſebo, quos implere tenetur, qui Boni Medici nomen ambit; qualium nonnulli ſpectant habitum externum, alii mores, alii denique ipſam Medendi rationem. **Momenta hujus prudentiæ.**

Et primo quidem *Hippocr. de Medic. t. 1.* valetudinis propriæ curam ipſi commendat, id eſt, *ut videat, quo bono colore & bona ac carnoſa corporis habitudine præditus ſit*, eamque hunc ægrotantibus non leviter commendare ait, *exiſtimantibus eos, qui non bene diſpoſitum corpus habent, neque aliis proſpicere poſſe.* Adhæret ipſi *Galenus 5. de ſanit. tuend. 1.* dum nonnullos, qui de ſanitate conſervanda ſcribunt ac diſſerunt, *nec ſe ipſos quidem defendere a morbis perpetuo potuiſſe*, ut a *Cavillatoribus*, inter alia, *ipſis objiciatur*: ἄλλων ἰατρὸς, ἀυτὸς ἕλκεσι βρυῶν: quemadmodum, ut cæteros mittam, *Jerem. Thrivierium, Lovanienſem*, dixiſſe legimus, nihil infelicius eſſe ægrotante Medico, propterea, quod omnibus in promptu ſit tritum illud: *Medice cura teipſum*, perinde ac *Sulpitius* ad Ciceronem reſcribens, *malos medicos*, ait, *qui in alienis morbis profitentur, ſe tenere medicinæ ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt.* Quamvis ſecus ſentire videatur *Plato 3. de republ.* Medicum ſibi eligens, qui ab ineunte ætate præter diſcendæ artis ſtudium *inter multos ægrotantes converſetur, & ipſe omni morborum genere laborarit, naturaque imbecilla eſſet: neque enim*, addit, *corpore curat, ſed animo.* Sicuti pariter unum atque alterum valetudina- **Medicus bona valetudine gaudeat.**

rium memini, qui Medicos ſibi exoptabant, paribus cum ipſismet affectibus chronicis preſſos, v. g. calculoſus calculoſum: quaſi nimirum hi morborum ac ſymptomatum rationem exactius dignoſcant, infirmis magis condoleant, languentibus ſedulo ac promptius ſuccurrant, ac de remediis & eventu, in ſemetipſis expertis, certiores illa præſcribant atque exhibeant, ægrorum animos obſirment.

Abſurde nonnulli medicos valetudinarios deſiderant.

Qualem nihilominus prærogativam ſeu peritiæ gloriam nemo ſanæ mentis ac corporis Medicus deſiderabit, hujusque dura nimis foret conditio, ſi ex propria demum & inhærente infirmitate alienam metiri, & per experientiam adeo moleſtam ac periculoſam peritiam & famam ſibi formare & comparare deberet. Neque quam experientiam inteſtinam *Plato* advertit, adeo neceſſaria eſt, cum ex aliorum ægritudinibus ac aſſiduo medendi uſu eandem abunde aſſequi poſſit: nec tandem, ut per individualem demum ſui calamitatem hujusque reminiſcentiam aliis promptius proſpiciat, ſtimuletur, quem pietas & charitas Chriſtiana movet, aut movere decet. Et ſtat penes plerosque ſine dubio infirmos ſententia, illum, qui ſibimet mederi nequit, nec alios, eodem vel quovis malo decumbentes ſanare poſſe: *Curet primo ſe, & tunc me illi dabo:* ne tangam, ad ſtudiorum & praxeos labores ſuſtinendos firmam ſatis requiri valetudinem. Hallucinatum proin in hoc ſelectu dicerem *Platonem*, utut *Rodericus a Caſtro Med. polit. 2. cap. 15* eum defendere ſatagat, quaſi effato ſuo non tam ad doctrinam ac decorum, quam ad experientiam & commiſerationem, Medici reſpexerit: dum idem *Plato* adjicit, *neque enim corpore curat, ſed animo.*

Non parum proin ad Medici exiſtimationem comparandam & conſervandam faciet, ut hic propriæ valetudinis ante omnia curam gerat: vel ne ſui, hinc aliorum quoque, negligens, vel artis, quam profitetur, imperitus putetur, v. g. ſi, juxta *Galenum*, ſcabie, unguium pilorumve capitis affectu, morbo articulari, laboret. Aut, ſi quando periodicis morbis tentetur, monente *Septalio animadverſ. & caut. med. 1. §. 3.* cur hos evitare nequeat, oſtendat, ſimulque quali diæta, & qualibus remediis eos ſuperet, declaret. Neque dedecori aut contemptui ipſi erunt ex cauſis inevitabilibus magis evenientes, v. g. notante *Galeno* l. a. *febris ex æſtu, frigoribus, laſſitudine aliisque id genus occaſio-*

occaſionibus, item pathemata, *ex artis officiis* horumque moleſtiis, v. g. itinere, vigiliis, operationibus chymicis ac miaſmatis ægrorum atque defunctorum pravis ſeu fœdis, contracta, dum e. g. perhibente *Tulpio 4. obſ. 8* carcinoma mammæ ulceratum Dominæ ancillæ non tantum mammæ, ſed ipſius Medici gutturi quoque, pernicioſum exiſtebat; & *Thomſon*, Anglus, a diſſectione peſte defuncti virulentiam eandem contrahebat. Quæ illum magis a culpa vindicabunt, quam ſi *ab intemperantia eum ægrotare*, conſtet, quibus aliorum objurgationem utique meretur: *ſunt* quippe hi ex illis, *qui juxta Demoſthenem aliis melius conſulunt, quam ſibi, ſalutemque ſuam negligunt, alienam curant.* Quemadmodum nec vitio illi verti poterunt morbi connati & per infortunii caſus quoſcunque illati: dum cum cæteris mortalibus eodem fato aut fragilitate gaudet.

Alterum externorum, quo opinionem Medicus captet, veſtitum ſeu ornatum amictus cum odoribus ait *Hippocrates de Medico* pariter ac *de decente ornatu & 6. epidem. 4.* ubi tonſuram & unguium curam addit: quale nihilominus decorum ad prudentiam potius civilem, quam Medicam, ſpectare autumo. Breviter E. monente *Galeno 6. epid. 4* veſtitus ſit mediocris, cum valde ſplendidus & ſumptuoſior juſto faſtum atque arrogantiam, ſordidior & lacerus amictus vilitatem ac ſorditiem, oſtendat: *niſi æger ipſe immoderatius aut precioſa veſtimenta amet, aut ſordidis oblectetur; tunc enim a mediocritate ad illud, quod ægroto magis placeat, deſcendito &c.* etſi communiter **Veſtitu honeſto utatur.**

Vir bene veſtitus, pro veſtibus eſſe peritus
Creditur a mille, quamvis idiota ſit ille.

Potius cuncta ejus externa ad munditiem componantur, manus & facies ſordibus minus incruſtatæ, & puræ cernantur, item, juxta *Ovid. 1. de arte*, **Munditiei ſtudeat.**

Et nihil emineat, ſint ſine ſordibus, ungues.

imo, notante eodem *Galeno* l. a. nec de unguibus, ſcabie, pilorum affectibus aut alio id genus vitio turpi ſermonem penes infirmos faciat. In ſpecie circa odorem corporis & anhelitus ſit cautus, qualis quemadmodum nonnullis natura vel vitio intrinſeco putidus contigit, ut teſtatur Medicus ille Aſiaticus, axillarum odore tetro moleſtus, & alter anhelitus fœtorem ſpirans, quorum idem *Galenus* l. c. meminit;

nit; aliis per incuriam & intemperantiam contrahitur, v. g. ab allio & cæpis aſſumptis, hodie ab aqua vitæ & fumo nicotianæ hauſtis: ita Medicus horum gnarus aut ab inviſendis ægris aliquando abſtineat, aut, ſi non vera, palliativa tamen, cura fracedinem ejuſmodi emendet, ſeu mitiget, quod de iisdem Medicis olidis *Galenus* perhibet, ægroto non adeo appropinquet, ſimilive arte fætores ſuos occultet, abſtineat vero ab uſu ejuſmodi rerum, quæ nauſeabundum odorem ſpirant: Sicut nec vini odorem omnes æque facile ferunt valetudinarii, obſervante *Hippocr. de Dec. ornat. t. 11. & Galeno l. a.* & poſterior cujusdam Medici Romani, Quinti, exemplo comprobat; qui, cum a prandio Magnatum quendam, febre ingente cum capitis dolore decumbentem, viſitaret, hicque vini odorem exhalantem ægre toleraret, ab hoc, ut longius aliquando recederet, quam humaniter rogatus, quod vinum immoderatius redolens ipſi moleſtiam crearet, ſtolide ipſi reſpondit ac præcepit, ut æquo animo hunc odorem ferret; nam & ſe quoque ægrotum ex febre male olentem ſuſtinere, multum autem intereſſe, febrimne quis, an vinum, redoleret.

In ſuaveolentis ſit moderatus,

Temperet nihilominus Medicus clinicus ſibi ab odoramentis ſuavioribus nimis, penes fæminas inprimis ac quosvis tenerioris cerebri texturæ homines; potiſſimum cum nonnullos per idioſyncraſiam hoc vel illud odoriferorum genus abhorrere, hisque non minus ſuaveolentia, quam graveolentia & fætida, ſi non exitioſa, moleſta tamen, exiſtere obſervetur. Dum fragrantium Zibethi, Moſchi, Ambræ &c. pauciſſimæ fæminæ, puerperæ inprimis, ſine ſupervenientibus lipothymiis, ſtrangulatibus hyſtericis aliisque ſymptomatis tolerant: & puerperarum quatuor a Medici chirothecarum, ambra delibutarum, odore ſyncope correptas & poſt diem expirantes *Zacut. Luſitan. introduct. ad prax. præcept. 11* perhibet. Noſſe ſe homines, qui roſæ odorem tanquam capitalem inimicum, prorſus odio habeant, *Botallus de Medic. & ægri muner.* §. 25 teſtatum facit, eo, quod capitis dolorem ipſis concitet, vel ſternutamenta moveat, vel naribus tam moleſtum pruritum inducat, ut bidui ſpatio ab earum frictione ſe continere nequeant: qualem pariter antipathiam ad roſarum ſuaveolentiam olim in *le Febure*, Chymico Regis Angliæ, Caroli ſecundi, peritiſſimo ac celeberrimo annotavi, qui cum inter opera-

imprimis pro idioſyncraſiæ diverſitate.

operationes Chymicas Roſas quondam uberius tractaret, hoc infirmitatis inde contraxerat, ut poſtmodum a florum horum odore mox animo linqueretur. Contra ambra & moſcho fœminas quasdam delectari, a caſtorei graveolentia lædi, experientia docet: ſimili modo, ac de carnificis quodam ſervo refert *Salmuth.3. obſ.71.* eum a pharmacopolii, quod intrarat, aromatum ſimiliumque, fragrantium anathymiaſi deliquium animi paſſum fuiſſe, a quo non aquarum cordialium & apoplecticarum, oleorum, balſamorumve applicatione, ſed cloacæ demum olidæ graveolentia, excitatus fuerit; cui forſan naſo par ille Stabularii, cujus *Hoffmannus Inſt. med.* 5. *cap.* 40 ex *Solenandro* mentionem facit, qui febricitans in conclavi aëris purioris male, in ſtabulo uliginoſo & fracido melius, ſe habebat. E juxta *Hippocr.* odores gratos equidem medicus ſpiret, quod hi ægros recreent: unguentis tamen hunc in finem *non ſuſpectum odorem ad omnia habentibus utatur*, ſeu aſcitum ac peregrinum quemvis vitet odorem.

Aſt his requiſitis prolixius immorari vix conſultum duco, ad mores potius, quibus tertium locum *Hippocrates* concedit, tranſitum facturus, quos vel cum Chriſtiano ſ. cive bono communes, vel ſibi proprios magis, habet Medicus: priores leviter & non, niſi quatenus hujus functionem ſpectant, luſtraturus, ne Theologorum aut Ethicorum cathedram petere videar.

Ita pietatem & cultus divini ſtudium, quod in illo præter *Zacutum Luſit.* alii vehementer ſatis urgent, argumentis multis commendare, ſupervacaneum puto, cui nempe cum Chriſtianis res eſt: hujusque religionis medicum quemlibet admonebit vel *Hippocrates* gentilis, de *Dec. ornat. t.* 6. *Etenim ſcientia de Diis vel maxime animo ipſius implexa eſt, etenim in aliis affectionibus, & in ſymptomatis accidentalibus Medicina erga Deos valde reverenter ſe habere comperitur, Medici vero Diis concedunt; Non enim eſt potentia in ipſa redundans.* Et graviter peccant illi, qui arti & eruditioni ſuæ turgeſcenti arroganter ſatis ſalutem reconvaleſcentium primario adſcribunt, plus huic & ſibi, quam benedictioni divinæ, a qua nihilominus omnis medela, Medici & medicamentorum vis, confidentes: cum tamen, monente *Freitagio noct. medic. c.* 2. *neceſſarium maxime ſit, ante omnia cum divini numinis imploratione medicinæ uſurpandæ initium facere, ut &*

Medicus pius eſto.

A Deo ſalutem expectet.

Medicinam facienti, & remediis, in uſum fragilitatis humanæ ex terræ gremio ubertim conditis & benigne profuſis, legitime utenti divina opituletur benedictio. *Nam*

Ni Deus adfuerit viresque infuderit herbis,
Quid, rogo, Dictamnus, quid Panacæa, juvat?

Non nimius ſit in pollicitationibus.

Perinde enim ac Aſæ, Iſraëlitarum Regi, vitio vertitur, quod medicis auxiliis plus, quam Divinæ benedictioni confiſus, illa præ hac implorarit, ac ob id ſpe ſua fruſtratus periit; ita nec medicus arti ac peritiæ ſuæ plus, quam benignitati divinæ confidere debet: niſi ſalutem ægrotantium ſuamque exiſtimationem & fortunam negligat, aut vana jactantia ſummi Numinis iram irritare malit.

Annuit his *Arnoldus Villanovanus* l. a. ubi Medicum in promittenda ægris ſalute juſtum poſtulat, i. e. qui non promittat ſanitatem, ſed fidelitatem & diligentiam tantum; quia *aliter faciens extirparet divinum officium & faceret Deo injuriam.* Et, juxta *Brun. Seidelium de morb. incurab.* abſurdiſſimum & ſtultiſſimum cenſeri debet, in promiſſione ſalutis excipere cauſas naturales & adjuvantes alias, v.g. obedientiam ægri, diætam ſtrictiorem & ſimilia; non vero excipere cauſam omnium ſupremam ac potentiſſimam, quæ cunctas reliquas moderatur & macrocoſmum æque ac microcoſmum ſola integrum conſervat.

Admoneat ægros pietatis.

Pietate ejuſmodi inſtructus Medicus precum piarum & animæ curæ admonet quoque infirmum, ad quem ingreditur, juxta illud *Siracidis cap.38. Fili mi, ne negligas hoc, in infirmitate tua ora Dominum, & ipſe ſanabit te. Avertere a peccato &c.* & illud *D. Jacobi*, Apoſtoli, *cap. 5. Infirmatus quis in vobis, adducat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, ut convaleſcat.* Hincque *Auguſtinus* quoque ſcribit: *Qui ſine Salvatore ſalutem vult habere, non ſanus, ſed æger, non prudens, ſed ſtultus, in ægritudine aſſidua laborabit.* Qualis tamen Medici religioſa admonitio ſub circumſpecta lenitate & ſine rigore fiat, minus interim neglecta aut prorogata medela corporis poſtulata. Neque enim, jubentibus nonnullis, ſi admonitus infirmus hæc negligat, confiteri v. g. nolit, Medicus hanc differat aut recuſet, quia adhortatione illa, quod Chriſtiana charitas & religio jubent,

jubent, ſufficienter egit: & metuendum, ne, ſi à curatione juſto diutius abſtineat, hic forte moriatur deſperatus, qui ſanatus poterat ſalvari. Potiſſimum cum ejuſmodi genii atque ingenii non raro offendamus ægrotos, qui mortem plus, quam Chriſtianum, metuentes auditis ejuſmodi amicis, vel Medici, vel adſtantium, admonitionibus corpore & animo contremiſcunt, & deſperatum omnimode morbum judicant, omnem mox in Medicum fiduciam abjiciunt, imo in hunc invehuntur. Unde ſuaſor eſſem, ut Medicus non ipſi infirmo, ſed hujus neceſſariis & aſſidentibus tantum, ſuam de animæ cura mentem aperiat, ut hi (forſan facilioris admiſſionis) illum ad eam diſponant & præparent: Quamvis hos interdum æque ſtolidos, ne dicam, impios obſervemus, ut medici monitum ſuperciliosè negligant, quaſi tali argumenti genere non conturbandus & contriſtandus ſit æger, illumque limis ſatis intueantur.

Poſt pietatem primum & ampliſſimum inter mores medicos ſine dubio locum tenet Humanitas ſeu comitas, qua, ſeu merendi ſtudio, in omnes, præcipue peregrinos ac egenos, exemplo *Hippocratis* atque *Empedoclis*, ſi quando ſe ferendi opem occaſio obtulerit, utatur Medicus. Nam *ſi*, advertente *Valeriola 4. enarrat. 10. erga homines amor atque humanitas adfuerit, erga artem idem amor comparebit:* facitque hoc pium juvandi ſtudium non *ad opinionem* tantum, ſed *autoritatem* quoque *comparandam.* **Comis & humanus ſit.**

Declarabit hoc primo promptiore acceſſu, dum defectus pronæ voluntatis in operibus charitatis, perinde ac officii, erroribus omisſionis accenſetur, quibus ut plurimum aliquid, ſi non doli, certe culpæ, videtur ſubeſſe: quatenus occaſio præceps, in morborum medela magni momenti, hac ratione aliquando negligitur, tranſacta opportunitate applicandorum remediorum. Nunquam tamen, niſi vocatus, accedat, multo minus invito ſe obtrudat ulli; ne levitatis & avaritiæ culpam reportet, alteri forſan medico præjudicet, & lucrum potius ſuum, quam ægri ſalutem, anhelare videatur, incertus hinc maneat de hujus confidentia, quippe qui propter ejuſmodi viſitationem inexpectatam ſibi, ſe medici ope indigere, vix perſuadet. Niſi forſan caſus ſeu occaſionis exigentia aliud juſſerit, v. g. ſi quis ex improviſo ægrum, cujus infirmitas nullas inducias patitur, aliorum **Promptus ſit ad medendum.** **Vocatus tamen.**

auxilio deſtitutum &c. offendat; quam capillatam arripere tenetur Medicus probus, utut minus poſtulatus.

Machinarum, quibus ægris quidam ſe obtrudere ſolent, nonnullas ſuperius indigitavi, cunctas, quia pleraſque ignoro, nunquam addiſcere volui, recenſere nequeo, plurium autem productione nemini offendiculo eſſe cupio. Caſibus interim conſcientiæ quod adſcribitur, problema potius: an Medicus omnibus, qui conſilium & operam ejus deſiderant, mederi teneatur? ſolvendum aggredior: Poſtquam nimirum multis, ſapientioribus quoque, perſuaſum eſſe deprehendi, ſi non per juſtitiam, certe per conſcientiam, Medicum, ut quibusvis poſtulantibus operam ſuam præſtet, obligari. Cum nihilominus haud appareat, an committendo, an omittendo, peccet is, ſi ſecus faciat: niſi medicos hoc ſervitutis peculiare habere fingam, ut ad aliorum nutum, er hat gleichwohl das Vertrauen zu ihm/ ſe totos & ſolitarie convertant; adeoque rem meræ voluntatis, moralitatis & conſcientiæ fieri patiantur.

An nemini operam denegare debeat?

Suppono, poſtulari Medicum in oppido, v. g. ubi plures Medicinam faciunt, hinc ob aſſiſtentiam a vocato denegatam nullum periculum vel damnum infirmo invenire: quemadmodum pariter ægritudinem non adeo urgentem, quin alius Medicus advocari opportune ſeu tempeſtive ſatis queat, i. e. moras aliquales quæ patiatur. In quibus caſibus liberum ipſi puto medelam ſuſcipere ac detrectare. Contractum qui iniit, hunc ſervare obligatur; aſt contrahere, in cujuslibet poteſtate eſt. Stipulatur ad tacitum contractum medicus a medelam poſtulante: integrum nihilominus huic relinquitur jure naturali, ſe obligare aut non obligare poſtulatis. Quid obliget E. medicum, ut cuivis operam ſuam roganti aſſurgat, non apparet: nimirum nec natura, nec lex, nec contractus, multo minus poſtulatio ſeu confidentia ægri; cum ad feliciorem medelam etiam confidentia medici requiratur, qualis cogi nequit. Et quamvis pro duriore hac, præ aliorum cujuscunque generis hominum, conditione medicorum aſſerenda communiter allegetur, quod hic opem ſuam denegando infirmo, qui multum in eum confidit, morbi medelam aut omnimode, aut quoad partem impediat: quod fides illa plus aliquando præſtet, quam remedia; prout quidem ex ſuperius dictis largior.

largior. Cauſam tamen medicis dicere videtur *Carrarius de med. & ejus offic. part. 2.* ubi privatos medicos, (ſeu qui ſtipendio publico haud conſtituti) utcunque vocatos, cogi non poſſe, ait, hosque in foro conſcientiæ quoque tutos eſſe, ſi ad ægros curandos ire noluerint. Sine dubio, quod non absque ratione ſontica ſuam operam huic vel illi denegent, & exiſtimationis ac tranquillitatis propriæ conſervatorem naturæ lex velit, medicum quoq; minime omnium mancipium. Et ſi non advocare & dimittere, aliumque pro lubitu adducere medicum infirmo liberum relinquitur, ſub terminis: **Es ſtehet ja dem Patienten frey zu brauchen / wen er will / es iſt einem iedem ſeine Geſundheit lieb ꝛc.** cur medico advocato, homini libero, libertatem accedendi & non accedendi denegabimus. Potiſſimum cum ſatis lubrica vixque adeo tenax ſit ægri fides, quin poſt varias moleſtias & curas a medico exantlatas eum hujus levi occaſione tædeat, a ſuſurrone & cavillatore leviter ſtimulatum, illaque frequentius in diffidentiam & abominationem abeat. Eadem proin facilitate eousque temperari ac diſcuti poterit hic penes infirmum affectus, ab amico adulatore, ut ex animo protinus deleat ſpem de medico deſiderato, forſan ex ſimplici præjudicio, conceptam, ſi excutiet hic vocationem illam, ob rationes, quas cuivis exponere haud tenetur, aliquando etiam publico notiſſimas: hinc valetudinis ſuæ periculum cur metuat æger, non habet.

Non detrectet tamen unquam operam ſuam Medicus propter vocantis egeſtatem, cui opitulari, imo de ſuis ipſi largiri, charitas Christiana jubet, ſecundum *Codronch. 1. de Chriſt. med. ratione cap. 19. Rod. a Caſtro Medic. polit. 3. cap. 21. & Boudewyns Ventilabr. med. theol. part. 1. quæſt. 46.* jubet idem *Hippocrates de præcept. t. 5.* ne tumulo ejus inſcribantur verſiculi *Buchanani*, exequiis funeris *Jacobi Sylvii*, magnæ alias eruditionis & famæ Medici ac Profeſſoris Pariſienſis, dicati: **Etiam pauperibus medeatur.**

Sylvius hic ſitus eſt, gratis qui nihil fecit unquam,
Mortuus, & gratis quod legis iſta, dolet.

Quamvis nec ad omnium pauperum curam Medicum obligari, ex *Navarræ manuali Zachias quæſt. med. legalium lib. 6. t. 1. quæſt. 8. & Boudewyns* l. a. conſtet: nimirum illius tantum, quem probabiliter **Non tamen cunctis.**

exiſtimet, niſi ei præſidiis medicis ſuccurratur, moriturum; cui non adſit alius, qui hoc faciat, nulluſque reperiatur, qui pro eo mercedem ſolvat, nec habeat, unde ejus neceſſitati ſubveniatur, veluti ſunt Xenodochia publica. Quibus conditionibus mihi addere liceat, teneri etiam per conſcientiam Medicum ad pauperis medelam, licet hujus infirmitas non fuerit mortalis, modo ad labores & alimenta acquirenda eum ineptum reddat, hincque gravior evadat ejus paupertas: item, quamvis alii quidem adſint, qui ipſi ſuccurrere queant, hoc tamen non agant, aut inter alumnos publicos ille non recipiatur, ideo forſan, quod ante ſui receptionem non queat præſtare præſtanda.

Uni plus, alteri minus, inſerviat.

Ex quo ſuppoſito ſolvere quoque licet aliam, caſibus conſcientiæ pariter adſcriptam, quæſtionem: An ſc. Medicus æqualem, ſeu parem curam omnium ſuorum ægrorum, ſine perſonarum exceptione, gerere debeat? Nempe cunctis utique, quibus operam medicam promiſit, quorumve medelam in ſe ſuſcepit, cujuſcunque conditionis & ſortis ſint, hanc præſtare obligatur, conſulendo, præſcribendo & adminiſtrando illa, quæ proficua, affectui ſolvendo congrua & neceſſaria judicat: adeoque errorem omiſſionis perpetraret, qui v. g. Principi aut Primario cuidam civitatis Viro medicinam faciens leviter ægrotanti, tenuioris fortunæ hominem, graviter & ad mortem ægrotantem, ut illi accuratius miniſtretur, deſerat huncque negligentius tractet. Eo ipſo tamen, dum infirmorum quidam aliis dignitate potiores, aut reipublicæ quocunque modo magis utiles, quod in ſano ſenſu ad ditiores quoque extendi ſolet; quidam nobis propinquiores ſeu neceſſarii magis v. g. parentes, filii, fratres, cognati atque agnati; aliis propter merita, officia atque amorem magis obſtricti ſumus: his majorem curam & ſedulitatem, imo ſervitia, debemus, præ minorum gentium & exteris ſeu alienis magis, quique nulla humanitatis officia nobis præſtiterunt, hominibus, juxta illud *Auguſtini 1. de doctrin. Chriſt. Omnes homines æque diligendi ſunt, ſed cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatem conſtrictius tibi, quaſi quadam ſorte, junguntur.* Et inepte, annotante *Boudewyns p. 1. quæſt. 36*, ratiocinatur vulgus, dicens: *Si divites eſſemus aut in honore poſiti,*

poſiti, promptius & melius hic inſerviret nobis: cum nihilominus etiam ipſe charitatis ordo poſtulet, ut conſanguinei & cognati præponantur externis, & a quo plus beneficiorum accepimus, illi plus debeamus.

Ita ut non per rationes politicas tantum, ſed Theologicas quoq; æquum videatur, nos, cæteris paribus, plus obligari ſub medicinæ adminiſtratione his, quorum merita vel reſpublica, vel nos noſtrive experti ſumus. Quod quidem præſtabimus, nihil, ut dixi, neceſſariorum penes aliquos negligendo, ſed præter hæc alios præ aliis officiis humanitatis ac obſequii plus minus devinciendo, v. g. frequentius eos viſitando, medicamenta aliquando ipſis porrigendo &c. imo hos illis, ſi utrisque ſubvenire non æque queamus, præponendo. Et ſic contra juſtitiam diſtributivam minus peccabit Medicus, inæqualem diverſorum ægrorum curam habens, quatenus, juxta *Thomam*, æqualitas juſtitiæ diſtributivæ in hoc conſiſtit, ut diverſis diverſa, ſecundum horum diverſitatem & proportionem tribuantur.

Quadrat huc ſcrutinium quæſtionis, an deſperatorum curam prudens ſuſcipere queat, aut teneatur Medicus? Cui ſine dubio occaſionem dedere ex Veteribus *Hippocrates* præprimis, *Galenus* ac *Celſus*, ut *Aëtium* & *Avicennam* taceam. Quorum prior *de art. t. 4. 13. & 23.* nefas eſſe putat, ægris morbo victis ſeu deploratis remedia præſcribere atque porrigere; repetendo idem *1. de morb. t. 5. Non recte fit, ſi, quæ ſanatu impoſſibilia ſunt, te ſanaturum, recipias.* Quale effatum *Galenus* quoque ſcriptis ſuis, v. g. in *1. aph. 8. 2. aph. 29. & method. med. 11. cap. 9* firmatum poſteris commendum voluit, a *Celſo* levatus, qui *5. cap. 26. prudentis hominis ait, primum eum, qui ſervari non poteſt, non attingere.* Quos nihilominus Medicorum principes, pro humana forſan pietate reſipiſcentes aliter nonnunquam egiſſe & ſententiam ſuam juſto duriorem mutaſſe, ex diverſis eorum locis colligere eſt. Dum *Hippocrates* in *librorum epidemiorum* hiſtoriis nunquam omnem animum abjeciſſe, nullumque infirmum, quem per artem divinatricem inſanabilem & deploratum judicaverat, prognoſtico abſolute reliquiſſe legitur: quemadmodum *Galenus* pariter *10. method. med. 10.* ubi ad Thucydidis conſilium in *maraſmode hectica, cui ſalutis ratio aut nulla, aut dubia eſt, agentes aliquid periclitari, &*

An deſperatis medendum.

Diſſentiunt ſcriptores.

neceſſum

neceſſum his adverſus pericula ire, arbitratur; atque dum *Celſus 2. cap. 10. melius eſſe*, inquit, *anceps experiri remedium, quam nullum*, & *3. cap. 9. fere, quos ratio non reſtituit, temeritas juvat*, adeoque priori ſuæ ſententiæ contradixiſſe videntur.

Unde factum, ut loca, quibus deſperatorum curam diſuadent hi Medicinæ primores, nonnulli commentatorum minus attendenda eſſe monuerint, quaſi ſcriptorum gentilium & ab omni pietate Chriſtiana alienorum, ac quos ad ſuam & artis famam magis, quam ad miſerorum adjutorium, reſpexiſſe, ex conſequentibus eorum verbis palam ſit, dum hac ratione præſidia, quæ multis profuere, apud vulgus infamari, & ægrum ſpeciem occiſi ſubire, quem ſors peremerit, aſſerunt; quod præter *Avicennam* & *Aëtium Guido de Cauliaco in præfat. ſeu capitulo univerſal.* innuit, ubi, *cave a malis curis*, fatur, *ne nomen mali medici ſubeas.* Alii antinomias eorundem Scriptorum diverſimode explicare & conciliare attentarunt, ut videre eſt penes *Reies Elyſ. camp. jucund. quæſt. 15.* aſt non æque adæquata ſemper ratione. Solidius & ſtrenuius forſan negotium hoc aggrediuntur, qui partim inter morbos deſperatos, partim horum tempora, partim inter remedia, diſtinguunt, & caſibus hinc diverſe formatis controverſiam dirimunt.

Diſtinctione res deciditur.

Differentia inter morbos deploratos.

Quippe *primo* morbos deploratos nuncupare convenit, vel ſimpliciter incurabiles, v. g. conformationis morbos connatos multos, vulnera cordis, ſphacelum, phthiſin & hydropem conſummatum, cancrum exulceratum, podagram nodoſam &c. quorum ſanatio ab arte ſeu induſtria humana nunquam expectari poterat: vel utplurimum tantum tales, v. g. vulnus epatis aut cerebri profundius, ventriculi, epilepſiam adultiorum, quo ſuo modo partus etiam præternaturalis difficilis ſeu vitioſus ſpectat, quos rarius & non, niſi difficulter admodum, ſanari, quorumve ſanationem monſtri medici nomine communiter exprimunt. Quibus accedunt tertio affectus, quos per accidens tantum deſperatos dicere ſolent: nimirum quorum, per ſe quidem curabilium, remedia ad manus non ſunt, vel æger moroſus atque inobediens illa non admittit.

Nullum horum Chriſtianus Medicus dimittere incuratum valet, ob rationes inſequentes, in ſpecie vero nec abſolute lethaliter decum-

cumbentem, vel ideo, ne viva apprehenſione & mœrore ægri terminus fatalis anticipetur, quique corpore tantum hactenus laboravit, in animi etiam mœrorem conjiciatur; cum ægro nihil crudelius, quam Medicum deſperantem & ab omni medendi conatu deſiſtentem videre, accidere poſſit: adeoque in ejuſmodi caſu hic manum non tam deneget aut ſubtrahat, quam blande ſubducat. Sin morbus quidem non abſolute lethalis, incurabilis tamen omnimode ſit, v. g. calculus veſicæ major, annatus &c. cancer, arthritis conſummata, liberius ac ſecurius ab hujus curatione abſtinere licet, addita etiam, ſi cum ſapientiore nobis res fuerit, ratione; quia a deſertione hac nihil majoris mali facile metuendum: imo utut tibi tunc indignetur æger, aliorumque auxilium hinc inde quærat, fruſtraneum tamen hoc cum aliorum pollicitationibus vanis expertus, & ſumptuum atque curationis moleſtiarum pertæſus, ad te tuamque ſinceritatem revertetur, tuamque prudentiam, ſi non lingua, certe animo, extollet. Quidam morbi deploratorum non curandi.

Quamvis in utroque hoc caſu ſub tali moderamine, ut, de primarii morbi curatione deſperans etſi Medicus, ſymptomata nihilominus aliquatenus & eousque leniat, quo ab horum gravitate paulo levatus, aut placida magis morte defungatur, deploratus juxta illud: Ad minimum ſymptomata leniat.

Requiem tamen indere morbo,
Fas erit, & triſtem ſaltem mulcere dolorem.

aut dolore atrociore ſimilibusque ſymptomatis gravius afficientibus, ſomnum interrumpentibus &c. mitigatis patienter magis ferat malum, quod ipſemet incurabile judicat. Quippe & hoc in Medico & Arte laudatur, ſi his tantum medeatur, quatenus *Seneca de vita beat. cap. 17* de arthritidis ſuæ inveteratæ ſanatione omnimoda quamvis deſperans ita nihilominus ſcribit: *Non perveni ad ſanitatem nec perveniam quidem, deliniamenta magis, quam remedia, podagræ meæ compono, contentus, ſi rarius accedit, & minus verminatur.*

Quod vero alterum genus morborum attinet, quod naturam aliquando mirabiliter & præter omnem ſpem ſanare, multifaria comprobat experientia, huic omnimode manum admoveat Medicus, id eſt, excitet ac juvet illam: quo ſua arma, nobis omniumque ingeniorum ſolertiæ incognita, in morbum, tanquam hoſtem ſibi juratum, potentius vibret; forſan, ſi pariter non ipſi morbo primario, Quorundam deploratorum ratio habenda.

rio, certe hujus ſymptomatis ac viribus proſpiciendo, impedimenta obvia removendo. Neque enim gravitas morbi ac difficultas curationis, & quod hujus generis affectus rarius ſanetur, Medicum peritum deterreat, ſed potius eo ipſo, dum *Cuivis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt*, omnem lapidem movebit, ne naturæ, adjutorium ejus poſtulanti, deeſſe, ab atrocitate morbi fugari ac urgente malo & invaleſcente hoſte arma projicere videatur.

Non moroſorum.

Sed quoad morbos, quos non tam illorum habitudo ſeu gravitas, quam ægrorum moroſitas atque intemperantia plus minus deploratos reddit, quorum exempla, quia quotidiana, non attendimus, unicum ex *Celſo 3. cap. 21.* adducere conveniet. Hydropem ſc. facilius ſuperare ſervos, quam liberos, hujus aliorumque ſcriptorum communis eſt obſervatio: quod ad hujus medelam ſtrictior, inter alia, præprimis quoad potum, deſideretur diæta, cui ſe accuratius mancipare coguntur illi, præ his, quibus inutilis ac damnoſa libertas eſt; neque hi quidem, qui ab alterius juſſu dependent, ſi ex toto ſibi temperare non poſſunt, ad ſalutem perducuntur. Ideoque refert, Medicum quendam Regis Antigoni non ignobilem, amicum hujus, notæ intemperantiæ, hoc morbo non mediocriter implicitum, ſanari poſſe negaſſe, quem alius Medicus ſe ſanaturum pollicebatur; reſpondiſſe vero huic eum ad morbum, ſe ad animum ægri reſpicere: neque hunc rem fefelliſſe. Hydropicum quippe illum, quamvis cum ſumma diligentia, non medici tantum, ſed regis quoque, cuſtodiretur, nihilominus malagmata ſua devorando bibendoque (aliis denegatis potulentis) ſuam urinam, in exitium ſeſe præcipitaſſe. Neque hos tamen ſine conſilio & ope dimittat Medicus probus, &, ſi ad errorum in victu ſimilibusque emendationem adhortetur, remedia pro re nata & congrua proponat, officio pariter ac conſcientiæ ſuæ ſatisfaciet, utut non intentioni; querulum & immorigerum ægrum ferendo, eique juxta *Senecam*, modo remedia monſtrando, modo inculcando: cum difficile ſit quenquam invitum ſanare, contra multa deſperata credita, aliquando ſuccedant, & largiente eodem *Celſo, ſæpe pertinacia juvantis malum corporis vincat.*

Deinde diſtinguere convenit inter morborum momenta, ſeu morbos eousque deſperatos, ubi functionum & naturæ virtutis omni-

omnimoda dejectio, ſub pulſu intermittente, aſphyxia, ſudore frigido, ſtertore, ſpuma circa os &c. non mortem tantum imminentem ſed fientem ac præſentaneam, ſignificat: & inter eos, quibus equidem diverſa lethalitatis ſigna, urinæ nimirum cruditas pertinacior, deliria, ſenſus & motus ablatio, convulſiones, uno verbo, morbi vehementia & maximus virium defectus ſubſunt, res tamen nondum adeo, ac in illis, conclamata, ſed ambigua tantum ſpes videtur. Ubi in priore caſu nulla præſidia adminiſtrari debent, utpote omnino inepta ac fruſtranea, & a quibus nihil levaminis nec in corpus, nec animum ægri, morientis jamdum, redundat, nec mali quid ab horum denegatione percipit hic: in poſteriore vero ægrum deſerere nondum tempeſtivum, ſed remediis adhuc inſiſtere nihilque in ancipiti etiam caſu intentatum relinquere fas erit; ſi non, ut ægrum orci faucibus eripiamus, certe ut, quemadmodum ſuperius dictum, eundem tranquilliorem reddamus, ſymptomatum aſperitatem leniamus, & cui vitam largiri ſeu conſervare non poteramus, monente *Seneca 1. de ira 6.* facilem forſan exitum præſtemus.

Aliter agendum cum omnimode deſperatis. Aliter cum gravius tantum decumbentibus.

Porro nec *tertio* quibusvis ſub ejuſmodi rerum ſtatu remediis conceditur ſemper locus, nempe generoſioribus & cum evidente periculo combinatis: quod *Galenus 12. method. med. cap. 4* innuit, & in ægro morituro nullo generoſiore præſidio uti præcipit: ne hujus vehementia periiſſe dicatur, quem morbus ſuſtulit. Quamvis aliquando magnorum & momentoſorum quoq; remediorum uſus, ſi ſalus non omnimode deſperata, concedi debeat, v. g. in angina tracheotomia, in partu difficili hyſteromatocia, in ſuffocationis metu vomitorium & Venæſectio, juxta illud *Celſi*, melius eſſe anceps aliquod experiri remedium, quam nullum, & *Galen. 10. meth. med. c. 10.* ubi, *quanto ſatius eſt*, ſcribit, *aliquid nonnulla fiducia vel cum periculo facere, quam ſpe adempta certo perire: tanto profecto ſatius eſt, potentibus præſidiis pugnare, quam nihil agere*, modo ſpes aliqua adhuc, ſi non declinandæ mortis, prorogandæ ſaltem ſalutis, compareat.

Deſperatis medendum per ſecuriora. Aliquando etiam per generoſiora.

Fallit equidem Medicos nonnullos adeo ſua meticuloſitas, ut ſibi conſultius ducant, in caſu ancipiti a momentoſis remediis abſtinere, ne mortem acceleraſſe videantur: aſt eo ipſo, dum, juxta *Hippocr. de leg. 3. timiditas impotentiam artis* penes hos arguit, maxime

Nam timiditas etiam nocet.

cavendum erit, ne, dum indemnitati infirmorum tutioribus præſidiis nimis litamus, potentiorum neceſſariorum interim neglectu periclitari ſinamus eorum ſalutem, eandemve nefarie ſuccidamus, adeoque exitiabiles æque medentis ſint blanditiæ, quam vehementia præſidii. Cum juxta *Senecam & in ipſa deſperatione extrema remedia tentanda ſint:* quatenus leviores maculas equidem aqua mollior eluit; ſed ubi altius inſedit vitium, acrius adhibetur cum ſapone lixivium, tranſitque a medicamento ad ferrum, a ferro ad ignem Hippocrates, non in affectibus levioribus, ſed gravioribus, i. e. quibus nec pharmacum nec ferrum ſufficiebat.

Remedia generoſa deſperatis aliquando contingunt ſalutaria.

Variis Scriptorum & praxeos quotidianæ hiſtoriis illorum, quibus ancipiti morbo decumbentibus anceps remedium ſalutariter ceſſerit, ad minimum vitæ terminum prolongarit, aſſertum hoc confirmare ſupervacaneum credo; ſingulorum unicum tantum, propriæ obſervationis recenſebo. Vocabar ſuperioribus annis in agrum vicinum, ut mederer Viro, ſtirpe & munere Generoſo, qui poſt alia valetudinis fata corripiebatur dolore & tumore abdominis, hypo-
Obſ. 1. chondrii præprimis dextri, immenſo, hinc febre continua, vigiliis, diſpnœa, tuſſi variisque atrocioribus ſymptomatis, quæ Medicus ordinarius hactenus cuncta flatuoſa & hypochondriaca crediderat, adeoque clyſteribus eluere, carminantibus & confortantibus demulcere, fruſtra curaverat. Inveniens miſerum hunc ſub gravi hac ſymptomatum ſyndrome tanti languoris, ut præſagium peſſimum penes omnes, imo etiam Medicum priſtinum, eſſet, indagine tamen ſolertiore deprehendens malum primarium inflammationem muſculorum abdominis, qualem *Galenus 5. de loc. aff. 7.* in Steſiano quodam, & *Valeriola 4. obſ. 5* in fæmina annotarunt, ſuppuratam, ſimulque incertus, an inter muſculos hos ipſos, an inter hos & peritonæum, ſanies ſtagnaret, in quo poſteriore caſu, ſi differatur auxilium, peritonæi perruptio & puris in abdominis cavum defluxus metuendus erat: hæſitantibus Medico & adſtantibus, quaſi de re conclamata, ſcapello apoſtema mox incidi juſſi, cum euphoria & inſequente hanc poſt pu-
Obſ. 2. ris copioſiſſimi ſucceſſivam eductionem ſalute ægri. Pari ratione egi aliquando cum juvene empyico, Xenodochii noſtratis alumno, ex pleuritide ſuppurata deſperato, quem carnibus & viribus a tuſſi & febre

febre hectica conſumptum & ſtrangulationi proximum offendens, ejus ſpatium intercoſtale quintum ſiniſtrum eodem ipſo momento perforari curavi, eductoque ſenſim ac ſucceſſive pure graveolente in ancipitio conſtitutum generoſo hoc remedio ab interitu vindicavi.

Quin vero aliquando auxiliis medicis vitam prorogare ac mortis impetum ſufflaminare liceat, partim illa hecticorum conſummatorum therapeia evincit, quam vel ideo *Galenus 10. meth. med. 10* commendat, ſi *maluerit fortaſſe propinquorum aliquis atque etiam ægrotus ipſe aliquo ſpacio in ſenis habitu vivere, quam illico mori*: partim itidem quotidiana edocemur praxi, ex qua meminiſſe quadrabat viri cujusdam aſcitici, (olim & alia occaſione jamdum a me commemorati) qui ſuffocationem momentaneam fere expectans, adminiſtrata & repetita pluries paracenteſi, eductisque hujus ope per vices ultra centum & viginti libris aquarum a menſe Maji ad Novembris medietatem nihilominus ſuperſtes, aliquandiu etiam cum virium & carnium quaſi accretione, appetitus ventriculi atque habitus floridioris reſtauratione, conſervatus fuit. Prorogatur iis aliquando vita in deſperatis.

Quibus ſuppoſitis, non pro Chriſtiana tantum pietate, ſed humana quoque charitate, ægris, etiam declamatis pro modulo ſubvenire convenit: ſi non, ut a morbo liberentur, ſaltem ut hunc cum morte mitius ferant, & in hujus articulo quaſi conſtitutos non omnis ſpes decollet: utpote quod laudabilius erit, quam in tanto agone infirmum ſine levamine, cum crudelitatis nota, relinquere. Idem quoque arguit illorum, quibus jamdum ſandapila parabatur, inopina ſalus, qualium exempla hinc inde legimus & obſervamus: cum iniquiſſimum videatur, advertente *Quintiliano declam. 8. deſperatum vocare, quoties remedium Medicina non invenit*, quatenus, quæ hominis potentiam ſuperant, Dei nihilominus potentiæ ſubjiciuntur, cujus decreta legibus medicis firmiora longe. Accedente potiſſimum judicii noſtri imbecillitate & in præſagiis eruendis vacillatione adeo frequente, cui minime tantum tribuere licet, quaſi neceſſario evenire debeat hoc, quod ex infidis ſignis auguramur. Cujus rei experientia convictus *Hippocrates 2. aph. 19. acutorum morborum prædictiones ſalutis & mortis non omnino certas* pronunciat: ac neminem Et hi non facile delinquendi. Quidam præter omnem ſpem reconvaleſcunt.

in praxi verſatum latere poteſt, multoties ægros derelictos & mortuis adſcriptos, præter omnes prognoſeos regulas ad vitam redire ac reconvaleſcere, v. g. juxta *5. aph. 1. & 2.* convulſi ab hypercatharſi & vulnere, graviter in cerebro & ventriculo ſauciati. Et quemadmodum a febribus acutis nónnulli cum ſignis ſatis ſalutaribus interficiuntur, ſic alios quoque eorum ſub periculoſiſſimis ſymptomatis reconvaleſcere, experientia loquitur: ut aliorum generum morbos, graviſſimos maxime & deſperatis omnimode adſcriptos, taceam, a quibus nihilominus liberari multos, infinitæ hiſtoriæ teſtantur; forſan quia, annotante *H. Augenio l. a. quidam reipſa deplorati dicuntur; quidam ſenſus judicio, cum revera tales non ſunt*, quod eximio caſu confirmat idem. Ægrotantem nimirum quendam, Callium dictum, febri acuta, ſævis comitata ſymptomatis, laborantem, ac pulſu ex propria natura gaudentem maxime obſcuro & vix ſenſibili, ſimulque vaſis urinariis præter naturam conſtitutis, Medici periti, conſtitutionis tamen ejus individualis ignari, v. g. Conſalvus Barreda, Modeſtinus & Petrus Franciſcus, moriturum prædixerant, ex pulſu nempe debili & urina perpetuo cruda: quibus accedens Augenius, hominis naturam individualem cognoſcens, contraria uſus prædicendi ratione adæquatis remediis eum ad ſanitatem perduxit. Quemadmodum E. ſecundum Hippocratem & Galenum inter uſus prognoſticæ partis reliquos etiam hic eſt, ut Medicus a culpa internecionis liber maneat: ſic, quamdiu prædictio ejus non infallibili gaudet certitudine, ſine dubio peccat, ſi pro morbi, ancipitis eventus, averſione nihil omnimode egerit, ſeu curationis dubiæ nullum plane periculum fecerit.

Prognoſis aliquando petitur a juvantibus & nocentibus.

Imo, cum judicium de periculo ægrotantium petatur ex collatione morbi ſeu ſymptomatum atque virium, vix autem aliquid reperiatur, unde in ejuſmodi caſu certior poſſit depromi de harum ſtatu conjectura, quam a juvantibus & nocentibus, ita ut illæ, quamvis ad extremum languidæ videantur, tales tamen non obſerventur, medicis auxiliis tentatæ ac confirmatæ: vel hujus tentaminis ſaltem gratia, & quo habitudo virium, Medico hactenus non omnimode perſpecta, innoteſcat, aliquid moliri & de virtutis conditione periculum facere, conſultum erit, illi præprimis Medico, qui infirmi nullam

lam hactenus habuit notitiam, nec cui licuit vel ab hoc ipſomet, vel ab adſtantibus, illam capere.

Ratio vero, cur declamatis medela deneganda, quam *Hippocrates*, *Galenus*, *Celſus* aliique promunt, unica hæc eſt, ne minus ſecundus inter medendum eventus medici errori attribuatur, hicque culpam homicidii incurrat, artisq; potentia ſuſpectus reddatur: haud tamen tanti ut hujus intuitu omnem hic deponat humanitatem ac pietatem, metuendo nimis calumniatorum linguas conſcientiæ ſuæ notam inurat & charitatem Chriſtianam negligat, quale quid illi Medicorum Principes, ſuæ & artis exiſtimationi magis, quam adjutorio proximi, dicteriis his ſuis proſpicientes, egiſſe videntur. Sunt ejusmodi exprobrationes atque reprehenſiones a popella tantum rudi metuendæ, cujus invaſiones *Hippocrates* quoque in *epiſt. ad Democrit.* ſe ſuſtinuiſſe conqueritur his verbis: *Et ego ſane mihi videor majorem reprehenſionem, quam honorem, artis me aſſecutum eſſe.* Ac nonne idem *Hippocr. de arte t.* 13. etiam ab his, *qui victis a morbis curam adhibere nolunt*, medicinam vitilitigatorum ſcrupuloſiori cenſuræ & ludibrio exponi, tradit? atque hoc quidem non tam per rationem ab eodem adductam, ſc. quaſi leviores & illos tantum morbos ſanare aggrediantur, qui per ſe ipſos ſeu a natura fuiſſent ſanati, illos vero, qui auxilio opus habent, ſeu graviores, non attingant; cum nihilominus artis ſit, omnibus æque morbis ſanitatem adferre: quam vel ideo, quod frequentius eveniat, ut quem ægrum, quaſi moribundum & deſperatum, derelinquit Medicus, edentula ſuperveniens anus aut cujuscunque generis medicaſter, modo aliquid inutile ineptumque moliatur, & ſub ineptiis his ille aliquales vires recipiat ac paulo melius ſe habere incipiat, ſanaſſe credatur, ſubſannetur per conſequens & irrideatur ille, quaſi imperitus, ac agyrta multo inferior habeatur & proclametur. Qualis tunc in Medicum & ejus artem, quam ægro illi detrectarat, exiſtimatio, qualis autoritas?

Ratio Hippocratis aliorumq; ethnicorum cur deſperati derelinquendi, eſt nulla.

Contradicere ſibi videtur Hippocrates.

Omnem interim Medicus, deploratorum medelam in ſe ſuſcipiens, imperitiæ ſuſpicionem & calumniam declinabit, ſi, dum hanc aggreditur, affectus gravitatem & vitæ diſcrimen, ſi non ægro, ſaltem adſtantibus exponat, ex conſilio nimirum *Celſi* 5. *cap.* 26. qui, poſtquam eum, qui ſervari non poteſt, non attingendum monuerat, pru-

Sub deſperatorum cura ut ſibi medicus proſpicere poſſit.

dentis

dentis pariter putat, *ubi gravis metus, ſine certa tamen deſperatione, eſt, indicare neceſſariis periclitantis, in difficili rem eſſe: ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe, videatur.* Quod idem Scriptor *2. cap. 10* Venæ ſectionis exemplo declarat, *Boni nimirum medici, ait, oſtendere, quam multa ſpes ſine ſanguinis detractione ſit, faterique, quantum in hac ipſa re metus ſit: & tum demum, ſi exigatur, ſanguinem mittere.* Sicut etiam *Hippocrates prognoſt. 1.* ubi prænotionis & prædictionis apud ægrotos vim innuit, Medicum etiam morituros æque ac ſervandos prænoſcentem & prædicentem ab omni culpa immunem futurum.

Impoſſibile omnes morbos ſanare. *Sanos ſiquidem facere omnes ægrotos*, juxta eundem *Hippocr. alleg. loc. impoſſibile eſt*, i. e. juxta *eundem de arte t. 13. ſi morbus vehementior fuerit, quam medicinæ inſtrumenta, de quali ne ſperare quidem oporteat, ut a medicina exuperetur.* Hinc medici munus ſeu ſcopus non ſanationem tantum involvit, ſed, qui eorum ad ſanationem ſuſcipiendam plus minus habiles ſint, i. e. artem vincant, etiam exponere; i. e. inter partes Medicinæ æque refertur prænotrix ac curatrix. Quo ſtante & advertente *Seneca 7. benef. cap. 13* medicus, ſi fecerit, ut ſanaret, i. e. ſi eorum, quæ in artis poteſtate ſunt, ad ſanandum nihil omiſerit, *partes ſuas peregit, quatenus etiam damnato reo Oratori ſtat eloquentiæ officium, ſi omni arte uſus eſt.* Quippe juxta *Philoſophum 1. Rhetoric. 1. Opus medicinæ non eſt facere ſanum, ſed usque quo fieri poteſt, iſtuc perducere:* & monente *Scaligero 1. de plant. qui morbi ſunt incurabiles, extra artem ſunt. Quid mirum? ſunt enim extra naturam.* Quibus locis ex *Hippocr. de arte t. 10* ſubnecto: *illos, qui ob morientium calamitatem* (ἐντῆσι, συμφορῆσι) *artem annihilare contendunt, miror, quanam memorabili ratione commoti, intemperantiam cauſam mortis non ſtatuant, ſcientiam vero eorum, qui medicinam exercent, tanquam ſane medici quidem ea, quæ non conveniant, imperare poſſint, ægri vero, quæ imperata ſunt, tranſgredi non poſſint. Atqui longe magis rationi conſentaneum eſt, ægros non poſſe facere, quæ imperantur, quam medicos non convenientia jubere.*

Medicinæ ſubjectum non ſunt bruta. Fluctus in ſimpulo, juxta *Lindanum*, excitare videntur, qui cuncta viventia ſubjectum medicinæ ajunt, adeo, ut brutis quoque medeatur, ſeu Veterinarium agat, Medicus, volunt, inter quos ſine

dubio

dubio primum locum tenet *Joh. Phil. ab Ingraſſia*, dum Mulomedicinam unam eandemque artem cum noſtra proprie dicta Medicina conſtituere, peculiari commentario oſtendere, conatus fuit. Quemadmodum olim *Hippocrates* Hippiatricam ſeu Veterinariam conſcripſit, quem ſecuti alii ex Græcis non minus ac Latinis, inter quos *Theomneſtus Abſyrtus*, *Tiberius*, *Demetrius*, *Diophanes*, *Antolius*, *Vegetius*, *Columella*, *Rigaltius*, *Angel. Bargæus*, *Aurifaber*, *Ruſius*, *Joh. Ruellius*, Græcorum hujus argumenti commentatorum fidus interpres &c. quod negotium neglexerunt Moderni, pauciſſima tantum ejus hinc inde ſuis ſcriptis inſerentes; neque hæc quidem, niſi quatenus vel theoriæ, vel praxi noſtræ Medicinæ aliquid lucis fœnerantur, dum v. g. *Williſius cerebr. anat. cap. 20.* morbi cujusdam fœtidi equorum, Pani appellati, & hujus ſingularis Medelæ meminit, ut ſucco nempe nervoſo aliquam probabilitatem lucretur.

Ingraſſiæ ſententiam amplectuntur nonnulli ex recentioribus, v. g. *P. Laurembergius Portic. Æſculap. cap. 11. & Plempius fundam. med. 1. cap. 3.* Subjectum Medicinæ princeps quidem Hominem, adæquatum tamen animalia cuncta, ne dicam ad *Plempii* mentem, vegetabilia quoque, pronunciantes, adeo quidem, ut horum poſterior ipſam veterinariæ exercitationem Medicum non dedecere, aſſeruerit; licet prior eandem ab hujus dignitate alienam & nefas dixerit. Controverſiæ theoreticæ me implicare nolo, multo minus affirmantium argumentorum ventilationem in me ſuſcipiam: cum poſito & conceſſo adæquatum Medicinæ ſubjectum animalia cuncta exiſtere, nulli tamen Medicorum exercitium mulo-medicinæ decorum, ſed hoc liberalitati ac autoritati artis multum derogare, puto. **Medici.**

Quemadmodum in ſe minus perperam egerunt *Hippocrates*, *Demetrius*, *Columella &c.* in conſcribendis de re Veterinaria libellis, ſic nulli noſtri ævi vel Medico, vel Philoſopho, indignabor, ſi paria tractet, & experimenta hujus generis vel propria, vel ab aliis tradita, in communem utilitatem colligat atque edat. Neque his, quod neminem cujusvis conditionis dedecet, vitio vertam, ſi rerum œconomicarum ſtudioſi, vel ſuis, vel amicorum, vel aliorum, Magnatum æque, ac ruricularum, pecoribus & quibusvis animalibus domeſticis morboſis, quaſi aliud agendo, proſpiciant, remedia innuendo, diæ-

tam dirigendo &c. Sicut autem nec Hippocratem, nec alios hujus generis ſcriptores olim ζωιατρίαν exercuiſſe evinci poteſt, nec de ullo tot ſeculorum forſan Medico conſtat, qui ſordidius hoc opus vel lucri, vel gratiæ Magnatum, cauſa, in ſe ſuſceperit, aliisve ſuaſerit, quin potius eos omni ſtudio dehortarit, v. g. *Laurembergius*, *Conringius & Lindanus*; neque *Carol. Ruinum* Equitem Bononienſem, v. g. quod Equorum Anatomen ac Medicinam ediderit, aliosve Viros Generoſos atque Illuſtres, qui ſimilia conſcripſerunt, veterinarios ſe cuivis præſtitiſſe probabile eſt: pariter nec ullius Medici cordati verique exiſtimationi congruit κληνιατρίαν adminiſtrare, multo minus beſtiis clyſteres injicere, obſtetricari ſimilemve Chirurgiam facere.

Veterinariæ exercitium dedecet medicos.

Hippiatricam equidem Commentariis Hippocratis illatam legimus, inde autem, quaſi idem ad ejus exercitium filios artis adegerit, minime inferre licet: inprimis cum in cæteris ſuis libris ne verbo quidem illius mentionem faciat, nec in ullo horum, ne quidem Iſagogicorum, in quibus de Oeconomia Medici egit, Medicinæ beſtiis adminiſtrandæ præcepta tradat. Vereor potius, ne quem per adulationem ac ſubmiſſionem hanc nimiam, affectum & gratiam ſibi conciliare annituntur ejuſmodi Mulomedici, advertante *Galeno 6. epid. comm. 4. t. 9.* in contemptum abeat; perinde ac illis fieri ſolet, *qui tum dicentes, tum facientes omnia ad delectandum vulgi exiſtimationem venantur, etiam ſatellites ac ſcurras inter cœnandum agentes*, quos idem *Galenus Prænot. cap. 1* emphatice deſcribit: quale quid ſane hoc noſtro ævo magis metuendum, ubi Medici cum arte ſua fabula fere evaſerunt. Imo denique, ſi decorum ex Legum tenore æſtimandum, vel eo ipſo, dum privilegiis ſeu prærogativis, medicis veris conceſſis, minus gaudent Porculatores ejuſmodi, tanquam mechanici, v. g. transferendi ſalarium ad ſuos hæredes, vel a republica vel privatis conſtitutum, quantumvis illi multum ante tempus finiti miniſterii deceſſerint, ut penes *Carrarium de medico & illius officio, part. 3. §. 116. 131. & 151* legitur: videntur abjectioris conditionis medici brutis juxta homines, quam his ſolis, medentes, ſibique & ſuis famam æque ac commodum derogant.

Modeſtus ſit medicus.

Humanitatem porro ſeu Comitatem, quam decorum Medici egregie atque evidenter moderari & quam hunc juvandi ſtudio, hincque

que promptiore acceſſu, infirmis declarare, dictum, ad hos ingreſſus hic exercebit ac teſtabitur Modeſtia & ſuavitate ſeu lenitate. Ubi ante omnia placidus eſto introitus, non petulans, non obſtrepens, nec intempeſtivus, & reprehendenda eſt illa quorundam ruſticitas, qui dormientium conclavia cum impetu & vociferationibus irruunt, unde expergefacti ægroti illis iraſcuntur & ſe valde perterritos ac læſos, non ſine indignatione, conqueruntur, imo vere hinc percelluntur. Novi, qui media nocte, aut ſummo mane, nihil hoc urgente, ſuos viſitant, & quidem, vel his adulandi, vel potiorem præ aliis vigilantiam, ac quaſi languentium ſalus ipſis magis cordi ſit, oſtentandi cauſa: quod his nihilominus utplurimum valde moleſtum contingit, Medici vero animum abjectum & perturbatum prodit. **Introitus ejus ſit modeſtus**

Pariter gravem, juxta *Hipp. de Med.* ſemper præ ſe ferat vultum, i. e. compoſitum & meditabundum: haud amarulentum tamen, ne ſuperbus & contumax cenſeatur, neque nimium hilarem ſeu in riſum exolutum, ne pro ſcurra habeatur. Ut taceam, ne, ſi forſan ægrum languidiorem inopinate offendat, hinc faciem ejuſmodi ovantem ſubito mutet, animum dejicere videatur illi, minima etiam geſtuum quorumcunque animadvertenti. **ac gravis.**

Leniter hinc agat idem cum infirmo, leniter cum aſſidentibus, ne alterutri horum, aut utriſque odioſus & moleſtus evadat: ſi forſan cum iis rixetur eorumq; inobedientiam aut negligentiam non niſi aſperitate, reducere & moroſitatem quodammodo ſublevare norit. Sicut contra ſerviliter & undiquaque ſi iis annuat, geſtibus etiam fractis & indecoris abjectum nimis animum prodat & ſputilinguum ſe præbeat, v. g. totas noctes inſomnes penes ægrum ſine neceſſitate ducat, nares ſtercoribus admoveat, matulam illi porrigat, ſtragula paret ſimiliave miniſteria, autoritati ſuæ derogantia, præſtet, contemtui pariter ſingulis ſe exponit. Cum nihilominus Medicum ægro nec odioſum ſeu ingratum, nec vilem & ſtolidum, ſed humanum, moderatum & ſuavem, non ſatellitem & cubicularium, ſed conſiliarium, ſe præſtare conveniat; i. e. quem hic admiretur, veneretur & amet; ſecus illius præceptis haud obtemperabit. *Antiquiſſimum fuerit*, ſcribit *Galenus 6. epid. com. 4. t. 9. neque adeo medicum ſe ſubmittere atque adulari, dicendo & faciendo omnia ad delectationem, ut ſui* **Medicus ſit lenis. Non aſſentator.**

 contem-

contemtum pariat ; neque rurſum, perinde ac Calliomactem, ſe ruſticum atque aſperum exhibere.

Non nimis rigidus. Inprimis vero cavebit nimium rigorem, ſed autoritatem indulgentia aliquali temperabit, ne in alimentis, ambientibus, medicamentorum forma aliisque, in quibus citra noxam ægro gratificari licet, adeo ſeverus deprehendatur. Prolixe hanc indulgentiam commendat & variis caſibus exponit idem *Galenus l. a. t. 8.* ut vel in edulia, potulenta ſimiliaque, morbo non adeo congrua, ab ægris tamen deſiderata iisque grata viſa, oblectamenti cauſa, deſcendat, ſeu intempeſtive talia concedat, modo non enormius lædant, juxta *Hippocr. 2. aph. 38. paulo deterior & potus, & cibus, verum jucundior, melioribus quidem, ſed injucundioribus præferendus eſt :* adjiciendo, ſe talibus eorum poſtulatis & cupiditatibus pro nunc morem gerere, ut in aliis impoſterum obſequentes magis illi ſe præbeant. *Novi enim quosdam,* inquit *Galenus l. a. ex ea Medici liberalitate obſequioſos evaſiſſe.* Ut mittam, alimenta v. g. ſuaviora, utut non adeo utilia ſeu congrua, & aliquando abſona, viſa, ab ægris commodius digeri ac confici, hinc præter voluptatem præſentaneam viribus robur addere, hisque recollectis morbum levare & ad congruum magis appetitum ventriculum languentem excitare.

Etiam appetitui abſonorum indulgeat. Cujus rei experimenta tantum non quotidiana ſunt, quosdam v. g. ex hauſtu frigidioris, vini, braſſicæ fermentatæ, halecum, carnium fumo induratarum, lactis, oxygalæ &c. uſu abſono a febre gravi & pertinaci liberari & vires cum appetitu recuperare, ſecundum illud adagium, quod ſapit, nutrit: quaſi natura ipſamet innuat ac poſtulet, quo ſe juvari norit. Confirmabit eandem penes credulos lepida obſervatio, quam *Waldſchmid in Timæum cap. de Philtris*, & poſt hunc prolixius recentior ſcriptor, *Mich. Aloyſius Sinapius, de vanitat. falſit. & incertit. aphor. Hipp. lib. 1. 2. &c.* recenſet, Juvenem nimirum quendam, philtro intoxicatum & graviſſime ægrotantem ſuccum Naſturtii concupiviſſe, quem ipſi Medici & adſtantes denegarunt: poſt mortem vero in hujus cadaveris aperti ventriculo cornu quoddam durum fuiſſe repertum, ex quo parens juvenis defuncti in rei memoriam cochleare parare curarit, quod aliquando caſu ad Naſturtium capiendum adhibitum ſolvi & quaſi liquari viſum fuerit. Qui hinc,

hinc, filium ſuum Naſturtium in morbo concupiviſſe recordatus, pœnitens agnoverit, male ipſi hoc fuiſſe denegatum: i. e. eodem conceſſo nec cornu illud in ſtomacho efformatum, nec filium mortuum fuiſſe. Fides ſit penes autorem.

Nunquam tamen, ut dictum, indulgentia hæc ægris noxam adferat, ne illis a *Galeno l. a.* adſcribatur Medicis, *qui ægrotantium cupidini promptius obſequuntur, ut plus lucri hinc faciant:* potiſſimum cum haud facile emendare ſemper liceat ejuſmodi errores, ſatis interdum funeſtos, v. g. ſi varioloſis aut morbilloſis aër aut potus frigidior permittatur, ſi aqua vitæ ſimilisve potus ſpirituoſior ſalivationi mercuriali expoſito indulgeatur. Quare gratificatio ejuſmodi cum judicio fiat, nec ſolis ægrorum deſideriis, vel fæminarum aſſidentium ſtolidis opinionibus, committatur: quorum illi, ut pravo appetitui patrocinentur, vini v. g. ſtomachum hoc poſcere clamitent; hæ per teneram nimis v.g. & intempeſtivam commiſerationem, ineptientes illud porrigant, forſanque exemplo quodam minus adæquato ejus utilitatem & languentis appetentiam confirment. Decet Medicum prudentem ſcire, quando, quomodo & quantum indulgendum, ſi nimirum nulla aut levis hinc ſecutura videatur offenſio, quæve per ægri in cæteris obedientiam facile corrigi queat: ejuſmodi tamen pariter animi præſentia & gravitate polleat, qua deſideriis languentium minus proficuis contradicere audeat, & ſi forte ſe neſciente noxium vel intempeſtivum aliquid aſſumpſerint aut commiſerint, has delitias mollitiemque eorum blande increpet, periculum commiſſorum exponat, & ad obtemperandum emendandosque ac vitandos poſthac errores illos adhortetur. Niſi forſan talia impenſius urgeat ægri moroſitas nimia, cui connivere variæ interdum circumſtantiæ jubent: quod fieri debet exponendo & prædicendo inobedientiæ ejuſmodi moleſtias & pericula pediſſequa. Qua ratione tractari utplurimum poſtulant Magnates & Aulici, qui, ſicut ſubditis imperare pro lubitu adſueti ac plebe potiores ſe putant, ſic naturæ quoque & morbis cupiditatibus pravis imperare ſibi præſumunt & legibus Medicorum ſe ſuperiores credunt, horum proin præceptis ſe ſubtrahunt, & naturæ vim inferunt, agunt E. ut volunt, patiuntur, ut nolunt, & moriuntur ut debent, eſſen und trincken was ihnen ſchmeckt/ und leiden/ was ſie müſſen.

Modo non ſint evidenter noxia.

Etiam deſideriis ægrorum contradicat.

Conſuetudini indulgeat.

Quamvis deſideriis ejuſmodi decumbentium aliquando etiam patrocinetur conſuetudo, quatenus ſecundum *Hippocrat. 2. aph. 50. Ex multo tempore conſueta, etiamſi deteriora fuerint, inconſuetis minus moleſtare ſolent*, & *Galenum 7. Meth. Med. cap. 6. 5. de ſanit. tuenda t.15. ac de Aſſuetudine*, cui ſane auſcultare jubent exempla frequentiora ſatis paradoxa, eorum nimirum, quos a conſuetis, in ſe pejoribus viſis, conſervatos & refocillatos, ab inſuetis autem, utut ſalutaria videbantur, enormiter læſos, legimus.

Conſuetudinis vis.

Bina hujus generis ex ſuperioribus repetere licebit, fracedinem & fœtores quotidianos præanathymiaſi fragrantis atque purioris aëris ferentium: quibus impræſentiarum jungo ſimile ex *Levino Lemn. 2. de occult. nat. mirac. c.9.* Ruſticus, qui myropolium Antwerpienſe ingrediens a ſuaveolentibus mox animi deliquio periclitari cœpit, admoto vero ejus naribus fimo equino recente ac fumido, cui adſuetus, recreabatur denuo animumque recuperabat. Quadrabit huic, quod *Solenander ſect. 5. conſil. 15. num. 16* narrat his verbis: *Accidit, ut Ruſticus quidam, acutiſſime febricitans, ad Hoſpitale perductus, nullis remediis a D. Gisberto curari potuerit. Tandem ex morituro quæſivit, ecquid peteret, quæ fuiſſet victus ratio antea? dicebat, ſe plane ab iſto cibo & potu, ſirupis, & id genus ſimilibus, & lecto, qui nimis eſſet mollis, abhorrere, quod non dormiſſet intra novendecim annos in lecto, atque uſus fuiſſet cepis, caſeo bubulo & ſimilibus duræ coctionis, ſub dioque in ſtramine veſtitus dormiviſſet. Tandem D. Gisbertus una nocte permiſit, ut in ſtramine dormiret, deinde ut afferretur cepa, ſal cum aqua frigida, arbitrans illum tandem eo citius moriturum: cum ille poſtridie adſtaret igni, præter omnium opinionem.* Pariter *Salmuth. 3. obſ. 71.* de ruſtico quodam tritore perhibet, eum febre correptum herum in lectum reponi ipſique medicamenta præſcribi curaſſe, in quo noctes nihilominus inſomnes egerit & indies pejus ſe habuerit, donec in humum ſupra ſtramen collocaretur, ubi ſuaviſſime dormiverit, & aliis adhibitis brevi reconvaluerit. In paſtore ovium cœnobii cujusdam, febre ardente laborante, ſimilem conſuetudinis vim annotavit *Rejes Elyſ. camp. jucundar. quæſt. 93.* quem cum Prior, ut intra cubiculum rite & probe tractaretur, curaverat, optimo victu & aliis neceſſariis, pro morbi indigentia adhibitis, malum nihilominus ad ſalutis usque deſpe-

deſperationem urgebat. Quod cum a Rejes Prior intelligeret, ab eo percontabatur, an aliquid appeteret, quod libentius eſitaret? an aliquid pro ſui ſalute fieri optaret? qui anxie reſpondit, ſibi dubio procul magnum advenire nocumentum, quod ſub tecto & intra clauſum cubiculum cubaret, addens, ſi meam vitam deſideras, hoc unum mihi permitte, ut extra cubiculum ſub dio pernoctem. Quo facto, foras ad periſtylium, in aërem æſtivum, adductus ibique noctem degens, mane optime & placide ſe dormiſſe dicebat, & intra triduum omnino convaleſcebat. Agmen ejuſmodi exemplorum claudat ex relatione *Sanctorii 4. vitand. error. c.9.* Comes ille illuſtris, cui, tota vita vino meraciſſimo adſueto, cum laſſitudine & dolore capitis corriperetur, dum ſuadebat Sanctorius, ut conſuetudinis lege aliquantulum poſthabita, vinum tenuiſſimum hauriret, factum ut hinc ad lipothymiam usque viribus deficeret: donec mutato conſilio ad ſolitum meraciſſimi uſum ſe denuo reciperet idem.

Singularem conniventiam Medici fœminæ poſtulant imprægnatæ, ſi malaciam aut picam experiantur, non raro aborſus productricem: ubi prudenter agit, qui aliquando minus rigidus, licet aliquatenus aliena & inepta appetant, iis talia indulget; modo detrimentum non adeo magnum ab iis fuerit metuendum, & exceſſus omnis vitetur. **Gravidarum appetentiæ pravæ aliquando indulgendum.**

Quemadmodum contra ſevere nimis, aut perfunctorie potius, leges medicas ſervantes, graviter errant, v. g. intolerabili ſiti febricantes torquendo, quibus potus forſan eſt remedium, vel frigidam vinumve denegando, ſtragulis eosdem obruendo ac ſuffocando, calore fornacis eos extorrendo ac quaſi deliquando, tenuiſſimum victum ſeu ſtrictiſſimam diætam iis, quibus nihilominus eam noxiam deprehendimus, ſtricte injungendo, vel in ſimilibus diverſis delinquendo. *Sunt*, inquit *Botallus, qui carnes veru toſtas commendent, quas ſi reſpuat æger & ſuper carbonibus aſſas percupiat, non concedant: vel aqua interdum fontis pura utenti eam coctam propinent; vel vinum album prorſus damnent, cui tenue rubellum conferre judicaverint; vel aloëm non concedant, ubi hieram propoſuerint; vel fœniculum culpent, ubi aniſum vel daucum probaverint; & alia centena millia his ſimilia, quæ nihil niſi artis ignaviam, vel contentionis ſtudium, præ ſe* **Severitas nimia nocet.**

ferunt

ferunt. Cujus etiam generis ſunt, qui omnem ſalutis ſpem in uno aliquo tantum remediorum genere aſſerunt, quod æger nihilominus vel adſtantes contentioſe recuſant, & ſine quo medela æque commode fieri poterat, v. g. venæſectionem, vomitorium, clyſterem, fonticulum ſimiliaque, quæ nonnulli omnimode averſantur. Citra quæ tamen hi ſanati medico exprobrantes ajunt, ſi illa adminiſtraſſent, ſe mortem aut aliquod aliud gravius malum obiiſſe.

Eſto igitur, monente eodem *Galeno*, *terminus in medicando, quem non tranſibit is, qui ex arte generoſe contra morbum pugnat, ut tuto medicetur, ejus vero, qui dolorem ſedat, ut vires cuſtodiat: ubi ultra pergitur, crudelis hominis officia facit, qui una cum morbo vitam quoque homini aufert; qui vero cubantis delitiis ſubſcribit, adulatoris.* Seu ſuaſu *Hippocratis de Dec. ornat. Medicus comitatem quandam ſibi adjunctam habeat, auſteritas enim & ſanis & ægris difficilem acceſſum præbet.* Id eſt, ab eodem obſervare jubemur ægrorum peccata, & ab erroribus hos dehortari, ac reſiſtentes quidem ſeu moroſos etiam cum gravitate quadam increpando, reliquos ſereno vultu ſuſcipiendo, commonefaciendo & conſolando. Sc. qualem Chirurgum exigit *Celſus proœm. l. 7. qui ſit immiſericors, ſic ut ſanari velit eum, quem accipit, non ut clamore ejus motus, vel magis, quam res deſideret, properet, vel minus, quam neceſſe eſt, ſecet: ſed perinde faciat omnia, ac ſi nullus ex vagitibus alterius affectus oriretur.*

Quomodo gubernandi adſtantes ac miniſtri.

Adſtantes denique & quacunque ratione miniſtrantes, inter quos Chirurgos & Obſtetrices refero, officii ſui admoneat Medicus ſtrenue, placide tamen pariter, niſi incuria, moroſitas, imperitia ac malitia horum aliquid acerbitatis poſtulet, horum ſtrepitus ſimiliaque incongrua atque ingrata arceat, errores innuat & corrigat, increpando etiam eos, pleraque tamen, ſi fieri poſſit, ægro occultando: ne vel ex indignatione hujus morbus intendatur, vel ex eorum incuria ruditateve pejora ſibi, ad deſperationem usque, ominetur idem.

Adſtantium officium.

Cuſtodum ejuſmodi munus cum tria præprimis involvat, nimirum vel ut, quæ circa ægrum, hujus affectum, res non naturales & remediorum uſum contingunt, accuratius obſervent, quo Medico accedenti & ſciſcitanti ad amuſſim hæc referre valeant; vel ut medicamenta tempeſtive & commode applicent atque propinent; vel

ut

ut moderentur neceſſariam & a Medico determinatam diætam: redarguendi ſunt non tantum, ſi alterutrum horum perfunctorie & minus congrue agant, ſed præterea, ſi ultra crepidam ſapere malint, ægris, ut frequentius evenit, vel ſua, vel aliorum, euporiſta propinando, & a Medico ordinario commendata præſidia his ſuſpecta reddendo; utrumque modo clam, ſi timidiores, modo coram, ſi arrogantiores & perfrictæ magis frontis. Experiuntur ejuſmodi adſtantium imperitorum & imperitarum auſus atque contentionem, Magnatum potiſſimum Medici, ſi inprimis remedia generoſiora morbus gravior exigat, v. g. venæſectionem, catharſin, cranii perforationem, paracenteſin: quos illi ab artis opere interdum avocant, veritos objurgationes homuncionum ejuſmodi ineptorum eorumque linguam protervam. Interim quibus conſulere temere ſatagunt hi, nocent, eosque a tempeſtivo præſidiorum uſu excludunt: ut Magnatum infirmorum conditionem deteriorem ſemper crediderim, quam plebejorum, quibus, ſpuriis ejuſmodi conſultoribus minus ſtipatis, Medicus abſolute magis imperat, & ſine contradictione ulla admovet tempeſtive neceſſaria quævis; unde haud mirum, ſi hi præ illis promptius reconvaleſcant. Quamvis aliquando nos minorum gentium Clinici ejuſmodi aſſidentium garrulitatem quoque ſuſtinere cogamur, ut in applicandis congruis ambigui ſatis evadamus, fatiſcat interim miſer ſub eorum turba. Licet, ſi conſcientiam rogemus, Medicus perinde ac a remediis, quæ minus opportuna judicat, abſtinere tenetur, ab imperitioribus commendatis, ita nec obloquia ejuſmodi vitilitigatorum tanti æſtimet idem, ut ab his a conſilio ſano ſe averti patiatur, i. e. remedia appropriata, cum periculo ſeu detrimento languentis, omittat, ſecundum *Hippocr. præcept. t. 2. non cunctandum eſt, & ab idiotis inquirere, ſi quod conferre viſum fuerit ad curationis occaſionem.* Retundat potius obſtrepitacula ejuſmodi anilia, & ad officia demandata remittat naſutulos tales conſultores ac conſultatrices ſtrenue. Quibus nihilominus integrum relinquitur, ſi quicquam ad ægri uſum conferre cenſeant, Medico hoc exponere, idque ſi hic approbaverit, præſtare prudenter; ſicut eosdem cavere decet maxime illa, quæ, tanquam inutilia, renuerit idem: dum artis imperitis congrua viſa, ſi adhibeantur, noxam non

Errores ac delicta eorum corrigendi.

Conditio Magnatum ægrotantium deterior eſt, quam plebejorum.

Adſtantium dictis haud per omnia asſentiatur medicus.

non levem aliquando inferunt, eamque non adeo facile emendabilem.

Sit affabilis. Comprobat comitatem ſuam Medicus inſuper converſatione ſuavi & affabilitate, qua ſive Eloquentia licet, juxta *Celſum*, non curentur morbi, ſed remediis, non *Verbis*, *ſed Herbis*; gratum tamen ægro non minus, ac aſſidentibus, ſe reddit ille, vi ſequentis:

Corporis auxilium Medico committe ſodali:

modo in garrulitatem, ventoſitatem, aut maledicentiam facundia hæc non abeat. Loquacitatem in Medico vel ipſemet vituperat *Hippocrates*, dum *de dec. ornat.* poſt affabilitatem breviloquentiæ inter alia meminiſſe jubet, moleſta quoque exiſtit plerisque ægris, & Circulatoribus aliisque hujus farinæ hominibus tantum digna ac relinquenda, qui verba arrogantius præcipitant, quique ob prodigum & præpoſterum ſermonem a Viris prudentioribus damnantur, v. g. ab *Accurſio Codic. de Medic. L. Parabolanos*, his verbis: *Loquaciſſimi ſunt & ita doctiſſimi vulgi ſententia habentur; re vero & opere ſunt ineptiſſimi, & artem inter omnes ſumme honorandam & a Summo Deo hominibus conceſſam dedecorant.* Et profecto garrulus Medicus infirmo alter morbus exiſtit, aut huic & adſtantibus eſt deriſui; poſtquam ſc. loquacitas arti ejus minus quadrat, quam mutam olim cum *Virgilio* 12 *Æneid.* pronunciabant; contra non exigua prudentia eſt, linguam tempeſtive coërcere & ſolvere.

Non tamen garrulus.

Non jactabundus. Jactantiam ſeu ventoſitatem vitium plerisque medicis admodum familiare *Rodericus a Caſtro* 3. *Med. polit.* 2 ait, adeo ut adagium abierit: *mentiris, ut Medicus:* quales quidem ego aut ſtolidos & rudes, aut deceptores, judico. Illos, quod infirmitatem artis propriæ ignorent, adeoque huic & ſibi plus tribuant, quam in utriusque poteſtate eſt: vel quod alios, Medicos inprimis, adeo ſimplices & credulos ſibi fingant, qui eorum ampullas & ſesquipedalia verba pro oraculis habeant. Hos vero, quod blaterent nunquam viſa, nunquam experta, ſeu qualia nunquam præſtiterunt, ac præſtabunt nunquam ejuſmodi magnidici. Hinc, de quibus eorumque peritia olim optima quævis mihi pollicebar, hos ſtatim ac ſi arcana, difficiliorumve affectuum faciles medelas, morborum mortes ſimiliaque crepent, non vilipendere haud poſſum, vixque hoc hominum genere aliud

aliud mihi moleſtius eſt: quamvis cauſam his dicat plebs vana, **Klippern gehöret zum Handwercke ꝛc.** E. mentiri Medicorum eſt? ſecus longe de his ſcripſit *Hippocr. de fract. t.1. Qui ſapientes ſibi videntur Medici, hi ſunt, qui peccant.* Mirum ſane, ne dicam abſonum, qui aliorum corpora curare præſumant, horum animos depravato ac inordinato gloriæ vanæ appetitu laborare, & quos fatuis atque amentibus non raro mederi obſervamus, helleboro ipſosmet haud uti, ſicque ambitionis & præſumptionis irritæ fomitem, ſtultitiam nempe, non exturbare. Habetque hæc jactantia immodeſtior & ante curationem facta pollicitatio hoc oneris, ut teneatur magis Medicus ejusmodi de promiſſis non præſtitis. Subdola demum lingua exoſa eſt omnibus, & quemadmodum animi hilaritatem riſus, mœrorem lachrymæ & ſuſpiria teſtantur; ſic hæc ejusdem petulantiam, ſcurrilitatem ac malitiam prodit, hinc nec Medicum, nec Chriſtianum decet. *Quid ſi clamoſa vel garrula?* quærit *Botallus de Med. & ægri mun.* §.*35.* & reſpondet, *quatit aures illa ac ferit, ſimul & odium parit, quaſi ex audacia fuerit producta: hæc incontinentiam atteſtatur. Doloſam ac maledicam quisque hominum cavet, bonus juxta ac malus &c.* Non malignus.

Inter ſermonum argumenta opportunum maxime ſine dubio erit, quod ſciſcitationem morbi, directionem diætæ & præſcriptionem atque uſum remediorum ſpectat, hic enim ſcopus viſitationum ejuſmodi clinicarum primarius eſt, proin *Dic, cur hic?* nihil tamen obſtat, quominus loco & tempore idoneo de aliis quoque penes infirmos, vel cum his, vel cum aſſidentibus, verba facias, ſicque non medica tantum arte, ſed amica quoque converſatione, utrosque tibi devincias. Materia ſermonis penes ægros.

Sciſcitatio affectus hujusve cauſarum, therapejæ directio ſimiliaque, qua prudentia moderanda, ſuis locis conſtabit. In genere hic annotaſſe juvabit, primo cum mulierculis atque imperitis, ſive ægrotantibus, ſive qui ab horum miniſterio, de morborum cauſis & præſidiis non eſſe facile diſſerendum, niſi quantum maxime neceſſarium, & ſub breviloquentia ab *Hippocr. de dec. orn. t.9* commendata. Quali nihilominus monito refragari obſervamus illos, qui, ut fiduciam ſingularem penes plebem aucupentur, de affectus & remedio- Cum imperitis de morbo &c. non diſſerendum. Nugatores qui?

rum ætiologiis egregie garriunt: & hoc quidem nauſeabunda non raro prolixitate, ne dicam, ineptitudine. Cujus claſſis illos quoque nugatores autumo, qui aſtrologiæ peculiarem peritiam venditantes, quanta ratio ſit habenda aſtrorum horumque phænomenorum in remediis adminiſtrandis, ſtentoria voce clamitant: de qualibus nihilominus jurarem, eos nec circulum in ſphæra, nec aſteriſmum in globo, noſſe & vix ex ruſticorum calendariis ſapere. Quemadmodum de ejuſmodi homine ridiculo mihi his ipſis diebus relatum fuit, qui, dum graviorum affectuum curam gerit, noctes inſomnes frequentius ſe agere, ægris perſuadet, eum in finem, ut de mutatione morbi & tempeſtivo ac congruo præſidiorum uſu accuratius, præ cæteris Medicis cunctis, ferre valeat judicium, ni fallor, memor *Horatii*:

Aſtrologiam crepantes.

Ut jugulent homines, ſurgunt de nocte latrones.

Vanam illam vulgi auram jactatoribus ejuſmodi equidem vix invideo, modo ad captum hujus forent illorum prolata, neque ex his vel majora, quam par eſt, ſibi promittant ægri, vel male intellecta male applicent. Eo ipſo enim, dum, quicquid in buccam venit, garruli ejusmodi eloquuntur, non raro triſtia & atrocia incogitanter commiſcent, quibus infirmi terrentur ac in mœrorem conjiciuntur, ut de ſuo decubitu peſſima quævis ominentur, timentes, ne narratum ſimile quippiam ſit huic, quod ipſimet patiuntur: atque hoc aliquando alienam ſeu falſam plane Medici dictis affigendo mentem, in ejusdem præjudicium & famæ detrimentum. Ut ſi hic v. g. quendam ex incongrue aſſumptis inſigniter læſum dixerit, eum in finem, ut ab his ille ſtudioſius caveat, aut forſan ſaltim, ut gravioris morbi curationem jactitet ipſemet: infirmus eo detorqueat, quaſi a ſimili errore graviſſime & lethaliter ſe decumbere innueret idem. Quali judicio triſtiori ac deſperabundo parturientium nænias noſtrarum Obſtetricum ſæpius occaſioni exiſtere, non ſine indignatione quotidie experimur: in diſtociis, ubi animi excitatione & ſolamine opus, caſus tragicos, veros fictosve, inſulſe enarrantium, imo præſenti quoque, licet utplurimum, ineptiſſime applicantium. Es iſt hier eben ſo ein Zuſtand/ wie bey der ſeligen Frau N. N.

Garrulitatis damna.

Obſtetricum garrulitas.

Magnidicis his blateratoribus accenſere quadrabit eos, qui minus

nus expectatas ſymptomatum ingraveſcentias ac morborum pertinaciam non artis infirmitati, multo minus ſuæ imperitiæ, ſed ægrorum errori leviori, callide ſatis, & interdum cum horum increpatione, adſcribunt, *Hippocrati* jam dum *de Vet. Med. t. 38.* notos: *Sc. velut idiotas, qui, ubi illi* (ægri) *die aliqua novi quippiam feciſſent, veluti ſi lavaſſent, aut deambulaſſent, aut quid alienum comediſſent, atque hæc omnia melius eſſet adhibuiſſe, quam non: nihilominus tamen cauſam alicui ex his contribuebant, veram quidem cauſam ignorantes, & fortasſis id, quod commodiſſimum erat, damnantes &c.* Quales quidem penes plebem ſolertiores omnium circa infirmos animadverſores ac prudentiores cenſores audiunt, a ſapientioribus vero irridentur, non tam cauſam ſibi concipientes, quam fingentes, ſimulque ægros inepte cruciantes. Inconcinna ægrorum inculpatio.

Cujus genii illos pariter judico, qui affectus, quos ſuperare ac tollere ignorant, minus curandos ſeu attingendos miſeris præter rationem perſuadent, v. g. febres, ſcabiem, man müſſe ſie nicht bald vertreiben/ ſie wären geſund: cum nihilominus per experientiam convincamur, (1) omnes ægritudines in principio facilius, quam inveteratas, ſanari: (2) non raro indigitatos ſimilesve affectus ultra ægri & Medici expectationem duraſſe, adeoque ab illo ſanitatem anxie deſiderari, ab hoc tacite intendi; licet forſan non congrua ſatis præſidia, v. g. purgationes, ſanguinis miſſiones ineptas, adhibeat. Qua ratione non tantum propriam turpitudinem celare ejuſmodi medicaſtri annituntur, ſed aliorum quoque medendi rationem ſanam, qua cito ac tuto magis ejuſmodi moleſtias averruncare ſolent, cavillant, & quaſi intempeſtive egerint, i. e. in pericula recidivæ aliorumve morborum ſibi demandatos conjiciant, nugantur: prius quidem ſatis aſtute, poſterius vero frivole. Quidam morbos difficilioris curationis non ſanandos perperum dicunt.

Aliter ſentiendum, ſi cum ſapientioribus Medico fuerit negotium, quibus morbi ideam, cauſas & occaſiones, cum præſidiorum efficacia, explicare, ſuamque ſententiam contra imperitos ac malignos propugnare, magnam illi non raro fiduciam parit, *qualem omne demonſtratum proferentibus ſeu ad veritatem ac demonſtrationem confiſis Hippocrates l. a. t. 2* promittit. Fiat tamen hoc cum prudentia ac ſub terminis ejuſmodi, unde ægri animus minus conturbetur, a Prudentiobus morbi & remediorum indoles explicandæ.

Prudenter tamen

quibus aliorum errores ita corrigantur, ut veritatem potius, quam reprehenſionem, ille intendere videatur. *Promptitudinem*, ait *Septalius animadverſ. & caut. lib. 1. §. 8. data occaſione ad ratiocinandum oſtendat, nihil ſine demonſtratione proferens.* Et paulo poſt: *recte ſciat perſuadere, nam Plato 1. de legib. vult, ut primum doceat & perſuadeat Medicus, quid ſit ægroto faciendum, & non prius imperet, ita promptius parebit.* Juxta illud *Ariſtotelis: parebo lubens, ſi vera hæc, quæ dicis, eſſe demonſtraveris.* Potiſſimum autem ſermonis hujus vergat ad infirmos, ut boni animi ſint, excitandos, quatenus hi ſemper puſillanimes & ſuſpicioſi exiſtunt.

Trutinet itaque Medicus non tantum verba, qualia, ſed ad quos quoque, quomodo & quando ea faciat, & annon in ſe bona & congrua horum in malam partem æger ſuſpicax & meticuloſus, præprimis ubi morbus adhuc in ancipiti, interpretari queat: adeo quidem, ut nec, quæ aſſiſtentibus haud celamus, infirmo ſemper innoteſcere, conveniat, prognoſin inprimis dubiam concernentia. In ſpecie *Botallo* in eo adſtipulor, dum §. *41* ægris & aſſidentibus medicamenta neceſſaria declarare ſeu nominare vetat, ſed tantum ſignificare concedit, v. g. purgandum, vomitum excitandum, clyſterem injiciendum, ſudandum &c. eſſe, reticere vero, quibus hæc fiant, aut ex quibus parentur. Cujus ſui moniti rationes ſubnectit, (1) quod ægri ſine Medici conſilio talibus aliquando abuti, aut intempeſtive uti, queant, v. g. purgante vehementiore, ſudorifero volatiliore & ſpirituoſo, item papaverinc ſeu opiato in doloribus & vigiliis compeſcendis: a quorum ſimiliumque nihilominus in vulgus emanante cognitione, quam frequentes contingant ærumnæ ac clades, deplorandum potius, quam commemorandum. (2) Quod communiter nota brevi in contemptum veniant, i. e. ægri, notante *Plinio lib. 29. c. 1. minus credant, quæ ad ſalutem ſuam pertinent, ſi intelligant*: vel quia trita & vulgata facta, er braucht ja nichts als Krebs-Augen / das rothe Pulver ꝛc. vel quod ineptior artis aliquando hæc damnaverit, v. g. Mercurium dulcem, Cinnabarim, opium &c. vel quia ſunt exigui pretii, weil kein Gold oder Perlen darbey ſeyn. Quale quid non *Galenus* tantum de divite quodam perhibet, qui præſidia, quæ parvi videbantur, mendicorum eſſe, ajebat: ſed ejusdem generis homines etiam inter

Vis medicamenti innuenda, non ipſa medicamenta.

Notorum medicamentorum vilipendium.

inter noſtrates obſervamus, qui familiaria utilia ſpernunt, incognitis vero pretioſis & exoticis delectantur, v. g. lapide bezoar, auro, margaritis, hincque paratis bezoardico ſolari, Tinctura auri, Eſſentia lapidis bezoar, ſudorifero magno Fabri, Vomitorio pro Regibus & Principibus. Addo his (3) quod notis remediis vulgus non raro infauſtos morbi ſucceſſus attribuat, præjudicio nimirum vano laborans aut ejus perſuaſus, quo v.g. Cinabaria, Antimonialia, Mercurialia &c. abhorret, corticem Peruvianum reformidat. **Notis malus morbi eventus tribuitur.**

Proin taxanda venit maxime illa quorundam inconſtantia, aut mavis levitas, ſeu ſibi & aliis abblandiendi libido, a *R. a Caſtro lib.3. c.6* annotata, qua ut, quanto penu medicaminum polleant, eluceſcat, duo vel plura eorum ſimul commendant, languenti optionem permittentes: qui hinc dubius redditus neutri illorum fidit, medicumque aut inconſtantiæ, aut imperitiæ, accuſat. **Male plura medicamentorum ſimul commendantur.**

Imo invenies inter Medicos quosdam adeo garrulæ & præcipitantis linguæ, qui, ut habeant, quo eloquantur, vel ante, vel poſt, uſum remedii hujus ſingularia incommoda explicent, ſi non fingant: ſicut memini horum quendam, cum ab opiati, a ſemet præſcripti, uſu de gravitate capitis aliquali conquereretur ægra, reſponſum dediſſe, ich habe es wohl gedacht ꝛc. regerebat illa, warum hat er mirs denn verſchrieben? *Quo igitur*, infert *Botallus*, *opinione adverſus medicamentum non peccet æger, ſatius eſt ea non divulgare, niſi ea ſe velle noſcere contendat curioſus* (addo ſapiens) *patiens vel aſſiſtens*: quamvis ſimulare & diſſimulare in ejuſmodi caſibus ſecurius forſan ſit, ſi non denegare idem liceat.

Etſi Scriptori huic eximio in eo minus adſtipuler, quod materiam tantum auxilii, non auxilium ipſum, reticere jubeat, quatenus nec hoc ſignificare, ſemper e re eſt, v. g. ſi a purgantibus aut vomitoriis cujuscunque generis abhorreat ægrotus, ſub alterantium terminis propinentur, ſi de narcotico metuat, ſi veſicatorium dolorificum detrectet. Frequentius celare jubemur operationes Chirurgicas ac indicata, quibus miniſtrantur, v. g. dum, ſuadente *Galeno comment. in Hipp. librum, qui, quæ in medica trina fiunt, inſcribitur lib. 1. t. 13. medicus operam dat, ut ipſis* (ægris) *inſcientibus locum affectum ſecet, ſeu inexpectato homini ſectionem adhibeat*, veſicatorii neceſſitatem juxta **Aliquando tamen etiam vis ſeu effectus remedii ſubticendus.**

ac

ac hujus materiam ſilemus, dentis carioſi extractionem non minus diſſimulant, ac hujus inſtrumenta occultant, Odontagogi; & juxta *Celſum 3. cap. 5. ſemper ægros ſecuros agere convenit, ut corpore tantum, non etiam animo laborent.*

Ægrum ſalutis cauſa decipere licet.

Controvertitur equidem penes Autores, an ægrum ſalutis cauſa decipere liceat? dubitandi rationem præter ethica ac theologica præcepta forſan vel ſolo *Hippocrate* ſuggerente, quando *de Medico t. 1. juſtum & candidum ad omnia* poſtulat hunc. Verum eo ipſo, dum (1) in morborum medela non raro ejuſmodi eveniunt caſus, quibus debellandis uti cogitur Medicus præſidiis ingratis, dolorificis & tantum non crudelioribus, qualia nihilominus, ſola ſanitatis ſpe, ægri ferunt, illa diſſimulare & ſalutari ſtratagemate eorum teneritudini ſubvenire tenetur, *ne* juxta *Baudewyns part. 1. quæſt. 40 abſolute ſanari renuant, vel ſaltem, ne bis miſeri ſint: ſemel ſc. per vivam doloris apprehenſionem de futuro, ſemel, dum actu patiuntur.* Quod præſtamus operationem moleſtam ſeu doloroſam vel ſubticendo, vel ambagibus, argutis & ambiguis ſermonibus occultando & quaſi temperando, ægrum divertendo & conſopiendo. Nec, ſi categorice de his ſibi reſpondere urgeat æger, cui perſuadendum remedium, non, niſi cum ſanitatis damno, aut vitæ periculo, evitabile, mentiri fallereve dici poterit is, qui contra ſcientiam & mentem eorum loquitur & agit; dum omni ſtudio & induſtria juvare annititur etiam hunc, qui auxilium reſpuit. Porro (2) calliditatem ejuſmodi in Medico poſtulat infirmorum timiditas, quorum confractos animos omnibus modis ſolari & in ſpem meliorem erigere decet: dum ipſemet *Plato*, a mendacio quamvis alieniſſimus, *3. de republ.* nihilominus Medicis pariter, ac reipublicæ moderatoribus, tale quid, quaſi pro medicamento, concedit; ſc. ſub conditionibus & moderamine illo, de quibus, ubi de prognoſi formanda, agetur. Quibus (3) accedunt immorigeri & moroſiores ægri, quorum gratia, ſeu pro eorum contumacia & inobedientia retundenda, majora, quam ſunt, fingere licet mala, ut, annotante *Galeno 6. epid. 5. c. 13. certæ & exquiſitæ victus rationi obtemperent*, it. remedia neceſſaria promptius admittant: minime tamen juxta illos Hippocratis interpretes, quorum *Galenus l. a.* meminit, *ne medicis tanquam non celeriter illa vitia curantibus, iraſcantur, & mercedes*

cedes majores & munera ampliora, qui ſanati fuerint, medicis dent, utpote a magnis languoribus ſe liberatos arbitrantes; quæ ſc. mendacium verum dolumve ſapiunt.

Simulationes ac diſſimulationes ejuſmodi medicas præ aliis ſibi peculiares volunt (4) melancholicorum aliorumque delirantium errores pertinaciſſimi: quibus illæ genuinis magis remediis potentiores longe obſervantur, ut cernere eſt penes *M. Donatum 1. hiſt. mirab. 2. Schenck. 1. obſ. de Melanch. Zacutum Luſ. 1. Med. princ. hiſt. 36. 37. & 1. prax. adm. obſ. 48. & 49. Tulpium 1. obſ. 13. 19. ac 50.* Accenſere his lubet binos feſtivos ſtolidos, unum ex *Poggii Facetiis*, qui ſe mortuum perſuaſus clauſis oculis & immoto corpore per urbem eousque ferebatur, donec quidam prætereuntium exclamaret: bene habet, furem hunc peſſimum & ſuſpendio dignum periiſſe: tum ſtultus erecto capite, niſi mortuus eſſem reſpondit, dicerem, te per gulam mentiri. Alterum ex *Rejes Elyſ. camp.* qui tam vaſtum ſibi conceperat naſum, ut nullum ſibi ad ingreſſum ſufficiens pateret oſtium, quique non prius ſe ſanatum credidit, niſi viſis in ſubjecta pelvi ovium pulmonum fruſtis, quæ Medicus, inter manus & manicas naribus latenter admota, quaſi inde detracta, diſſecuerat. Id eſt, prout inſidias hoſtibus parare jure conceditur, cur Medicorum impoſturas honeſtas reprobabimus, quibus vitæ ac valetudinis hoſtem impugnant? Sc. juxta *Ayalam:*

Proſit ut ægrotis, Medicam nil dedecet artem,
Id fiat ſalva relligione modo.

Delirantes ut tractandi.

Deinde ſermones ſuos omnes eo dirigat Medicus, ne morbum vilipendere, ejusque curationem procraſtinare aut negligere, videatur. Nec enim exilior ſeu levior affectus parvi faciendus, cum morborum multi ſub initio mites compareant, quibus niſi propere ac ſub prima mox invaſione adhibeantur remedia adæquata, ingraveſcunt aliquando ad interitum usque infirmorum: ut taceam, horum nonnullos adeo doloſos & mali moris exiſtere, ut, primo mitiores viſi, circa ſtatum demum ferociam ſuam prodant, & veloci ſatis impetu illos rapiant. Proin perinde ac juxta *Hippocr. in epiſt. ad Cratev. ab omni arte aliena res eſt dilatio, maxime vero a Medicina,* in qua dilatio

Non morbum vilipendat & ejus curam differat.

eſt animæ periculum: ita, vellicante aurem *Meſue in præfat. auxiliari ne differas, cum ſemel pereunti nulla poſtmodum ſuffragia proſint*; & graviter peccat, qui non illico & ſub occaſione fugaci admovet neceſſaria. Quibus accedit, quod, ſi morbum minorem decumbenti Medicus perſuadeat, ille hujus præceptis minus obtemperet, cum ſui exitio & Medici ignominia, in quem culpa poſtmodum rejicitur, annotante *Galeno in Hipp. 6. epid. comm. 2. t. 46.* dum hic vel affectum ignoraſſe, vel fefelliſſe, cenſetur.

De minus congruis haud loquatur.

Hinc multo minus ἀλλότρια ad lectulos infirmorum tractet ſeu nugetur Medicus, ut aſſurgens & abituriens, nec phænomena morbi aliaque neceſſaria ſciſcitatus, nec remediorum mentionem feciſſe, aliquando obſervetur, tempusque fruſtra triverit: ab ægro demum vero, poſt fabularum & ineptiarum multarum profuſionem, ad frontis usque æſtum, hoc alloquio conturbetur, quærente: Was machen wir aber/ Herr Doctor?

Hortetur ægrum ad diætam & remediorum uſum.

Tertio ſiquidem, quemadmodum medela morbi ſine dubio Medici ſcopus primarius eſt, ſic ante omnia ſermone ſuo ad diætam congruam & uſum præſidiorum præſcriptorum adhortetur ægrum, & quidem, ſi affectus, Chronicus v. g. hoc urgeat, primo ſtatim aut altero acceſſu varietatem etiam pluralitatem eorum ſubinnuendo, præeunte *Hipp. præcept. t. 3* his verbis: *Utile eſt autem eorum, quæ ægroto offerenda ſunt, varietatem prædefinire. Non enim aſſeverare oportet, quod unum aliquod ſolum exhibitum proderit: omnes enim affectiones, ob multas caſuum circumſtantias ac mutationes, mora quadam diutiore adhærent.* Id eſt, cum morborum pertinacia & mutationes varient, hæque forſan plura remedia exigant, ſe omnia, temporum occaſione, adminiſtraturum polliceatur ille, hac admonitione ſimul facta, ne infirmum eorum præpropere pertædeat: ac hic de varietate illa minus admonitus eum genium ac difficultatem affectus ignoraſſe ſuſpicetur. Quod tamen ſub neceſſaria prudentia, ac ſine prolixiore eorum declaratione moleſtiarumque pediſſequarum ampla enarratione, multo magis ſine exaggeratione ac delineatione, fiat.

Immiſceat tamen aliena quoque

Ægrotum hujusque medelam ſpectanti ſermoni nihilominus ſubinde ſubnectere aut admiſcere licebit & conducet confabulatio-

nes

nes quodlibetarias, ſeu de variis ejuſmodi rebus, quæ in communi vita aguntur atque obſervantur, item rem literariam ſimiliaque ſpectant: modo ante omnia vel ægri vires, vel animus, talibus ferendis quadrent, non ſomnum turbent, & quæ hujus generis ſunt cavenda. Præprimis vero argumentum collocutionis ægri conditioni ac moribus ſit congruum & gratum, non odioſum: quatenus non tantum *Hippocrates 6. epid. 4* gratificationibus ægrorum inter alia ſermones accenſet, ſed in hunc locum commentator, *Galenus*, nonnullos ægros Medicis, fabellas narrantibus, delectari, nonnullos eosdem faſtidire, aſſerit; aliquos gravibus & ſeriis ſermonibus gaudere, aliquos facetis & lepidis. Alia ſane ratione cum Philoſopho eſt diſſerendum, alia cum aulico, cum erudito, alia cum villico. Diverſa ſine dubio eſt ratio alloquendi puellam, virginem ac Matronam gravem: cum bibace ſermones inſtituat de vino Medicus, de frigidæ & limpidæ aquæ deliciis cum abſtemio &c.

genio ægri adæquata,

In genere, ſint ſermones ſapientes, graves ac modeſti haud ſtolidi, aut qui animum infirmi ullo modo commoveant, qualis ille Herophilei, qui ægroto interroganti, moriar? hoc reſponſum ſuccinuiſſe fertur:

non inepta,

Et Patroclus obiit, qui te præſtantior ipſe.

Item illius ineptioris, cujus *Rod. a Caſtro* meminit, qui de moleſte transacta nocte conquerenti alta voce aphoriſmum *Hippocratis* recitabat: *Ubi ſomnus laborem facit, mortale.* Nihil tamen prohibeat, quominus lepidus ac feſtivus quoque ſermo aliquando graviorem temperet, modo ſit honeſtus, minus ſcurrilis, agreſtis, obſcœnus aut ineptus, ac tempori & loco reſpondeat: nam & hoc in paſſu ad ægri naturam atque animum vultus cum verbis & actionibus componendus erit. Licet enim *Socrati*, Menexeni, orationem Aſpaſiæ efflagitanti, haud per omnia ſubſcribam, dum, *forte*, inquit, *me irridebis, ſi ſenex adhuc jocari tibi viſus fuero; ſed tibi mos gerendus eſt, ferme namque, ſi me nudatum ſaltare juberes, quandoquidem ſoli ſumus, obſequerer:* quia nihilominus modeſta feſtivitas, tum vultus, tum ſermonis, Medici animum & ſpem infirmi atque adſtantium erigit, triſtis vero & depreſſa oratio ac facies formidinem incutit, ſales & facetiæ Medico aliquando ornamento ſunt, maxime rariores & opportunæ,

non ſcurrilia,

licet feſtiva,

tunæ, v.g. ſuadente *R. a Caſtro 4. c. 8* de iis, quæ ægrotis aliisve hominibus aut medicis etiam inſulſis ac ſtupidioribus acciderunt, reconditi tamen ſeu ſalis aliquid ſemper contineant, faciantque inprimis ad patientis utilitatem; qualium facetorum dictorum & geſtorum idem Scriptor paradigmata diverſa ſuggerit. Uno verbo, nec jocus ſub ſagaci circumſtantiarum diſcrimine medicum dedecet, modo nihil turpis, obſcœni aut maledici involvat, cunctorum infirmo moleſtorum & medici gravitati evidenter derogantium. Prudentia nempe medium & modum præſtat, ac feſtivitas atque animi puritas, ſi ab ingenio perſpicaci dirigantur, vix errabit ſicut in vita communi, ita nec penes ægros, quiſpiam.

nunquam ingrata. Nunquam tamen ingrata, ſicut oculis, naribus & palato, ita nec auribus, ægri offerantur, qualibus merito accenſentur ſordida, v.g. de unguibus, ſcabie aut aliquo id genus vitio affectis, de ferculis ingratioribus, item horrenda, v.g. lanienæ, operationes Chirurgicæ crudeliores &c. ſed ſemper quæ magis oblectent, animadvertente *Galeno 6. epid. 4. t. 8.* Quemadmodum demum ſine dubio, monente *Hippocrate de dec. orn. t. 9.* ſermones cujuscunque generis commendat breviloquentia: poſtquam nimirum infirmos facile a quibusvis objectis tædio affici, palam eſt.

Medicus ſit taciturnus. Præceptis his affabilitatem & ſermones Medici concernentibus haud repugnat taciturnitas, ab eodem *Hippocrat. jusjur. t. 3. de Medic. t. 1. & de dec. orn. t. 2* commendata: per quam ſilere & tanquam arcana celare adigimur non ea tantum, quæ penes ægros ſeu inter curandum obſervamus, ſed quæ ad medicandum non adhibiti in communi hominum vita cognoverimus, quæque propalari ſeu efferri non contulerint, ſeu quæ in ædibus hinc inde aguntur. Inprimis vero morbos ſecretos perinde, ac Confeſſionarius peccata, quæ ullus ipſi confeſſus fuit, Medicus, cujus fidei infirmitates corporis concreduntur, ſilere tenetur: quem ſc. æger valetudinis ſuæ intimum ſelegit conſiliarium & amicum, de quali *Siracides cap. 27* ſcribit: *Qui revelat arcana, amittit fidem.* Et JCti mulctant Medicos, qui ſecreta commiſſa temerarie, in damnum & præjudicium committentis, propalant, i. e. ex quorum reticentia nec ulli privatorum, nec publico, aliquid damni immineat, v. g. herniam, fiſtulam ani &c. Quibus

Non revelet morbos & quæ penes ægros obſervet.

bus *Valeriola 4. enarr. 10* ſubſcribit inquiens: *inter cætera cuncta nihil æque quicquam Medici dignitatem fide & taciturnitate illuſtrare poſſe videtur*; & paulo poſt: *quæ in morborum curationibus viderit, quæque retecta notam ſunt ægro allatura, ceu arcanum contineat, nec cuiquam pandat. Ignominiæ enim plenum eſt ægri famam prodere, & fidei noſtræ commiſſa continere non poſſe.* Unde *non ſatis urbane aut politice*, advertente *Boudewyns, Medici aures de ægrorum ejus ſtatu nimis curioſe indagando fatigantur, quo qualive hic aut ille morbo affligatur, quod ne ab uxore aliisve domeſticis Medicus unquam pati deberet, ex natura ſua tam propatulis, quam curioſis:* quamvis adeo garrulos nonnunquam offendamus Medicos, qui penes quoscunque, nec interrogati, nedum fatigati, inconſiderate valde de ſuorum infirmitatibus blaterent.

Secus enim res ſe habet cum morbis contagioſis, v. g. lepra, peſte, lue venerea, item impotentia generandi, concipiendi &c. quales ſane omnimode celare minime decet: ſed per conſcientiam obligatur medicus, ejuſmodi affectus ſignificare iis, quorum intereſt, poſtulatus potiſſimum, inprimis a Magiſtratu & in Foro, notante *Codronchio de Chriſtian. med. ration. 1. cap. 38. J. B. Sylvatico de Medico cap. 8. & Valeriola 6. enarr. med. 5.* Niſi forſan periculum a maligno morbo hujusque contagium nondum adeo præſentaneum atque evidens fuerit, v. g. ſi, juxta *Valeriolam*, quis ad elephantiaſin tantum inclinans, aut gonorrhœam virulentam ſuſtinens, nos conſulturus adeat, nondum vero perfecte elephanticus fuerit, nondum morbi gallici ſymptomata graviora patiatur: quales ſane magiſtratui protinus prodere & in vulgum infamare minime convenit. Id eſt, quemadmodum impietati proximum flagitium videtur, quem conſilio regere, fide tueri & arte ſervare potes, ejuſmodi mala inſimulare, per quæ fama ſpolietur, turpis & omni humana ſocietate indignus pronuncietur; qui potius tacite admonendus erat, ſibi ut ſapiat, & medicorum dictis ac conſiliis auſcultet: ſic certe fallit ac perdit fidem, qui vere Gallicum ſeu Elephanticum &c. non ſignificat, hinc majorem hominis unius, quam alterius, privati, quam Reipublicæ (quæ una omnes omnium propinquitate & affinitate longe ſuperat) majorem curam habet, *Salus quippe publica ſuprema lex eſto.*

Niſi morbi fuerint contagioſi aut aliis præjudicent.

Non mox in principio.

Etſi prima rudimenta quoque dictorum ſimiliumve morborum, v. g. gonorrhœæ virulentæ; familiarius & propinquius cohabitantibus aliquando contagioſa & detrimento exiſtere, ratio & experientia innuat: per conſequens charitas Chriſtiana illa his, quorum intereſt, cum prudentia in aurem dicere poſtulet.

Extra & præter qualem contagii caſum quidam, v. g. *Boudewyns ventilabr. med. theolog. part. 1. quæſt. 42. ac Bernier Eſſais de Medecine part. 2. cap. 8.* ſi judex de ſecretis, quæ æger Medici & Chirurgi fidei commiſerit ac conſilium deſuper petierit, hos nullo modo ad teſtificandum obligari, putant: quaſi ſilentium hoc in jure naturali fundetur, obligationem ſervandi ſecretum jubente, quoties per revelationem ejus fama pateretur. Cujus ſane legis vinculum firmius eſſet, quam Prætoris poſtulatum, cui veritatem, juxta *Thomam*, omnem confiteri, nemo teneatur. Aſt ſanctiones ſaniores, ratio & obſervantia aliud longe præcipiunt, Medicum nempe & Chirurgum in veritatis quoque ſubticentia peccare, & obligari utrumque ad ſibi concredita vitia, quæ intereſſe publicum & juſtitiæ adminiſtrationem ſpectant, v. g. inflicta vulnera, venena propinata, ſimilaque judici revelanda: qui crimina ſciſcitans in jus naturale minime peccat, quod etiam in pœnis irrogandis criminibusque delendis ſuum cuique tribuere poſtulat, poſtulantque leges divinæ ac humanæ criminum vindicationem; & veritatem tacere reſervationum mentalium Pontificiorum, inter quos nominati quoque autores ſe profitentur, enormius ſpecimen eſt. Hincque inter leges Chirurgis noſtratibus præſcriptas, Innungs-Articuln/ etiam hæc eſt, ut vulneratos, qui eorum medelæ ſe committunt, quosque ab aliis læſos ſuſpicio eſt, ac vulneris conditionem per ſchedulam, Wund-Zettel/ Prætori oppidano denuncient, ſub mulcta totidem Imperialium.

Poſtulatus a magiſtratu.

Magis ſpinoſa quæſtio eſt de imprægnatione & partu nefario, an hæc Medicus ſubticere revelareve teneatur? Pro priore facit familiæ labes ſeu dedecus, quod avertere & occultare, haud manifeſtare, conveniebat: pro poſteriore metus concitandi abortus & infanticidii, qualibus criminibus obicem ponere, leges jubent. Magiſtratui E. non poſtulatus talia prodere, haud ſemper tenetur, niſi abortus & infanticidium metuendum hoc urgeat: & ſufficiet, parentibus, agnatis

Impragnatio & partus nefarius haud celandi.

tis &c. ea eorumque conjecturas tempeſtive exponere, quo perſonarum ejuſmodi ſuſpectarum harumque moliminum accuratiorem gerant curam. Quamvis cautum valde poſtulent revelatorem, ne v.g. impraegnationem & partum variis machinis occultantes te de injuria perſonæ & familiæ, filiæ & parentibus, illata in jus trahant, proterva lingua & convitiis te proſcindant &c. Quibus, Patri nempe & Matrifamilias, pariter revelandum utique puto, ſi filius, filia, nutrix aut ex domeſticis ullus morbo quodam virulento ſeu contagioſo laborent, quod hic cæteris familiæ membris exitioſus facile evadere queat: quemadmodum Medicus itidem obligari videtur, conjugum unum de affectu alterius contagioſo admonere, ne eadem afficiatur malignitate.

Caſus omnes ac ſingulos ſilentii Medici moderandi ac declinandi vix recenſere datur, disquiret & determinabit eosdem cujuslibet conſcientiæ ac prudentiæ dictamen: ſi per hunc morbi ſecreti non in publicum divulgentur, non cuivis ardelioni, ſed his tantum, quorum intereſt, ſc. magiſtratui, aut qui ſub proximiore cohabitatione a contagio minus tutus, aut cum inhabili, impotente, demente, epileptico &c. matrimonium tentaret, manifeſtentur: & quidem privatis ſub ſigillo demum ſilentii naturali; neque vitium abſconditum ſemper exacte & ſpecialius, ſed ſub generalioribus & plus minus ambiguis aliquando terminis, ſeu ſuſpicionis tantum rationem aliquam, innuendo. Quorſum etiam ſpectat, ut ſubjectum morboſum potius, v. g. impotens, lue gallica affectum, dehortemur a conjugio adeundo, non alterum ſeu ſanum: ſicque indirecte damnum ex eo metuendum avertamus, charitatem vero Chriſtianam utrique præſtemus.

Prudentia in revelandis neceſſaria.

Porro ſicut nihil temere aut inconſiderate aſſerendum vel contemnendum, in diagnoſi nempe & prognoſi, multo minus ſuadendum atque adminiſtrandum, *Hippocr. 6. epid. ſ. 2. t. 46* monet: quatenus audacia & citra præmeditationem præcipitantia ægro in exitium & Medico in ignominiam vergit, in hoc imperitiam & judicii inconſtantiam arguens. Quali vitio incautos non minus juvenes ac indoctos ſenes perſæpe tentari, *Zacutus Luſ. introd. ad prax. præcept. 23* ait: *illos quidem, quod futuros eventus inexperti ignorent, & citra rationem*

Temeritas ac præcipitantia vitanda.

tionem ac cautelam ullam in laqueos conjiciant ægros, a quibus nec ipſi, nec miſeri ægroti, evadere poſſint; hos vero, quoniam citra autorum lectionem, ſoli fidentes experimento, quo jactabundi gloriantur, atrocibus præſidiis ægros excarnificant, quousque debiles & viribus reſoluti e vita diſcedant. Ita, advertente *Billichio obſ. & paradox. chym. 2. c. 6. cavendum maximopere, ne, dum ægrotorum indemnitati mitioribus & tutioribus remediis conſulimus, ſinamus interim fortiorum & magis congruorum neglectu illorum periclitari ſalutem. Neque enim minus exitiabilis eſt medentis adulatio, quam vehementia medicamenti.* Et qui præcipitantibus, cordialibus, alexipharmacis ſimilibusque tutioribus, ut ajunt, medicamentis febrem acutam v. g. aggrediuntur, das Hertz verwahren/ evacuans vero oportunum formidant, non minus præpoſtere agunt, ac qui quodvis præſidium generoſum intempeſtive adminiſtrant. *Leviores maculas*, pergit *Billichius l. a. aqua eluit, at ubi altius inſedit vitium, acerrimus adhibetur ſapo, fitque ex Hippocratis præcepto tranſitus a medicamento ad ferrum, a ferro ad ignem, atque magnis morbis magna remedia opponuntur. Id eſt, juxta Hippocr. de leg. t. 3, timiditas impotentiam, audacia vero ignorantiam, artis ſignificat.*

Adhibeantur remedia ſatis potentia.

Non ſit timidus,

Audenter ac intrepide E. cuncta aggrediatur Medicus, ſecundum rationem, adeo quidem, ut, advertente eodem *Hippocrat. 2. aph. 52*, omnia ſecundum hanc facienti, licet ſecundum eam non quævis mox eveniant, non ſtatim tranſeundum ſit ad alia; niſi mutatio morbi, ſymptomatum aliarumve circumſtantiarum aliud ſuaſerit: ſed quod mature excogitavit ille, huic audacter inhæreat & graviter exequendum curet. In quibus tamen ita ſe gerat, ne cervicoſus ſeu contumax nimis cenſeatur, quod philautiam ſimileve quid olet: ſed aliorum ſententiam pariter audiat, hancque, rectam ſi inveniat, amplectatur, imo de errore admonitus ſe corrigi prompte patiatur. Graviter quippe advertante *Codronchio de Chriſt. med. nat. & Sylvatico de medic.* errat mortaliſque peccati reus redditur Medicus, qui, ne ſententiam ſuam mutans erraſſe videatur, errores fateri recuſat & eos acriter defendit; ac tanto gravius peccatum committit, quanto majus præjudicium ejus ægrotantibus hinc evenire poteſt: ſicut error non minus punibilis eſt, quando in remedii præſcripti, quod minus

neque pertinax.

minus opportunum poſthac cognoſcit idem, uſu nihilominus perſi-ſtit, illudque mutare renuit, ne imperitus aut inconſtans compareat. Quatenus, juxta *Zacchiam lib. 6. tit. 1. quæſt. 2.* §. 10 in hoc caſu æque peccat, ac ſi a principio per dolum malum medicamentum morbo non conveniens præſcripſerit: & anteponere omnimode tenemur hominis ſalutem falſæ de exiſtimationis amiſſione perſuaſioni. Cum, ſicut alias hominis eſt, errare, ita maxime in arte hac conjecturali ac difficili hoc metuendum veniat, i. e. *Galenus 3. præſag. 41. ſupra captum hominis nunquam errare; ſolius artificis quam minimum*, aſſerat: quatenus ipſemet Hippocrates, Galenus aliique Medicinæ proceres ſuos errores fateri haud erubuerunt, v. g. dum *Hipp. epiſt. ad Democrit. ſe ad finem Medicinæ nondum perveniſſe & 5. epid. t. 14.* a ſuturis in calvariæ læſione ſe deceptum, ingenue perhibet, magnis idem laudibus a *Celſo 8. c. 4.* elatus, *quaſi more magnorum virorum & fiduciam magnarum rerum habentium egerit; nam levia ingenia, quia nil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio multaque nihilominus habituro convenit etiam ſimplex erroris confeſſio, præcipue vero in eo miniſterio, quod utilitatis cauſa poſteris traditur.* Et *Galenus 2. de loc. aff. 5* proprio exemplo dolorem colicum perperam nephriticum ſibi perſuaſiſſe memorat: ut alios ejus errores horumque apertas confeſſiones, quemadmodum *Avenzoaris* quoque, *Aretæi* &c. quas in faſciculum collegit *Tiraquellus de Nobil. cap. 31. num. 500. & 502. & Zacutus Luſit. 1. de med. princ. hiſt. 79*, taceam. Medici proin ingenui erit, errorem, ſi non ore ſemper, animo tamen, fateri & ſemet corrigere, aut ab aliis ſe corrigi haud recuſare: diſcutiendo enim ac attentius ſingula expendendo judicium magis acuit; in errore vero qui moratur, arrogantiam aut contradicendi libidinem prodit, ac finem primarium, qui eſt, morbum ſuperare & ſanitatem reſtituere, negligit.

errores fateatur.

Adminiſtrationem vero ipſorummet remediorum nec feſtinet, nec plus juſto differat, i. e. fortuitam ſeu præcipitem circumſpecte expectet atque attendat occaſionem: quam qui negligit eive antevertit, fruſtra molitur, quicquid molitur, dum in tempeſtive applicandis remediis tota curationis vis conſiſtit, juxta *Hipp. 1. aph. 1. de Medic. t. 11. de dec. orn. t. 10. & præcept. t. 1. & 3.* quemadmodum pariter,

Opportune ac tempeſtive agat.

ter, ſi aut ægri, aut aſſiſtentium, precibus, aut importunis verbis, ſe vinci ſinat, ſive ad præſidium ante tempus adhibendum, ſive ad pleniorem victum, vinum, atmoſphæram frigidiorem ſimiliaque, morbo minus congrua, concedenda. Quamvis enim ægrotantium deſideriis aliquando quadantenus indulgendum eſſe, ſuperius monitum fuerit; ſemper tamen ſub conniventia etiam ejuſmodi occaſionis habenda erit ratio, ideo medicationis animæ appellatæ: v. g. catharſin aut mox in prima morbi invaſione, aut demum, ubi materia cocta, inſtituendo, abſceſſum non crudum aperiendo, ſed hujus inciſionem ad maturitatem usque, etiam cum ægri moleſtia, differendo, parturientem non ad præcoces conatus adigendo, neque opportunos negligendo.

Sedulus ſit Moribus denique, quibus Medicus ſibi & arti ampliorem laudem acquirit, accenſeri debet induſtria ſeu aſſiduitas, quam non ſedula tantum cognoſcendorum indagine & agendorum ſtudioſa adminiſtratione, de quibus in ſeqq. dicetur, ſed frequentiore inſuper ac inprimis viſitatione declarat ac præſtat: ſecundum *Hippocratem de dec. orn. t. 10. Ingreſſu utere frequenter, viſita diligentius, his, quæ a deceptis per errorem fiunt, occurrens, ut mutentur. Facilius enim cognoſces ſimulque expeditior eris &c.* **frequenter viſitando.**

Non deſunt equidem, qui vel ex ſola uroſcopia, vel ex relatione miniſtrantium, ſe ſatis ſuperque de morbi indole, ſymptomatis, adjunctis &c. informari poſſe putant, hincque remedia congrua eruere contendunt; ſuperfluum igitur, ſordidum ac vile nimis viſitandi ægros munus judicantes. Verum cum Uromantis quia ſuo loco agendum erit, cæteros impræſentiarum, ne arrogantiæ aut deſidiæ plus, quam ſaluti ægrorum ſuorum, litent, non tam a *Codronchio*, dum *1. cap. 5* medicum nec ex arte, nec conſcientia, abſentibus ſufficienter mederi ac conſilium dare poſſe, aſſerit, quam per experientiam frequentiorem & ſanam rationem, perſuaſus, hortor.

Aliquando abſentibus etiam mederi licet. Sc. ante omnia dandum eſt aliquid neceſſitati, i. e. ſi nec ægro medicum, nec huic illum, adire concedatur, quacunque de cauſa; modo de cunctis affectus illius circumſtantiis hic ſufficienter informatus fuerit, ab alio medico, aut perſona quavis perita, aut ipſo ægro per literas: Quamvis frequentiores obſervemus ægritudinum caſus,

quibus

quibus exacte & pro neceſſitate exponendis nec infirmus, nec adſtantium ullus, ſufficiat, medicus vero alius nullus præſto ſit, qui eos exponat. Affectus ipſe evidentior & ſymptoma urgens maxime, v. g. icterus, cephalalgia, vomitus, contuſio capitis, hæmorrhagia ex relatione eorum ſatis patent: minus vero, quæ diagnoſi demum perſpicaci eruuntur, v. g. hydrops pectoris, nephritis, fractura calvariæ &c. multo minus eorum cauſæ aliæve circumſtantiæ. Porro quædam non, niſi a præſente medico, indagari valent, v. g. pulſus conditio, vultus, abſceſſuum habitudo, ſimiliaque ægritudinis ſigna & fere momentaneæ mutationes, imo non pauca horum etiam roganda veniunt ab ipſo ægro: hinc, quibus nihilominus medicus prudentem prædictionem formare nequit, multo minus conſilium capere ad neceſſaria adminiſtranda. Præterea utut circumſtantiarum multas referant miniſtrantes, non cunctas tamen, easque confuſas ſatis, referunt, alias a ſe minus cognitas reticendo, aut, quaſi minoris momenti, negligendo & forſan talia quoque, quæ ad judicium formandum ac facilitandum requiruntur, omittendo: v. g. narrant, infirmum laborare tuſſi, obliviſcuntur doloris lateris punctorii & difficultatis ſpirandi, meminerunt vomitus vehementioris, non doloris lumborum, qualia nihilominus ſymptomata omiſſa recenſitis combinata Medico ad pleuritidis & nephritidis diagnoſin, prognoſin ac therapeiam determinandam maxime faciunt. Quibus denique accedit, quod, quamvis hic cuncta circa affectus medelam accurate ſatis diſponat, aſſiſtentes tamen multa horum pariter negligant, aut minus rite tempeſtiveque applicent; ſicque illam enormiſſime turbent: qualibus erroribus commiſſionis æque ac omiſſionis præſentia medici ſubinde medetur. Raro tamen.

Ex quibus ſimilibusque ſatis eluceſcit, quantum negotii & laboris faciat, quam perito & induſtrio etiam, Medico haud viſere ægrum: ipſemet expertus teſtor, me ſæpius unico momento penes illum agendorum plus obſervaſſe, quam multæ prolixiores miniſtrorum miniſtrarumve relationes me docere poterant: &, innuentibus hinc inde *Hippocrate* ac *Celſo*, vix ullus forſan morbus datur, in quo cum ægro ipſo conferre eundemque interrogare neceſſarium haud fuerit. Quod nihilominus ad ſingula morborum genera extendi haud valet,

Non quivis medicorum teneatur viſitare peſte laborantes.

Licet tamen.

cum non quivis Medicus, niſi qui a Magiſtratu adhoc mercede conſtitutus, peſte infectos viſitare teneatur, notante *Carrario de medic. & illius officio part. 2. n. 91. & part. 3. n. 60.* Quamvis nec illam quorundam approbem teneritudinem, qui (meticuloſiores juſto) ſub conſcientiæ tegmine peſte affectos adire nolunt, aliosque, ne adeant, prohibent, v. g. Medici peſtilentiales: quaſi ſcilicet ſolis his peſte decumbentes viſitare conveniat, hinc alienum munus aggrediatur, conſtitutionibus publicis renitatur, Deumque tentet, qui, haud ſpecialiter ad hoc vocatus, peſtilentiæ mederi audeat, ut ex *Döringio de peſte ſect. 4. membr. 1. partic. 3.* Ludwig von Hornigk im Würg-Engel *quæſt. 266* ſibi perſuadent; Quin potius credam, cunctos eos, qui ex pia charitate, experiundi obſervandique cupidine, hoc negotium aggrediuntur, quosque meticuloſitas nimia haud deterret, ſi vocentur, peſtilentiali medico inprimis abſente, aut ex quacunque ratione viſitationem denegante, bene & laudabiliter agere, ſi nec peſte correptis operam ſuam denegent, ſequanturque Prædeceſſores pios non minus, ac peritos multos, v. g. Donzelium in peſte Veneta, Th. Zwingerum in Baſilienſi, Joachimum Camerarium in Norimbergenſi, Diemenbroccium in Noviomagenſi, Sylvium & Barbettum in Amſtelodamenſi atque Leidenſi, Hodgeſium ac Thomſonium in Londinenſi &c. Quippe Chriſtianum magisque humanum forſan videtur, amicos illos, qui valetudinem ſuam olim fidei noſtræ commiſerant, ſub ingruentia mali atrocioris haud omnimode deſerere: & animadverſione dignos judicat *Thomſon epilogiſm. chym. 54.* qui mitiores morbos ſporadicos ſalarii vel ſoſtri gratia curare non omittunt, ingruente autem peſte, calamitate epidemica ſæviſſima, mox ſuis ſe ſubtrahant; caſtigandos æque, ac milites ſtipendiarios, qui tempore pacis ſeu nullo apparente hoſte, otioſe vivere & genio indulgere geſtiunt, inſiliente vero eo, ubi reſiſtentia maxime opus, longius fugiunt & arma projiciunt.

Ac confert ad peſtis naturam ac medelam indagandam.

Accedit, quod nullus Medicorum, niſi qui ægris ejuſmodi adſtitit ac præfuit, de peſtis natura, phænomenis, cauſis, medela &c. recte ſentire & ſcribere queat. *Fides*, inquit idem *Thomſon epilog. 94. tantilla adhibenda eſt Rhetoricanti vel ſcribenti de Peſte, qui nunquam ferociam ejus in diverſis corporibus crebro intuitus fuerit. Iſte*

namque

namque theoreticus Medicus aſſimiletur Geographo, præcepta de navigandi arte ſpeculativa tradenti, Neptunum furentem, ventis agitatum, naufragium minitantem ne prorſus quidem experto: novit fortaſſe problematice diſputare de hoc themate juxta aliorum placita deſcripto, utcunque veneni peſtiferi naturam ſcientifice ac ſapidiſſime plane ignorat. Quale quid ſane a ſolis Medicis conductitiis peſtilentialibus, quorum multos rudes & indoctos ex inopia utplurimum arduum hoc munus adire, *Palmarius in epiſtol. tractatui de febre peſtil.* præfixa ad Senatum Pariſienſem conqueſtus erat, conqueruntur alii, v. g. *Donringius l. a. partic. 2.* teſtatur pariter quotidiana experientia, expectari haud valet, ad obſervandum non minus, ac ad digerendum, ineptis: niſi alii peritiores & in judicando circumſpectiores admitterentur, qualium conſilium commune *Joh. Schröderus de peſte* expoſcit, nimirum ut multi eruditiores ac experti Medici de obſervatis in peſte conferant, quo natura & medela hujus luis promptius ac felicius exploretur. Nec argumenta a Donringio & Hornigk producta, tanti acuminis ſunt, ut omnem cæteris, præter Peſtilentiales, Medicis occaſionem peſti medendi præcidant. Quatenus munus non alienum, i. e. hujus vel illius, ſed ſibi cum aliis concreditum atque commune, aggreditur quivis, qui medendi arti ſe ſuaque ſtudia mancipavit, dum peſti mederi ſtudet: adeoque & hic potentiæ atque miſericordiæ divinæ ſuas committere poteſt vias, utpote haud frivole, ſed charitatis inſtinctu, tritas. Quam hinc metuunt, luis peſtiferæ hujusque contagii ampliatio, ſeu a medico infectos viſitante ad cæteros per totum oppidum diſſeminatio, parum valet: cum experientia doceat, non, niſi ab actu infectis, ſeminium hoc facile propagari; quales ſane medicos per urbem obambulantes & pancratice viventes aſſerere haud poſſumus. Suaſor tamen ſum, ut prudenter & cum diſcretione hic agat quivis, ne, quos non afficit miaſmate virulento, afficiat terror, concitatus a viſitatione Medici, quam peſte quoque languentibus præeſſe intelligit ejusdem virulentiæ expers. Quod præſtabit, peſte infectorum viſitationes occultando, aut de his eorumque ſymptomatis ac phænomenis penes alios parum aut nihil diſſerendo, præſervativa remedia haud ſemper manibus & ore volutando &c. ut alias cautelas mittam, quibus contra contagii virulenti inſultum ipſemet

Reſp. ad argumenta.

Medicus ejuſmodi ſe muniat, utpote de quibus agere non videtur hujus loci.

Frequentius ſunt viſitandi.

Quodſi proin viſitatio ægrorum adeo neceſſaria eſt, frequentior ſine dubio, advertente *Hippocrate*, plus utilitatis præſtabit, a *Galeno* per hoc approbata, dum penes infirmos ſe aliquando pernoctaſſe perhibet; ſi nempe neceſſitas hoc urgeat, aut aliquid peculiare attendere oporteat, quod morbi medelam maxime moderatur. Id eſt, ſi gravitas affectus hoc poſtulet, non quotidie tantum ſemel, in morbis præprimis acutis, ſed bis quoque, imo frequentius, inviſendus æger, partim commodioris ſciſcitationis, partim medelæ felicioris, gratia: quatenus intra paucas non raro horas nova ſe produnt eorum phænomena, corpora varios patiuntur motus, hincque indicantia brevi ſæpe variant. Ac annotante *Botallo de Med. & ejus munere* §. 32. *fieri poteſt, ut, dum in meliore ſtatu æger eſt, eum tunc inviſas, vel dum ille gravius urgetur, vel ubi medium ſtatum degit: horum hercle nullum ſeorſum, quid agendum ſperandumve ſit, indicat. Incertum igitur & præſagium, incerta ſimul & præſidia.* Eo ipſo quippe, dum, juxta *Hippocr. de Med. t.* 11. *& præcept. t.* 1. *&* 3. temporum & occaſionum ratio maxime habenda, ac opportunitas faciendorum atque non faciendorum magni momenti eſt, fugacitas occaſionis non ſegnem ſeu otioſum, ſed vigilantem & induſtrium, in viſendis infirmis poſtulat Clinicum.

Si genium horum tale quid concedat.

Quamvis ipſemet *Galenus in Hipp. 6. epid. comm. 4. t. 9.* nec hoc in paſſu unum eundemque cunctorum ægrotantium olim jam dum obſervarit genium, alios nempe horum a ſæpius viſentibus medicis moleſtia affici, alios contra crebrius inviſos lætari: id eſt, ſunt eorum quidam; qui Medicum crebrius accedere deſiderant, quidam, qui rarius hoc expetunt. Quorum poſterioribus, ſcribente *Botallo l. a. frequentior Medici acceſſus, ubi exiguus morbus premit, vel Medici hujus imperitiam arguit, vel extorquendi æris cupiditatem: parcior vero in morbis magnis plura indicat, quam frequentia ipſa, nimirum vel avaritiam, vel magnitudinis morbi notitiæ defectum, vel ſegnitiem.*

Nec facile non concurrentibus cæteris.

Peculiarem ſibi malitiam, i. e. alterum Medicum inſidioſe ſupplantandi libidinem, in concurrentiis fovet, qui non cum ſocio tantum ſtatis horis, ſed intercalaribus quoque & illo clam ægrotantem, minus vocatus, viſitat, communi conſilio præſcripta clanculum corrigit ac diſuadet,

diſuadet, alia ſibi arcana illis ſubſtituit, & quæ ſimilia levitatum atque nugarum genera ſunt? hac officioſitate abblandiente ſocii odium, infirmi & adſtantium vilipendium, rarius, quem meditantur, ſcopum, neque hunc ſine virorum bonorum ac prudentum vituperio ac indignatione, ſibi comparans. Acceſſum itaque moderetur Medicus ſecundum affectus indolem, ægrotantis genium ac voluntatem, ac reliquarum circumſtantiarum exigentiam: dum infirmorum aliis crebrior, aliis rarior, metum incutit & morbi periculum intendere videtur, uterque eosdem ad deſperationem aliquando adigit.

Neque tamen, quod imperitiores utplurimum agere obſervamus, quotiescunque æger viſitatur, toties novum ſuadendum ac præſcribendum eſt remedium; errant etiam in hoc aliquando ipſimet ægroti, cum Medico, perhibente *Botallo l. a.* putantes, *niſi quis ad ſe introgreſſus vel cataplaſma appoſuerit, vel perfuderit, vel aduſſerit, vel clyſterium indiderit, vel venam inciderit, vel cucurbitulas adjunxerit, vel confricuerit, vel nutrierit*, *aut hujuſmodi aliud factitarit, nihil ab ipſo geſtum eſſe artificioſum.* Tanta ſæpe in cubiculis ægrotantium medicamentorum una die præſcriptorum viſitur farrago, cui adminiſtrandæ ne quidem nycthemeri horæ ſufficerent, induſtriam nihilominus ſingularem ea comprobare ſatagit Medicus, approbat illam miſer. Et tales Medici, quotiescunque ægros adeunt, toties peccant, ac dum officioſi videri geſtiunt, maxime nocent. Quatenus viſitationum frequentia non tam totidem præſidiorum ſemper novorum præſcriptioni, quam indagini accuratiori, morbi nimirum, cauſæ hujus & phœnomenorum ac errorum ab ægro & adſtantibus commiſſorum, miniſtratur: licet eo ipſo, dum morbi acuti ſubitaneas non raro experiuntur mutationes, harum quoque intuitu crebrior viſitatio proſit; quo ſc. conſilio priſtino, ſi opus fuerit, mutato, illis mox oportuno remedio occurrere detur.

Nec ſemper mutet medicamenta.

Uſus viſitationis frequentioris.

Frequentationibus his ut commodius & cum majore miſerorum fructu litare queat Medicus, non adeo multos horum curandos ſimul ſuſcipiat, eosque perfunctorie & currendo tantum viſitet, ſeu feſtinando illorum viſitationes expediat: cum juxta *Celſum 3. c. 4. fere periculoſa ſit nimia feſtinatio & ab uno Medico non multi poſſint curari:* ne audire cogatur, *non obſervaſti, occidiſti.* Multum quippe differunt

Non multorum curam ſuſcipiat.

differunt *currere & curare*, adeo quidem, ut, notante *Bernier l. a. qui præſcribit ex equo, præſcribat pro equo, non ex æquo.* Numerum hunc ternario determinat *Zacutus Luſ. intr. ad prax. præcept. 21.* qualem tamen haud perpetuum judico, ſed augendum pariter ac imminuendum, pro varia locorum ſeu civitatum amplitudine, ægrorum conditione, morborum gravitate ac levitate, Medici vigore, & quæ ſimiles ſunt circumſtantiæ, pauciorum aut plurium ægrotantium medelam ſuadentes ac diſuadentes.

Quamdiu reconvaleſcens viſitandus.

Denique nec hujus loci prætermittenda, quam *R. a Caſtro 3. cap. 6.* Practico tyroni præſcribit, regula, reconvaleſcentem nimirum ultra diem vigeſimum haud viſitandum eſſe, ne ille argenti cupidior videatur: niſi viſitationem ulteriorem ejus hic quoque expetat; vixque prudentem ac gravem Medicum decere, ut dimiſſionem expectet. Valedicturus E. hic, nunquid ſuam præſentiam adhuc deſideret ille expiſcetur; ne negligentior ac minus officioſus videatur: imo hujus cauſa dimiſſus quoque poſt unum alterumve diem ſemel vel bis illum aliquando adeat, firmitatem reconvaleſcentiæ ejus indagaturus.

CAPUT V.

De

Conſultationibus medicorum.

CUm in capite quarto varia prudentiæ & morum, quibus Medicus ægrorum confidentiam cum adſtantium affectu ſibi comparare annitatur, momenta recenſuerim; reſtare videbatur moderamen ejusdem inter Medicos ſibi aſſociatos, & quomodo circa hos penes ægrum & circa hunc cum illis conſultans ſe gerere debeat idem. De quo negotio nonnulla nunc ediſſeram, poſtquam quæſtionem ſpinoſam æque ac frequentem duplicem explicuero: ſcil. An conſultationes inter duos pluresve Medicos e re infirmi ſint? & an ab his celebrandæ?

An Conſultationes proſint?

Commendat eas ægrotanti pariter ac Medico *Hippocr. de præcept. 7* his verbis: *Ne vero indecore ſe ille gerat Medicus, qui in rei præſentis*

Affirm.

ſentis anguſtia circa ægrum aliquem, & imperitia tenebras offundente alios quoque accerſere juſſerit, quo ex communi conſideratione res circa ægrum inquirantur ac dignoſcantur, & illi cooperatores fiant ad auxilii ferendi facultatem. Nam in affectionis aſſiduitate, augeſcente affectione, ob conſilii inopiam, plurima ad rem præſentem effugiunt, ſeu ex interpretatione *Foëſii* & ſecundum ipſum magis contextum: *Ubi enim aſſidue urget affectio morbusque increſcit, plurima in animi anguſtia, ad rem præſentem oportuna, elabuntur,* i. e. negliguntur. Quali effato tantum non omnes ſubſcribunt Scriptores medici, v. g. *Zacutus Luſit. introit. ad prax. præcept. 20. Barthol. Thurrianus Buliatr. 1. cap. 1. Botallus de medic. & ægri munere* §. *21. Scptalius animadverſ. 1.* §. *11. & 12. J. C. Claudinus de ingr. ad infirm. 1. cap. 4. R. a Caſtro Medic. Polit. 3. c. 3. Rejes Elyſ. camp. jucund. quæſt. 16. Fr. Boſellus Amalth. med. polit. appar. 3. cap. 18. atque 36. & Ranchin. de conſult. rat. in præfat.* Nec practici religioſi ac prudentiores ejuſmodi penes ægros collocutiones unquam detrectant, aut horum, ſuæ curæ commiſſorum, deſiderio hoc in paſſu facile abnuunt: i. e. ſi hi alios ſibi præter primum medicos accerſere velint, tales prompte admittunt, & cum iis de morbo expugnando diſerte ac amice, in ſalutem eorum concertant. Adiguntur etiam ad concilia ejuſmodi per jusjurandum academicum publicum, qui gradum in Arte ſuperiorem ambiunt: & qui, ne laudem populi vanam amittat, & quo ſapientia omnes alios antecellere videatur, in morbo gravi ſocium admittere refragatur, eum mortaliter peccare, i. e. culpam mortis & damni ſubſequentis gerere, cum *Cardin. Toleto Th. Actius de privileg. infirm. part. 2. verbo Medici*, ait. Juxta *Zacutum Luſitanum* autem *l. a. qui alios ad conſilium vocari non vult, is vult ſolus eſſe in præſepe equus, quare a domo & cura explodendus:* quoniam cognitio & curatio *morborum res ſunt difficiles; quare oportet, ut eorum veritas ex multorum voto eluceſcat.* Imo *Boſſellus l. a. cap. 36* illi Medico, qui pervicacis, aſperi & cervicoſi in artis uſu eſt ingenii, hinc conſultorem parvi pendit & reſpuit, quamvis utilia præſtet auxilia, nullam eſſe præſtandam fidem, inquit: ut enim deficiat is in hujuſmodi actione, ob animi ſui nimiam elationem, qua cæcutit judicium, renuendo periti conſilium; ſic ob eandem judicii cæcitatem eum parum proficere valere.

Sunt ægris ſalutares, Medicorum quippe conſultationes, quales cum *Heſiodo honeſtæ certamina Galenus 1. meth. med. 1.* appellat, magni ſemper ad artem exercendam ac juvandam momenti deprehenduntur: adeo ut, quemadmodum Philoſophorum Veteribus Conſilium *Divinitatis comes*, *Socrati* apud *Platonem de Sapient. Res ſacra*, dictum fuit, ita in artis medicæ exercitio conſultata probetur maxime doctrina atque peritia; i. e. Medicis non minus, ac ægris, ſalutares ac proficuæ conciones ejuſmodi eveniunt, utpote quas neceſſitas ac uſus & tum ægro, tum adſtantibus, cum Medico, deſiderata peperit tranquillitas. In ſpecie vero occaſionem & anſam illis ſubminiſtrant, advertente *Bosſello*, vel affectiones ordinariæ ac leviores Magnatum, divitum, delicatulorum, ſe plurimum amantium ac vitam magnopere zelantium, horumque timiditas; vel graviores ac pertinaces aut ingraveſcentes; vel ex Medici, ægri, aſſidentiumve metu quæ tales reputantur, tametſi minoris momenti exiſtant: in qualibus caſibus ſingulis poſtulatur, convenit ac inſtituitur merito conſultatio ſocia.

etiam Medicis.

Æger magis obtemperat Adeo ut, ſi in hanc prompte deſcendat Medicus ordinarius, obtemperantem magis ſe præſtet ipſi infirmus, cujus obſequium, quantum ad morbos ſanandos conferat, præter experientiam ex Galeno ſuperius declaratum fuit: non tantum quod, dum conſultatorium congreſſum deſiderat, illum ſibi indulgentem maxime deprehendat, hinc ſalutis ſuæ cupidum æſtimet; ſed quatenus plurium conſenſu approbatis præceptis pariter magis auſcultat, potioremque ſpem de valetudine ſua hinc ſibi cum amicis atque adſtantibus promittit. Neque hoc ſine ratione & fruſtra, quod ſicut ubique, juxta antiquiora proverbia, ita in opere medico, *plus videant lumina, præ uno; unus vir, nullus vir*, & ſecundum *Euripidem in Heraclid. unius manus invalida pugna, duorum & valentius & alacrius robur, ſit.* Hoc eſt, dum penes jureconſultos definitum legimus, in quibusdam caſibus, inprimis ubi de hominis vita quæſtio eſt, uni ſoli judici hanc non committi, ſed penes plures rem poni debere, nec ſine conſultatione talem decerni poſſe: cur in re medica, ubi pariter de hominis vita & valetudine agitur, nobis aliquando diffitentes, alios in conſilium admittere, vel advocare ambigimus? per quod nihilominus, ſeu diſſerentium concertationes eruditas, veritatem erui, in propatulo

ſunt neceſſariæ,

tulo

tulo eſt: Tanta quippe utplurimum mentis humanæ obſervatur imbecillitas, per quam ingenium ſagaciſſimum quoque decipiatur, hinc ægrotantium animus dubius aliquando hæreat, annon aliquid præſidii ſuppetat, Medico ordinario minus perſpectum. Quodſi vero a conſultantibus pluribus nihil ſtudii intermitti, omnes horum vires ad exponenda, quæ in ſui ſalutem vergunt, certatim quaſi, contendere, nihil ſine prævia deliberatione ſibi porrigi & adminiſtrari videant, perſpiciantque a priore munia medica ſecundum rectam rationem fuiſſe peracta: cum hoc tranquilliores evadunt, &, ſi ad vota non ſequatur ſanitas, hic inprimis a detractorum telis ſocia hac opera ſe vendicat.

Nec ipſimet Medico indecorum & ſervile erit, aliorum ſententias & conſilium audire iisque parere, utpote qui, conſiliariis ſtipatus, majorem in medendo adhibet diligentiam, teſtes circumſpiciens actionum ſuarum, hinc ignorantiæ ac negligentiæ ſeveriores cenſores. Imo, notante *J. C. Claudino*, hoc ſolo conſultandi munere a doctis medicis indocti diſcernuntur, ſeu eorum ingenia ac doctrina omnibus palam fiunt, imperitia eorum, qui pro doctis ſe gerunt atque habentur, cum vafritie, quam fovent, detegitur: vindicantur autem ab inſultationibus malevolorum aliorum peritia, modeſtia ſimilesque mores honeſti, qui ipſi ægrotanti confidentiam comparant. Dum illi dictorum & jactationum ſuarum rationem reddere nequeunt, de affectus cauſa aut omnimode ſilent, aut inepte nugantur, indicationes incongruas formant, remedia irrita ſuadent, aut peritiorum effatis cum rubore per ſingula ſubſcribere & non, niſi ſtupidos aſſentatores, ſe gerere, coguntur; aliquando etiam ſermones cum eruditioribus habendos miſeris ac ridiculis technis ſubterfugiunt. **Medicum eruditum commendans.**

Et non unius ejuſmodi hominum memini, cujus arrogantiæ, garrulitati, pollicitationibus ac ſecretis fidem cum plebe adhibebant Magnates, eamque præ eruditioribus majorem, quam nihilominus perſonatam peritiam, ſeu mavis imperitiam, unus vel alter ejuſmodi congreſſuum manifeſtabat, & exiſtimationi hactenus infinitæ atque invidioſæ fatalis maxime contingebat. Quemadmodum nec talium deficiunt exempla, qui opinione vulgi hactenus inflati & ani- **Imperitiam ejus manifeſtant.**

mi juſto elatioris, ruditatis nihilominus ſuæ probe conſcii, concionibus clinicis, plus minus callide, nec ſine peritiorum clandeſtino vilipendio, ſe ſubtrahebant etiam e longinquo hunc in finem vocati; ne ſcil. ſub unica mox contentione ſe ſuamque doctrinam ſuperficiariam turpiter darent, & vana, qua hactenus crepabant, vulgi opinio, brevi in vanum abiret, difflaretur: ludibrio nihilominus infirmi & adſtantium æque ac Medicorum genuinorum & ingenuorum ſe egregie exponebant, his occaſionem ſimul porrigebant ſuam comprobandi peritiam ac exiſtimationem, tenebrionum autem illorum inſcitiam denudandi & levitatem corrigendi atque comprimendi.

Difficultas rei poſtulat conſultationes.

De cætero ipſa quoque neceſſitas ſeu caſus difficultas aliquando adhibere jubet conſultationes medicas, dum *unus non videt omnia, unius mens omnium negotiorum incapax eſt, nec cuncta ſua ſcientia complecti poteſt, pauca enim unus videt & audit, multa vero plures*, ſapientiſſimus quandoque ſui obliviſcitur, ac εὐπορία interdum ἀπορίαν patitur: adeo quidem ut ipſummet *Hippocratem epiſt. ad Democrit.* fateri non puduerit, ſe, quamvis ſenem, atque exercitatum, multa adhuc ignorare, & *Fernelium de luis vener. curat. c. 7* ſcripſiſſe legimus: *Multa, crede mihi, deprehendes in rerum natura, ſi ſingula bene examines, in quibus cæcutire humanum intellectum ſit neceſſe*, ut aliorum Medicorum prudentum genuinas taceam infirmitatis ſuæ confeſſiones, ſupra citatas. Culmen E. humanæ ſapientiæ attigit ille, qui ſapientiam ſuam ſuſpectam habet, ſibique perſuadet, alieno ſe opus habere conſilio: & in magnorum diſcriminum anguſtiis, ubi propria conſilia remedium morbo adæquatum haud porrigunt, prudenter aliorum implorantur ſuffragia, quorum nempe prudentiam in ſimilibus, nedum difficilioribus, caſibus approbavit experientia. Quandoquidem, ſicut, juxta *Euripidem, victoria in bona conſultatione poſita*, & prudentis naucleri eſt, maximis intempeſtatibus vectores quoque conſulere: ita medentibus pariter conſultatio, ex eruditione rerumque peritia plurium, eventum promittit ſalutarem. Aut, ſi quando demum medela forſan minus ex voto ſuccedat, idem Medicus, conſilii amans, frequentiſſimum vulgi ſoſtrum, calumniam declinabit commodius, perinde ſc. ac, ſi convaleſcat infirmus, honoris particeps eſt: ita ut, ſi quid humani accidat, cadaver facilius a pluribus

ribus ad tumulum deportetur, hoc eſt, levius maledicentium ictus excipiant plures, & multitudini frequentius condonetur. Quod quidem circa Magnatum aliasque perſonas primarias, quibuscunque, loquente *Saluſtio*, *opes in excelſo ſunt*, locum maxime obtinet, utpote a quarum morbis Medicorum etiam circumſpectorum ſatis, fama plus periclitatur, plus obloquii hos fatigat.

Quibus non obſtantibus quibusdam Medicis exoſæ valde ſunt ejuſmodi conciones, faſtu & arrogantia tumentibus & præ avaritia anhelantibus; ne futilem forſan famam & quæſtum ſordidum periculo exponant: adeo ut rogante & jubente etiam ægro alios in curatione ſibi adjungi minime patiantur, ſed hos ad internecionem ejus ab hac variis machinis excludant. Quidam enim ex illorum claſſe prodeunt, qui, quod de Poëtis & Oratoribus *Cicero* enunciabat, neminem quenquam ſe meliorem arbitrantur, i. e. ſibi arroganter plus, quam par eſt, fidunt, & cunctis caſibus arduis ſe ſufficere ſibi præſumunt, aliorum etiam conſilia contentioſe reprobant, nulla alia intentione, quam ut hos ſupplantent & per horum depreſſionem ac contemptum ſapientiores æſtimentur. Alii, ne ruditas ſua elucеſcat & in deriſum veniat, ſocios ſibi accerſeri renuunt; quo tamen commento eandem non raro detegunt, quemadmodum ſuperius innui: ut aſſerere auſim, pleroſque medicorum, qui conſiliarios abhorrent, præter ignorantiam nihil ſapere ſeu olere. Quos nihilominus, ineptos non minus ac audaculos, faceſſere jubeo, utpote ſub quorum dictatura ægri non tam moriuntur, quam occiduntur: & per conſequens rebus ſuis & ægrorum male conſulit, qui conſultationes cum aliis detrectat, ſaltem ut arrogantiam ſuam fructuoſiorem reddat, vel ruditatem, quæ aliorum doctiorum admiſſione, cum emolumento decumbentium haud mediocri revelaretur, occultet, hujusque pediſſequam, ludibrium nempe, declinet; non enim exiſtimationi, non quæſtui, ſed ſaluti ac vitæ hominum, eſt litandum, quæ nullo auro redimitur ſemel neglecta. Et ſi, quæ a Majoribus, vel ſub præceptorum, vel obſervationum & hiſtoriarum, vel conſiliorum, nomine, tradita Medicis non tantum initiatis, ſed in arte quoque perfectis ac expertis, in conſilium adhibere valde neceſſarium & proficuum eſt, ac caſus nobis obvenientes ad caſus, literis Ante-

Quibusdam medicis ſunt exoſæ.

Sc. arrogantioribus,

rudioribus,

male ita agunt,

teceſſorum conſignatos, metiri jubemur & quotidie ſolemus: cur unius alteriusve Collegæ & Conſultatoris vivi conſortium tantum abhorremus, a quo non minus lucis rebus cognoſcendis ac faciendis conſequi datur?

Denegantium conſultationes argumenta.

Contrarium equidem nonnulli aſſerere conantur, temnunt ac damnant, tanquam inutiles, ſuporvacaneos & tantum non exitioſos, ejuſmodi congreſſus, v. g. *Caſp. Caldera de Heredia tribunal. med. polit. l.1. t.15. Ged. Harvey artis curandi morb. expectat. c.25. & Botallus l.a. §.24.* Quorum *prior* Medicorum congeriem veritatem confundere ſcribit, i. e. pariter, ac lapidum congeries altitudinem quidem geometricam ſeu acervum ingentem condat, non unitatem phyſicam, ſic ingeniorum conſultantium multitudinem haud unum facere egregium, imo ſe mutuo impedire, non juvare, ſeu, ut aliis loqui placet, ubi multa judicia, ibi majorem deprehendi confuſionem. *Alter* illum, qui unius Medici conſilio utitur, Medicum habere, ait, qui duorum conſilio potitur, dimidiatum tantum, qui trium operam ſibi admovet, nullum omnino Medicum habere. Quibus jungere quadrat *Rhaſin* ac *Damaſcenum*, eum, *qui plures conſulit Medicos, in errores ſingulorum incidere*, differentes: ſicut *Plinium* pariter, dum *29. Hiſt. nat. 1 miſeras circa ægros ſententiarum concertationes, & infelicem monumenti Cæſaris Adriani Inſcriptionem illam ait, qua Turba ſe Medicorum* periiſſe innuit idem ipſe, quem morti proximum *Dion* illud Menandri recitaſſe perhibet: *multi Duces Cariam perdiderunt, multi autem Medici perdiderunt Regem*: ac *M. Verinum & Joh. Owenum*, Poëtas celebres, ita ludentes:

Impediunt certe medicamina plura ſalutem,
Non plures Medici, ſed ſatis unus erit.
Nunquam, crede mihi, a morbo curabitur æger,
Si multis Medicis creditur una ſalus.

Cum inprimis pauciſſimi decumbentium atque adſtantium judicio in tantum polleant, ut, utri altercantium Medicorum fidem præſtent, norint: quin potius in ſeligendo atque dijudicando fallantur ſæpenumero; cujus concertantium præceptis & conſilio inhærendum ſit, hæſitent, eorumque animus hinc inde fluctuet. *Botallum* demum quod ſpectat, nec hoc ſalubrius ſemper conſilium eſſe, quod a

pluribus fuerit determinatum, ait, ideo inprimis, quod, etſi in principiis artis conſultantium ſinguli concordent, per varias tamen vias quisque ſcopum ſuum attingere inſudet, ſeu ad unum finem ſuo tramite properare laboret, quem cæteris omnibus, ſibi incognitis, præferendum putant ſinguli: dum interea, qui in congreſſu primas tenet, non recuſaturus ſit ſententiam, quam pro meliore excogitavit, & forte etiam aliquo uſu comprobavit, ut aliam commendet. Addo his non raro etiam quoad principia Conſultantes evidenter diſcrepare, ut v. g. febris intermittentis cauſam unus eorum aſſerat putredinem humorum in vaſis meſaraicis ſtabulantium, alius cruditates tantum ventriculi ac inteſtinorum: flatus alius accuſat in colica & ſuffocatione hyſterica, alius aberrationes ſpaſmodicas. Hinc pro febris illius medela prolixiorem præparantium ſeu materiam morbificam digerentium uſum, & poſt illa demum cathartica quidam ſuadet, alter mox ἄνω ſeu κάτω evacuat. Laudat febrifuga hic mox in morbi principio, deteſtatur eadem ille aut omnimode, aut eorum exhibitionem longius procraſtinat. Carminantia ille in colica & hyſterico inſultu propinat, exhibere contendit hic antiſpasmodica cum opiatis. Eadem opiata unus præſcribit mox in prima colicæ & nephrititis invaſione, alter non, niſi deterſis primis viis & remota demum cauſa continente, per hæc ſymptomatis medetur. Varioloſo, petechiali febre & purpura laborantibus atmoſphæram alii commendant tepidiorem, alii fervidiorem, alii frigidiorem omnimode. Mercurius dulcis nonnullis eſt in frequentiore uſu, penes pueros quoque, quem alter ex præjudicio horret ac deteſtatur. Ad venæſectionem quidam ſunt faciles; reformidant eam Helmontiani: & quidem illorum quidam in puerili quoque ætate, quam alii in hac damnant, ſecundum illud Galenicorum dogma, vires ejuſmodi tenellorum corporum generoſo huic remedio ferendo minus adæquatas exiſtere. Pergit *Botallus*, plures medicos non ægrum modo & aſſiſtentes, ſed ſemetipſos quoque interdum valde conturbare. Si v. g. *aliquis aſſidentium ſciſcitetur ab uno concurrentium medicorum ſeorſim, num vinum dandum, num nigrum, vel album, num fricandum, num tempeſtivius nutriendum, num aſſa porrigenda, num acetarium condonandum, vel alia ſimilia, quorum forte indifferens fuerit uſus; alius interim*

Conſultationes difficiles reddit hypotheſium diſparitas.

Conturbant aliquando Medicos & ægrum.

terim

terim ab alio medico eadem poſtulat; hic forte concedat, quæ alter interdixerit: confundi hinc eos, & laudari ab hoc conſenſu unius medici, quæ alter alterius conſilio damnet, quamvis nullius forſan momenti res ſit, ſive fiat, ſive omittatur, interdum tamen, meo judicio, multum referat, hujus conſilium præ illius amplecti.

His tamen, ſi de honeſto, ſeu de eo, quod fieri debebat, agatur, minime ſubſcribo, utpote maximam partem, ſi non garrula magis & ſoluta loquacitate dictis, pravorum Medicorum tamen tantum malignitatem exprimentibus, & ex vulgi potius præjudicio ac virulentia profluentibus, quam veritati per omnia conſentaneis. Improbare & reprobare recitata ſimiliaque effata videntur diſceptationes illas Medicorum quorundam contentioſas, aut mavis aniles, quæ ad eundem & ſalutarem ſcopum nunquam collimant, ſeu in obeundis conſentiunt: ſed jurgiis tempus conſumunt, illi maximam interim ægro pariunt moleſtiam & faſtidium, timorem incutiunt, ejusque animum magis, quam morbus, perturbant, hujusque vitam, quam *brevem* dixerat *Hippocrates, ſuis litibus,* advertente *Petrarchæ, breviſſimam faciunt;* ut non incongrue tales contentiones *Chryſoſtomus certamina deſperata* appellarit.

In conſultationibus haud litigandum.

Quatenus horum, qui conveniunt, ſinguli rubore perfunduntur, quinimo excandeſcunt, ſi opinione ſua cæteris non prævaleant, paradoxa licet: pertinaciter & ita a ſe invicem diſſentiunt, ut nec pares, nec ſuperiores, ferre queant, nullusque eorum citra exceptionem, additionem, detractionem, permutationem ſimilemque cribrationem commendatum a Collega præſidium comprobet, nedum laceret ac mordeat; ne nimirum hoc non doctior ac peritior videatur. Id eſt, inter ſe frivolæ potius oſtentationis gratia & per levitatem illam, quam animi immoderatior elatio peperit, concertant, quam in ea disquirunt, quæ infirmo ſalutem præſtent. Si cum juniore & minoris adhuc famæ concurrat ſenior ac celebrior, quamvis ille & ægri, & veritatis, magis amans ſit, mentisque acumine, ſtudiis & opere hunc longe ſuperet: hic opinione vulgi & quod verbis ſuis, velut ab oraculo productis, undique credatur, nimis confiſus, de junioris rite ac perite peractis male ſentit, &, quaſi inepte ac ſiniſtre medelam hic hactenus adminiſtrarit, mordicus pandit. Quamvis

Increpant ſeniores juniores.

eodem

eodem arrogantiæ vitio laboret aliquando junior, a verſatili forſan ſua lingua aut credulitate de ſe ſtolida ſeductus, ut cum ſeniore in concionem vocatus, hunc ingenii effœti & torpidi, item moroſitatis, clanculum maligne ſatis proclamet, eo ſe plus ſapere temere ſibi perſuadeat huicque quam impudentiſſime oggânniat. Quando demum pares congrediuntur, neuter alteri cedit, non pari tantum ſe pollere doctrina parique judicio uterque arbitratur, ſed ingenio ac peritia alter alterum antecellere opinatur, eique ne latum unguem cedit: hinc fideliter & congrue ab hoc propoſita remedia renuit, invalida autem & minus opportuna, æmula potius mente, quam pro affectus conditione, illis ſubſtituit.

Item juniores ſeniores.

Commune eſt cunctis contradicendi ſtudium.

Atque hæc eſt illa Medicorum congredientium invidia ac pervicacia, quam Doctorum ingenuorum plerique vituperant, vituperant quoque illum ægrorum peſſimum & valetudini propriæ exitioſum maxime morem, quo a diverſis medicis pariter ac medicaſtris ſeorſim, quid facto opus ſit, inquirunt, ſeu cuivis idiotæ palæſtram, peritiam imperitiamve ſuam tentandi, corpora ſua concedunt, hinc omnium aut plurium illorum præpoſtera præſidia, quæ morbo hujusque circumſtantiis non ſatis perſpectis illi commendant, adhibere non verentur: minime vero laudabilem illam conſultandi conſuetudinem, qua ægritudines accuratiore ponderantur trutina, inquiritur in harum cauſas, colliguntur ſigna, ut auxilii inventio facilior evadat, admittunt. Quemadmodum *Plinius* itidem ſuperius allegatam Cæſaris monumenti inſcriptionem miſeram ait, non quod plurium Medicorum congregationi valetudo ejus commiſſa, ſed quod eadem de illorum prolixis & infinitis concertationibus conqueſtus fuerit defunctus: *nullo* videlicet eorum, *idem cenſente, ne videatur acceſſio alterius.*

Nonnulli ægri ſine conſultatione plures conſulunt.

Et hos perverſos mores, quos in ægris æque ac Medicis quibusdam hodie experimur, emendare, fragilitatem humanam longe ſuperat, conſilia interim indifferenter cum aliis conferre, vix ſemper æque conſultum jubent, & congreſſus medicos aliquando declinare urgent. Quatenus, perhibente *Harvey* l. a. plusquam evidens eſt, timorem ac diffidentiam binos illos frequentiores exiſtere aculeos, qui infirmum ad duorum pluriumve medicorum convocationem

Medicis conſultationes hodie moleſtæ ſunt.

 ſtimulant.

ſtimulant. Addo adſtantium inſuper ineptum in illum affectum & ejus ſanitatem juvandi præcocem cupidinem, non raro adulationem, interdum in Medicum præſentem ſeu ordinarium eorum odium, in alium quoque magis amicam & neceſſariam propenſionem, tale quid machinari, ac priorem cavillando, poſteriorem miris & ſtultis aliquando encomiis extollendo, omni de reliquo ſana ratione poſthabita, ad conſultationem, infirmo minus proficuam, ſi non lugubrem, poſtulandam hunc laceſſere: ut de ejuſmodi impetuoſioribus ſtimulis adſtantium ſollicitatoriis penes amicos alios & ipſum Medicum ordinarium interdum animo ac vultu ingenuo conqueratur miſer, ſie haben mir nicht eher vom Halſe gelaſſen/ biß ꝛc. Unde medicus prior ſeu familiaris, ſi ad congreſſum ejuſmodi ingrate, indigne, præ turpi metu vanaque diffidentia, aut per merum ſui vilipendium & exiſtimationi ſubtrahendi libidinem, adigatur, famæ ſuæ non minus conſervandæ ac conſcientiæ obſtrictus, haud injuſte incandeſcit, & frivolis ejuſmodi technis inique ferendis, quia homo, vix undique par obſervatur; hinc in fervore ſeu virium contentione, ſalutem decumbentis recuperandi, tepeſcit ac langueſcit: ſicque patiens intempeſtivæ ſuæ diffidentiæ, adſtantes ſuæ perverſitatis ac blanditiarum, pœnas luunt, usque dum utrosque pœniteat præcipitantiæ ſuæ, utplurimum ſero ſatis ſapiant; præprimis ſi acceſſorium, & in quem omnem valetudinis ſpem collocaverant, imperitum officioque deſiderato minus invigilantem experiantur.

Ex diffidentia ægrorum pleræque conſultationes.

Generis hujus lepidam obſervationem relatam debeo cuidam Amico, qui cum Medico alio juvenem Generoſum, variolis haud adeo graviter decumbentem, ultra octiduum viſitarat, omnibus bene ſatis ſuccedentibus & papulis jamdum exareſcentibus. Advocat nihilominus Parens ſtolide diffidens ex urbe vicina Medicum tertium, quem ſocium in arte luſoria fidum ab aliquo tempore noverat, prioribus duobus inſciis, qui horum medendi rationis cenſorem ageret. Aſt advolans hic ægritudinem ac ægrum eo usque abhorreſcit, ut conclavi hujus introductus, pro fugandis tetris ſeu conſuetis variolarum exhalationibus, januas & feneſtras aperire juſſerit, intrarit ut exiret, hoc eſt, fugitivo ſatis talo infirmum viſitarit atque reliquerit, huncque & Parentem ſpe infallibili fere fefelliſſet, niſi

chartæ

chartæ verſicolores Medico & Parenti pallidum excuſſiſſent metum.

Et quamvis, ut vel ex proxima relatione innoteſcit, utplurimum Medico priore de hoc minus ſalutato ejuſmodi conſultores ſocii ſeligantur & advocentur, ſeu illi ex improviſo, ſub variis technis, obtrudantur: nollem tamen ulli, ſi de adjunctione ejuſmodi, plus minus amice, poſtuletur, facile ſuaſor eſſe, ut vel rudioris adjungendi perſonam, vel ipſam combinationem, renuat, aut quovis modo de his ambigat, niſi hominem moroſum, inhumanum, invidioſum, arrogantem &c. ſe videri quis malit; ipſeque congreſſus, ut ſuperius monui, peritum ab imperito diſcernet, & conſultationem ejuſmodi præter ac aliquando contra omnem rationem expetentes, quam inepte ac male ſibi ſuisque conſuluerint, eventus docebit. Majoris momenti ſunt difficultates, quas ex *Botallo* recenſui & quibus unum alterumve adjeci, quæque, fateor, cum ſententia, quæ conſultationes ſuadet, vix commode conciliare licet. Qui hypotheſibus artis, ſive quoad ætiologiam morbi, ſive remedia & horum adminiſtrandi rationem, diſcrepant, in actu collegiandi ſe conciliari minime patiuntur; vel quod præjudiciis ſuis ſpiſſius obruti, vel quod alterius hypotheſeos fundamentorum ignari, ſermones contradicentis minus percipiant. Ut mittam, ejuſmodi hypotheſium alienarum explicationem & propriæ impugnationem plerisque forſan in congreſſu moleſtam eſſe, horumque exiſtimationi non parum præjudicare. Confuſaneas ægri ſeu adſtantium ſciſcitationes ex concurrentium ſingulis nec prudentiſſimus horum interpellabit, vel declinabit hinc natam conturbationem ſibi pariter ſuisque collegis, ac ægro & aſſidentibus. Licet, advertente *Botallo*, neutrum illorum facile credant, qui artem non norunt, etiamſi hoc ipſum prolixius declarare conentur prudentiores, teſtetur frequentior experientia: illis nempe perſuaſis, quaſi hæc aſſerta non veritatis, ſed affectus præpoſteri, documenta ſint.

Non facile recuſandæ tamen.

Porro Medicorum quorundam, præter ordinarium introvocatorum, non unius generis obſervatur protervia & malignitas, per quam eorum alii, ad infirmos quam primum ingreſſi, elata ſatis fronte ac ſupercilio, & per modum tentaminis ſcholaſtici, quis morbus,

Faſtus nonnullorum in conſultando.

quæ hujus cauſa, qualia remedia, quando &c. adhibuerit, ab illo ſciſcitant: minime eum in finem, quod erudiri de his geſtiant, aut quo opem ferant ægrotanti promptiorem, ſed ut peritiam ſuam faſtuoſe oſtentent, & de hoc contemptus ſibi ſub primo morbi inſultu facti, ſeu ſui præteritionis, atque de priore Medico, ſe inſalutatis vocato ac medelam hactenus faciente, vindicias oportunas ſumant. In cujus opiniones proin inſultant, in conſilia ſæviunt, remedia cavillant, ruditatis eum plus minus directe inſimulant, omniaque hujus dicta atque facta errori vertunt, optime forſan ac perite geſta.

Expertum audiamus, & ab ejuſmodi male feriatis hominibus quid ipſi contigerit, enarrantem *Freitagium noct. medic. cap. 15.* Sc. ægros morbis ægre ſanabilibus, pernicioſis aut chronicis affectos cum tractaret, ſuo conſilio & rogatu alios frequenter advocatos fuiſſe, qui nihilominus, ut ſoli lucrum & honorem aucuparentur, ipſum aliosve, qui manum primam admoverant, morbum non intellexiſſe, erraſſe in cauſa, methodo, remediis, ut ſe eveherent, eum eliderent, ægris clancularie inſtillarint: quamvis, cum alio filo ſtiloque curam pertexere ſatagerent, tantas æmulationis & virulentiæ ſuæ pœnas dederint, ut vel ægri rem deteriorem reddiderint, vel ex rebus humanis omnimode hunc exemerint; ipſi interim, propinquis aliisque aſſidentibus ſuggeſſerint, ſi maturius vocati, vel ſtatim cum prioribus acceſſiſſent, ſe illum artificioſe ac feliciter ſanaturos fuiſſe. Quale quid ſi cum Freitagio experiantur alii, haud mirum, ſi de priſtino medendi ſtudio remittant, ac illis malevolis, de ſalute infirmi non adeo ſollicitis, horumque congreſſibus ſe ſubtrahant: ne, ſi illi ſuam exiſtimationem ab horum convitiis vindicare annitantur, probris ac dicteriis magis, quam honeſta concertatione, ſe invicem exagitent & pertinacius juſto contendant, hinc in deſperationem non ſolum ægrotantes agant, ſed vulgi quoque deriſui utrinque ſe exponant; illi interim maledici, quo juſta opprobria callidius evitent, perfunctorias ſatis operas decumbentibus præſtent, hinc ſibi abblandiantur, quod communi opere peractum, a nemine facile taxari, quinimo ab omnibus non, niſi approbari, poſſe.

Alii contra Medicorum, priori officiorum neceſſitudine aut pacto nefario devincti, vel quacunque de cauſa huic ad gratiam loquentes

quentes (quales communiter confarreati audiunt) ridiculos ſe hujus gerunt aſſentatores, ac inter conſultandum ab ejus autoritate ſeu nutu in ſententiam perverſam quoque, trahuntur, *ſperantes*, ut inquit *Caldera de Heredia* l. a. *ſub imperio tali regnare*, i. e. ex favore ejus, cui adulantur, famam majorem, ſi Diis placet, ſibi promittentes. Quare omnia Prædeceſſoris conſilia ac præſidia quaſi rite & ſecundum artem adornata, utut ſatis inepta, rata habent, imo eadem, in arbitrii ſui teſtimonium, ſimul jubent, unam vel alteram tantum forſan medicamenti ſpeciem commendatis ab illo, v. g. Scolopendrio Fumariam, Ebori Corallia, Carduibenedicto Centaurium, addendo vel ſubſtituendo, aut enema, ſacculos ad pulſum &c. cæteris remediis combinando, aut quamvis exigui vel nullius momenti circumſtantiam circa medelam immutando: ut ille officio hoc adulatorio ad paria obligetur, ægro tamen hujusve amicis non ſolus ſapere credatur. Allotria interim dum ambo tractant, garriunt, ſcurras agunt, fabulas narrant, a congreſſibus ejuſmodi parum emolumenti in illos, qui opem efflagitant, cedit, & horum ſaluti peſſime conſulitur. Uno verbo, quemadmodum, juxta *Ptolomæum centiloq. ſent. 12. amor odiumque, ne vera eveniant judicia, prohibent, augent ſiquidem minima, & maxima minuunt:* ita a Medicis minus conſcientioſis, in conſilium vocatis, ſive ſibi amici & familiares extiterint, ſive ſimultates inter ſe alant, non leve aliquando imminet periculum.

Conſultantium nefaria conſpiratio.

Raro ſalutares ſunt ægri conſultationes.

Neque deſunt conſultantium tales, quorum præſumtio & arrogantia cæteros Medicos in ſuam ſententiam, ſpecioſe magis, quam vere, allicere ſatagit, adeo ut aliquando, pro horum ſimplicitate & illorum aſtu, diſceptatores momentum quæſtionis vix attingant, illi callidæ eloquentiæ aut mavis garrulitatis fuco imperitiam ſuam incruſtent & veritatem violentius diſtorqueant, terrorem cæteris incutiant, hocque autoritatis peculatu eis, nolentibus volentibus, facile etiam abſurda perſuadeant. Quemadmodum nec infrequenter evenit, ut conſultationibus ejuſmodi interſint Medici, quorum ambitio & malevola lingua illos potiſſimum, qui extra eorum ſodalitium ſeu gregem ſunt, de induſtria & mero contradicendi œſtro, in cervicoſas & abſurdas opiniones rapiunt ac dirimunt: pariter in ægri pernitiem, qui nihilominus ab Iatrobulia ejuſmodi ſalutem certam

Simpliciores conſultantium ab arrogantioribus in conſenſum trahuntur.

Quidam conſulto-rum oſtentatores.

ſibi ominabatur. Ne referam, quoſdam horum congregatorum, ad ſolam ſui oſtentationem, quæſtiones atque diſceptationes philoſophicas, aſtrologicas, anatomicas &c. coram ægros inutiliter movere, ex aſtris de morbi natura, cauſis, prognoſi & medela divinare, tanta aliquando cum ambitione, ut alios, ipſis eruditione longe ſuperiores, in his ignorantiæ inſimulent, ipſi utplurimum rudiſſimi, ne circulum in ſphæra dignoſcentes, quique nec cadaveris ſectioni unquam interfuerunt: ut in eum, cujus gratia fit conſultatio, pariter nihil, præter moleſtiam, redundet.

Imperitorum quorundam technæ,

Demum vero quandoque poſterior Medicus, ſeu ordinario lateranus conſtitutus, omnium exiſtit imperitiſſimus, quem ſcilicet non doctrina, ſed plebis opinio, Medicum reddit & veſana vetula commendat, quique per ignorantiam ſpectatius conſilium ſuggerere præſidiumque efficacius porrigere nequit: qualis nihilominus, ut Medicum (hyſtrionem potius) ſe præſtet, de morbo & hujus cauſis chimæras ex hypotheſibus alienis ſibique ignotis format, Lympham acidam, tubulos nervorum, bilis alcali aut circulationis ſanguinis moras accuſat, qui nec terminos hos capit, incidentibus, aperientibus, reſolventibus, de obſtruentibus (quaſi hæc non unius generis forent) præcipitantibus abſorbentibus, fixis, terreis (itidem æquipollentibus) rem aggrediendam diſſerit, ex farragine tandem ſimplicium & compoſitorum prolixorum novas decompoſitiones cudit, an ſcammonium ſulphuratum, an roſatum, an diagrydium præſtet, pertinaciter diſceptat, aquam Carduibenedicti aquæ florum Sambuci præfert, aut adfundere ſtrenue urget, Helleborum nigrum præ Rhabarbaro ſplenem, hoc præ illo epar, evacuare, acriter propugnat, & in ſimilibus de lana caprina decertationibus cum magna pompa dum tempus terit, occaſionem oportune agendi frivole prætermittit, nænias interim, neſcio quas, conglomerat, qualium nonnullas *Harvey* l. a. recenſet. Dum v. g. lis inter duos per horam unam alteramque agebatur, num in affectu cerebri mel enemati addendum foret ſimplex coctum, an anthoſatum? utriusque partis argumentis auditis, mellis ſimplicis, quaſi magis ſtimulantis, uſui ſuffragabantur plures, ad rationem de virtute cephalica anthoſati, lato reſponſo, quod naribus potius, quam natibus hoc prodeſſet. Cujus generis etiam eſt

de lana caprina diſputant.

rixa,

rixa, inter quoſdam fama præclaros Medicos ad fuſtium uſque colliſionem mota, de pomo in eſcam communi conſilio patienti præſcripto: num ſub cineribus, viteo folio, an papyro fuſco obvolutum hoc aſſandum ſit? longo encomio altero eorum commendante vitis foliorum dotes, in pomum transferendas.

Jungo his morionibus illos, qui communi conſilio commendatum & ab alterutro ſociorum in chartam conjectum remedium, ſub Formulæ ſeu Recepti nomine, vel cæteris recognoſcendum ac videndum, neſcio, qua animi ſubmiſſione ac ſui diffidentia, porrigunt; vel ab altero conſcriptum, cenſorio quaſi oculo, videre geſtiunt & monſtrari ſibi poſtulant. Quamvis prius quoque nonnullos eum in finem agere, palam ſit, quo ex aſſenſu ſeu approbatione cæterorum aliquid inanis gloriæ captent: ſicut poſterius prætendunt, qui aliis peritiores videri malunt, hinc ſibi temperare vix poſſunt, quin v. g. ſali communi ſal Gemmæ ſubſtituendum advertant, Antimonio diaphoretico Bezoardicum minerale magna emphaſi ſurrogent, nugentur. Cenſura formularum præſcriptarum.

Et hujus generis concertationum anilium ac cachinno dignarum plures enarrare lubens abſtineo, ne unius alteriusve hominis ſtolidioris ineptias innuendo, totum ordinem artemque ipſam ludibrio multorum, prudentum æque ac imprudentum, exponam. Neque facile mihi perſuadere poſſum tantam unquam Medicorum collatitiorum temeritatem, qualem idem *Harvey* commemorat, & perquam junctim, quod eorum ſinguli ſeorſim, ne exiſtimationi ſuæ labem affricent, tentare nullatenus audebant, remedium, aleæ maxime dubiæ, experiri minus verebantur: v. g. dum Mercurii dulcis drachmas duas quotidie bis, per aliquot dies continuando, duorum vel trium Medicorum catervula diverſis infirmis exhibuerit, uſque dum horum ferme omnes conſultorum ſuorum auſus octavo vel nono die morte expiaverint. Cum Scriptoris nihilominus hujus allegati capitis epilogo atque ſuſpirio & ego argumentum hoc inpræſentiarum finio: *a Conſultatione Medicorum conſarreatorum libera me omnesque probos, Domine.*

Id eſt omnes ac ſingulos mente ſincera monitos cupio, ne adeo facile in Conſultationes parandas ſe abripi patiantur, aut in has inconſide- In poſtulanda.

conſultatione quid obſervandum.

conſideratius ruant, ob incommoda prænarrata, certo certius utplurimum metuenda: ſi inprimis Medicum familiarem eruditum ſpecimina publica, fidum induſtria, teſtentur. Aut ſi forſan quis in hoc levitatis inciderit, ut hujus doctrinam & peritiam ſuſpectam habens plurium conſultatione gaudeat, eum potius omnimode dimittere, aliique, cui libentius ſe fidat, valetudinem concredere, non adeo abſone jubet *Harvey*. Aut, ſi nec hac ratione ſibi ſatisfieri autumet, morbus inducias ferat, & cæteræ circumſtantiæ permittant, eodem Scriptore monente, ſeorſim accerſat Medicos diverſos, qui de morbo, ejus cauſa, medendi ratione & remediis ſeparatim ſententiam ſuam hujusque argumenta in chartam conjiciant: qualia aut Medici ſui ordinarii, aut huic ſubordinati, eruditi nimirum ac probi, cenſura approbanda, rejicienda ſeligendave ſubjiciat, & in hoc demum dicterio: *contra vim mortis non eſt medicamen in hortis*, patienter acquieſcat.

Aliquando etiam his ſe ſubtrahere licet.

Quemadmodum nec ulli prudentum ac generoſorum Medicorum in malam partem interpretari poſſum, ſi congreſſibus ejusmodi aliquando ſe ſubducat: ſive medelæ primus extiterit adminiſtrator, ſive huic combinandus fuerit; non ut pertinaciter eos renuat, ſed potius omnimode ſecedat atque a cura abſtineat. Hac enim ratione non habebit æger, ut de cervicoſitate illius conqueratur, dum huic, de peritia ejus diſſidenti, liberior conceditur occaſio, quosque alios Medicos, ſibi peritiores viſos, advocandi, horumque dexteritatem & fortunam experimentandi. Habet hujus ſubterfugii cauſas uterque communes, habent ſinguli eorum peculiares, cunctas, ut credo, ſonticas ſatis, & quas cantilena illa inepta, quaſi per conſcientiam omni infirmo, medelam poſtulanti, omnis medicus obligetur, haud ſolvit.

Hujus loci videlicet facio ex *cap. quarto* nec per naturam, nec legem, nec contractum teneri hunc, ut operam cuivis petenti præſtet, & confidentiam ægri ſolitariam medicum haud obligare; ſed ad commode medendum inter hunc & illum reciprocam exigi: niſi ſervos Romanos ſeu mancipia noſtrates quoque Medicos velimus. Hinc non apparet, quid Medicum ægro, qui diffidentiam in eum collocat, ſeu invito & reſpuenti, miniſtrare urgeat; cum præter confidentiam

dentiam nihil habeant, quo Medicum vocatum ut accedat & permaneat, obligari, aſſerant: ceſſat E. hujus pronitas & obligatio, vacillante ac ceſſante ægri fiducia, ſi hæc unquam extitit, ſeſeque exerente aliqua averſatione. Nec in ejuſmodi meticuloſis ac diffidentibus parum, quod timeat, habet poſterior poſtulatus, incertus, annon, ut communiter fieri ſolet, potius cæco tantum ac præcipitante affectu, & ab aſſidentibus ſolum perſuaſus, ſeu tantum non (ut contigiſſe memini) coactus, an ex confidentia rationi innixa, æger ejus conſilium & aſſiſtentiam poſtularit: ſub quali ambiguitate ipſi ſuſpicari relinquitur, ne ſibi idem cum priore immineat fatum; i. e. ab infirmo, morbi & moræ pertæſo, ingrate, nec ſine conviciis, æque præcipitanter dimittatur, ac accerſitus fuerit. Præterea nemini Medicorum vitio verti poteſt, ſi famæ ſuæ parcat, neque cum moroſis tergiverſatoribus, magniloquis, malevolis, imperitis ſibique infeſtis ac inſidioſis rem facile habeat, & colliſiones ancipites ſubeat, fidem ægri evidenter concutientes. Quod quidem ſine ulla conſcientiæ nota agere poteſt, in locis præprimis, ubi Medicorum numerus luxuriat.

Polliceor mihi nihilominus a quolibet Medico ingenuo ac pio, eum ſi in quam inciderit rem arduam magis, alium, ab ægro & adſtantibus advocatum, non alacriter duntaxat admiſſurum, ſed ipſummet ſocium poſtulaturum, talem nempe, qualem hactenus deſcripſi; ſic enim non tantum conſcientiæ ſuæ conſulet, ſed minus ſecundum artem adminiſtratæ medelæ quoque declinabit ſuſpicionem. Hæreo ſiquidem, an ſecundum *R. a Caſtro* unquam prudenter faciat, alium qui non admittit, etſi morbum hujusque cauſam quam optime dignoſcat, ac creberrima licet experientia rationem ipſi medendi compertam habeat: modo hic difficilior fuerit ac remediis admotis minus cedat, patiens vero, moræ impatiens, ſocium deſideret Medicum. Quamvis generoſior illa ingenuitas non raro impotentiæ arguatur, & vitio ac ruditati tribuatur, quod prudentiæ ac virtutis opus. Quo proin in ejuſmodi tentationibus ſe vertat Medicus, non tam regulæ limitatæ, quam conſcientia ac ſagacitas, eum docebunt.

Aſt raro.

Congreſſus interim ejuſmodi adornari debent tempeſtive, ſeu antequam decumbentis ſalus deſperata plane evaſerit: perinde ac advo-

Conſultationes ſint tempeſtivæ.

candorum inſimul accuratior ſemper habendus ſelectus; cum ſola plebis opinio fiduciaria arbiter hujus negotii ardui haud perſpicax ſatis videatur. Nimirum, qui accerſitur, Medicus ante omnia priore, ſi non peritior ac celebrior, certe huic par, ſit: a minorum enim gentium homine parũ emolumenti ſibi polliceri poterat ægrotans: ut mittam, aſſociationem junioris minusq; exercitati priorem peritiorem, quaſi vilipendatur, ad indignationem usq; laceſſere. Deinde advocetur moribus honeſtis præditus minusq; contentioſus: ac deniq; priori gratus ſeu minus infeſtus. Cujus poſterioris ad minimum circumſtantiæ intuitu honeſtius & prudentius agunt infirmi atque horum neceſſarii, ſi prius de advocandi perſona cum hoc conferant, eive, cæteris paribus, optionem concedant, aut contra ejus nutum haud agant.

Qualis Medicus in conſilium vocandus.

Modus conſultandi. Non in ægri præſentia.

Modum congrediendi quod ſpectat, recte cum *Septalio & Zacuto Botallus* conſultationes clinicas ſeorſim ab ægro, omnibusque arbitris ſecluſis, celebrare jubet: quo liberius undique ediſſerantur ſententiæ, atque a priore Medico acta aut a quovis Collegarum prolata, ſi quando correctione indigeant, ſine nota ejus ignorantiæ, commodius corrigi, ejusque argumenta oportunius dilui valeant. Quales admonitiones ab eodem facile quoque admittentur, dum contra, ſi coram ægro & auſcultantibus domeſticis aliisve imperitioribus ejusmodi concertationes fiant, ſua mordicitus & pro vindicanda autoritate defendet quilibet; ne, inprimis ſi triſtior ſuperveniat eventus, hic illi in acceptis referatur, aut perpetua poſtmodum inter hos Medicos alantur diſſidia. De quo etiam Magiſtratum Mediolanenſem ejusdem urbis Collegium Medicorum lege publica proſpexiſſe, *Septalius* perhibet, ſc. ne conſultationes medicæ publice haberentur: ſicque inter Medicos vaſtæ ejusdem civitatis numeroſiores tantam huc usque conſervatam fuiſſe concordiam, ut inter multos vix unum reperire contingat, qui alium ad congreſſus medicos non prompte admiſerit.

Accedit, rerum medicarum ignaros auſcultatores ſemper aliquid, quod Medicorum conſiliis, ſi non diſerte, certe mente, temere addant, in his minuant, damnent, pervertant, convicientur, habere, ſæpeq; his ſuis nugis majorem præ ſapientiorum ſententiis fidem poſtulare, potiſſimum ſi præſidia commendata & applicata morbum non

ſtatim

ſtatim ſolverint, aut ſi hic male cedat, ac mors forſan ſuperveniat, & eventum hunc pravum in illum rejicere, qui vel remedium propoſuit, vel pertinacius defendit. Aut ſi Medicorum collegiantium quis nimia gloriæ cupiditate turgeat, metuendum, ne is elatior atque protervior evadat, ubi corona auſcultantium ſe ſtipatum viderit: ea damnans, quæ ab alio minus inepte dicta fuerunt, & ſua tantum extollens, neque argumentis evidentioribus cedens, ſed nugis prolixis tempus conterens. Quamvis *Botallum* indulgentiorem paulo in hoc deprehendam, unum alterumve ex amicis ſapientioribus (non ex plebe rudiore & aniculis) cui ægrotus curæ ſit, inter conſultandum dum admittit: qui nimirum teſtetur, omnia a congredientibus ſecundum artem prolata & ex concluſo majorum acta fuiſſe. Quod circa Magnates maxime debet obſervari, quorum non tam illos, qui horum infirmitati, adſtantium ſeu miniſtrantium nomine, præſto ſunt, quam Conſiliarios, & horum quidem intimiores, ac qui Principis ac Reipublicæ ſaluti excubant, cum veneratione admittere, obſervantia atque pietas jubent.

In ſpecie ægrum concertationes ejuſmodi attendere, non adeo congruum videtur, quo ſc. quisque concertantium ſententiam ſuam, potiſſimum ratione prognoſeos, ſatis libere exponere queat, neque ex iis occaſionem contriſtandi captet ille: vel ingrata dum audit, aut diſſerentium mentem haud recte comprehendit, ſibique perverſe applicat, ut *cap. 4* cautum fuit; neque tamen a ſperandis animus ejusdem intempeſtive efferatur, hinc monitis ac præceptis medicis minus obtemperet. Quibus addendum, quod ſalutari nonnunquam fraude & fructuoſa deceptione ægrorum teneritudini ac erroribus ſubvenire cogamur, adeoque hos optima quandoque celare remedia, ſana ratio jubeat: niſi forſan illi ex ſagaciorum genere fuerint, quos nihil vetat diſcurſibus ejuſmodi intereſſe; ſi præſertim animi præſentis magis eosdem noverimus, prout l. a. monitum.

In ipſo autem congreſſu audacter quilibet exponat id, quod artis & conſcientiæ dictamen diſſerere, facere & non facere, jubet: adeo quidem, ut a prædeceſſore ſocio prolata atque acta haud ſimpliciter approbare teneatur, aut de his nihil omnimode dubitare prohibeatur idem, ne hujus forte indignationem incurrat meliora perſpiciens.

Intrepide, modeſte tamen contradicere licet.

 Ab

Ab aliis contra ſententiam ſuam quæ referuntur, cum ratione refellat, aut iisdem ſubſcribat: hoc quidem ſine invidia atque æmulatione, illud benevole ac modeſte. Altercationes quippe tales amicæ caſum præſentem exactius diſcutiunt, & veritatis quaſi ventilabra ſunt: ac oportet, juxta *Plutarchum de aud. poët. epiſt. 19* non timide, velut in templo, omnia horrere, omniaque ſuperſtitioſe revereri, ſed de eo, quod decet ac rectum eſt, libere atque intrepide pronunciare; modo noſtra non pertinaciter amemus, ac a Collegis ſalubriter ſuggeſtis, ſi veritati conſona, non anteponamus. Breviter, diſſerente c. S. Thoma *Boudewyn ventilabr. medico-theolog. part. 1. quæſt. 50.* Contentio, qua impugnatur veritas inordinato modo & intentione prava, peccatum mortale eſt, at contentio, qua debito ordine ac modo impugnatur falſitas, ſumme laudabilis videtur: quatenus non quævis diſcordia vitio verti debet, quin potius, ſi per eam mala concordia & colluſio, ſive ex mera malitia, ſive ex ignorantia, orta, auferatur, laudem mereatur.

Methodus collegiandi.

Ipſum diſſerendi concertandive moderamen ſeu methodum quod ſpectat, *conſultandi ſeu collegiandi artem in morbis ad Chirurgiam pertinentibus* in tractatu peculiari promittit *Matthæus Roſſius*, promittit, non præſtat: i. e. plus hujus argumenti tenet libelli illius titulus, quam contextus. Plenius ac planius hoc egit *Thurrianus* per totam ſuam *Iatrobuliam*, inprimis hujus *lib. 2.* & ejuſmodi exercitationis exempla diverſa *lib. 4* ſubnectit: quemadmodum pariter *Ranchinus de conſult. rat. cap. 2. 3. 8. &c. J. C. Claudinus de ingr. ad infirm. lib. 1. cap. 4. 5. &c. Rod. a Caſtro & Rejes l. c.* Quorum tamen ſingulorum præcepta, quia ſuperflua & incongrua complectuntur, hinc inde ſatis imperfecta deprehenduntur, non poſſum non ablegare Medicum tyronem ad methodum generalem, quam ars cogitandi ac diſſerendi cum prudentia morali eum docent: i. e. medice ac modice ſeu ſecundum requiſita *in cap. 4* enarrata & *capitibus ſeqq.* tradenda, mentem ſuam, ſive conſentientem, ſive diſſentientem, ſociis exponat: exercitatiori vero præter ſtudium humanitatis ſociosque, non tam increpandi, quam informandi, ægroque ſerviendi, nihil, quod commendem, ſuppetit.

Ratione informationis equidem in praxi aliquando contingere obſerva-

An ſecreta inter conſultandum revelare medicus teneatur? Affirm.

obſervatur, ut Medicorum nonnulli, quæ ſibi ſecreta ſervant, remedia inter conſultandum propalare nolint: quod tamen ſicut conſultandi ſcopum maxime evertere creditur, quatenus ignotorum virtus ſub deliberationem venire nequit, hæcque a Collega, quem latent, ſine ſimplicitatis ac temeritatis nota nec approbari, nec repudiari, valent; ita nefarium atque impium ajunt, qui aliis conſcientiores audire malunt, i.e. ſub conſcientiæ forſan prætextu illis laboris ac induſtriæ propriæ fructus eripere contendunt, a pietate utplurimum quam alieniſſimi & conſcientia omnimode exuti. Promachos gloriantur *Mich. Savanarolam tr. 6. c. 1. de ægritud. capit. & Renat. Moreau. Schol. Salern. c. 37* illos, qui arcana medica ſubticeant, & non omnibus revelent, peccatum in Spiritum Sanctum committere, aſſerentes; item *Theoph. Spizelium* dum *de infelic. Literat. comm. 23. §. 8* pudendum tenacitatis & avaritiæ medicæ genus ait, ſi Hygeæ alumni *εὑρήματα* ſua communi utilitati neutiquam conſecrata velint, ſed abſconditum velut quempiam theſaurum, diligenti ſtudio collectum, ſibi ſervandum ducant, vix ulli mortalium uſui futura. Provocant denique in *Scribonium Largum*, gentilem Scriptorem, & *in præfat. ad Caj. Jul. Caliſtium* ita diſſerentem: *Qui experti ſunt remediorum utilitatem, denegant autem uſum, valde culpandi ſunt, utpote qui crimine invidiæ flagrant; quod malum præcipue Medicis inviſum eſſe debet, in quibus niſi plenus miſericordiæ & humanitatis animus eſt, omnibus hominibus inviſi ſunto.* Quibus adſtipulatur *famigeratiſſimus Ahasv. Fritſchius Medic. peccaminoſ. ſ. concluſ. 21* per argumenta, ex pia non minus Jurisprudentia hujusque Legibus, ac ex Codice divino & charitatis chriſtianæ poſtulatis petita: nimirum *Hominis intereſſe, beneficio hominem affici; Nos non ſolum nobis, ſed & Patriæ, natos; Quid habes, o homo, quod non accepiſti? Beatius eſſe dare, quam accipere.*

Neg.

Verum quemadmodum *Boudewyns* facile condeſcendo, aſſerenti, genuina ejuſmodi arcana in paucorum manibus reperiri, ac frequentiores offendi fumi- & nugi-vendulos, qui talia jactitent & ægris perſuadeant, obtrudere aliquando malint Collegis ſuis perfricta maxime fronte, vulgaria interim tantum & vel aniculis nota propinent: ſic eo ipſo, dum neminem unquam invidiæ turgeſcentia eousque agitavit, ut cujuslibet artiſtæ ſcientiam privatam ſeu qua-

liumcunque encheiriſium alterius notitiam ſuam & omnibus communem velit, nullaque unquam Lex illud autoritatis ſibi arrogavit, quo vel leviſſimi agyrtæ experimentum extorſerit, cur Medicos talia omnium mancipia volumus, quibus contra jura omne peculium denegetur? Neque tanta vis penes virum non minus prudentem ac pium erit religionis, quam hujus pectori incutere conantur larvati ejuſmodi conſcientiarii, ut communia ſemper & ubique, cum aliis faciat, quæ e re bonæ valetudinis, vel conſervandæ, vel recuperandæ, fore certius novit, & quæ poſt Deum induſtriæ ſuæ debet: poſtquam videlicet nemini ſuis & ſuorum famæ atque commodis, ſiquidem ſine præjudicio & ſine ſupplantatione proximi hoc fiat, invigilare denegatum; & quod per benedictionem divinam atque laborem ſuum quis reperit, remedium medicum, ſi per hoc ægris inſerviat, alteri propalare, nec in clinicis congreſſibus, tenetur; Charitas quippe a ſe ipſo incipere permittit ac jubet. Nec ſordidiſſimus ſutor, nec ullius nobilioris artis gnarus, hanc, quam callet, alterum invitus ut doceat, honeſte ac juſte adigi poteſt, quemadmodum nec chirurgis, mulomedicis ac circumforaneis ſua, quæ frivole ſatis utplurimum crepant, extorqueri poſſunt evporiſta, quin potius in eorum præparatione ac uſu per privilegia Principum firmentur. Et ſi bona fortunæ cætera cum ſui & ſuorum diſpendio dilapidare, nemo urgeri valet, quin potius per ſanam rationem & Legum publicarum autoritatem inhibeatur; quid ſingularis medicaminis poſſeſſorem coget, ut hoc, quod propitia ipſi conceſſit fortuna, divulgando abjiciat, hinc exiſtimationi & fortunis ſuis temere vim inferat? niſi peritos præ imperitis, ut ſuæ ſuorumque ſaluti ac commodis renuncient, obligari, ſi non inique, inepte quis velit.

Pietatem demum *Godofr. Scholzii*, quam in *appendice Scrutinii Cinabarini* profitetur, conturbare equidem nolo, ab eodem tamen adeo facile perſuaderi vix poſſum, omnem arcanorum medicorum ſuppreſſionem biga illa idololatrica, quarum altera φιλοδοξία, altera φιλαργυρεία, audit, inniti, & quod inſtar numinis adorari velimus, aut aurei luti ſacra fames nos vexet, ſi arcana noſtra celemus. Vanam anhelare gloriam ac divitias avidius congerere, minus honeſtum eſſe, largior, famam nihilominus honeſtam comparare ſibique

ac

ac ſuis proſpicere, ipſum jus naturæ indulget, nedum imponit: cujus utriusque inſtrumentum poſt Numinis ſummi gratiam induſtria pia concedit. Niſi ipſemet *Scholzius* charitatis proximi immemor audire malit, dum in allegata *appendicis præfatiuncula* non omnibus, promiſcue in praxin Medicam involantibus, Emplaſtri Hofmanniani magnetici & obturantis bigam ſe daturum & conceſſurum &c. ait; quale quid tamen quomodo evitare queat, typis publicis dum exſcribi curavit tanta arcana, non concipio. Verbis, quibus idem ſcriptor pergit: *Quicquid jam tempus & experientia circa ſcrutinium ſimplicium & compoſitorum retexit in ſingulis regnis Naturæ, arcanum eſt, & fuit: quæ omnia ſi taceri debuiſſent a primis obſervatoribus, quid, quæſo, cum nobis ageretur, ſi dia fata velint, ut & nos morbis affligamur. Taceo laudabilem morem hodierni Collegii Curioſorum, qui, quicquid fere arcanorum habent in ſaniore pharmacia, therapeia & aliis Medicinæ ſyſtematicæ partibus, id omne & nobis & gratioſæ poſteritati medicæ effundunt &c.* promptiſſime adſtipulor, neque inventa & experimenta tacere ullum jubeo: quo nihilominus hæc cuncta cunctis & ſemper revelet quiſpiam, jubere, ipſa ratio & charitas in nos noſtrosque fructificans vetat. Poſtquam inprimis Arti ipſimet & Artiſtis eruditioribus præſidiorum medicorum adeo luxurioſam in plebeculam notitiam multum derogare, illique pariter ac his in vilipendium ceſſiſſe, quotidiana dolemus experientia: dum per eam quilibet ſe Medicum jactat & temere ſatis illa applicat quivis medicaſter in caſibus ejuſmodi, in qualibus iis aut nunquam, aut difficulter ſatis, uti auderet Dogmaticus circumſpectior.

Sufficere quippe in concertatione conſultatoria puto, ſi, quod ſocio & ægro commendat, remedii ætiologiam & cui indicato ſpeciali appropriatum hoc exiſtat, innuat, v. g. quod ſit catharcticum, carminativum, nervinum, anodynum &c. quod Medico rationali facile erit; eique ſimul fidem per alia experimenta faciat: quod ſi hic non præſtet, vel (ut agyrtis ſolenne) præſtare nequeat, vel per cervicoſitatem nolit, alteri, ut conſultationi ſe ſubducat, ſuadeo, cum de re ignota conſultare haud detur. Extra quem caſum tamen minus approbo, ut, quod quis callet, remedium præſtans adeo mordicus & invidioſe ſibi retineat, ut in ſarcophagum ſecum ſepeliri, quam per idem

Etiam ſine ſecreti remedii Specialiori explicatione poteſt commode fieri conſultatio.

Nullus medicorum ſecreta ſecum mori velit.

idem aliis prodeſſe, malit: communicet potius ante obitum ſeu leget hoc cuidam, quem peritum novit Medicum fidumque, ſui ſuorumque amicum. Sic enim proderit ſibi, infirmis ac publico, quamdiu ſuperſtes, proderit amico, ægris, arti & poſteritati defunctus, utrumque piiſſime ac honeſtiſſime. Inhumanitatis autem illum tantum Medicum arguit *Scribonius Largus*, qui gravi periculo expoſitum per medicamentum ſibi peculiare & ſecretum ſalvare, ſi poterit, detrectat: ejusque ſuperius citata verba minime, ut alteri Medico idem mox revelet, poſtulant; poſtulant, ne denegetur infirmo, medelam poſtulanti atque expectanti.

Coronidis loco argumento huic, de congreſſibus medicorum, hæc addo, eos utplurimum inutiles obſervari, raro ſalutares concipi poſſe: cum frequentius ſine ratione adornentur, ſine conſilio advocentur conſultatores. Neque quidem aliter fieri poterat, dum imperitus infirmus, imperiti adſtantes, utrumque præ metu ac diffidentia, adeoque animo conturbato agunt, medici vero ordinarii vel alterius prudentioris de his libera non expectatur vel poſtulatur ſententia. Anceps E. res manet conſultatio in theſi, proficua quamvis viſa in hypotheſi.

Anceps res conſultatio in theſi.

CAPUT VI.

DE

Sciſcitationibus Medicorum in genere.

HActenus de peritia & moribus, quibus inſtructum eſſe decet, qui ægrotantium medelam in ſe ſuſcipit: quorum prior Medicum format, ſeu ad medendum idoneum reddit; poſteriores fiduciam & ægri & adſtantium eidem conciliant. Progredior nunc ad illa Officii Medici momenta, quibus peritiam, ſtudiis & rerum uſu comparatam, hic comprobet; ſeu quorum gratia potiſſimum ad infirmos accerſitur, & ab his conſulitur, i. e. ipſam medendi rationem, ac per cujus congruam & exactam adminiſtrationem Medici genuini exiſtimationem ipſo facto tuetur.

Qualis in medendo requiratur medicus.

Sc. medicinam facere qui cupit, quo ſcopum, ægro ac ſibi deſideratum,

deratum, qui eſt, morbos tolli ac ſanitatem reſtitui, conſequatur, illum accedens triplicem gerere debet perſonam, ſciſcitantis, judicantis ac agentis, ſeu, quod perinde, dignoſcat, prænoſcat & medeatur. **Triplex.**

Non paucos equidem obſervare contingit Commentatores medicos, qui, Medicinam Syſtematicam in caput ſpeculativum & practicum diſpeſcentes, doctrinam ſemioticam, hinc affectuum præternaturalium diagnoſin & prognoſin, partibus theoreticis accenſent: quas nihilominus mere practicas evincet, quod, quemadmodum juxta *Galenum 1. acut. 3* ad conſultandum tria in medico poſtulantur, dignotio, prænotio & curatio, hæc quidem, tanquam finis primarius, illæ propter hunc, ut miniſtræ; ſic eadem artis medendi in genere requiſita ſeu officia erunt, ita tamen, ut pariter ultimum horum per ſe ac primario, cætera propter hoc, expetantur. **Diagnoſis & prognoſis ſunt partes medicinæ practicæ.**

Rectæ quippe curationis fundamentum videtur curandi affectus cognitio, dum *Hippocrates de arte t. 20. Medicum, ſiquidem ſufferit ad cognoſcendum, ad ſanandum etiam ſufficere*, tradit, & mutatis paulo verbis, *de flatib. t. 2. ſi quis cauſas corporis affecti probe cognovit, potentem valde ait, ea adferre, quæ corpori commodant.* Cui adſtipulantur *Trallianus 9. c. 1. interrogationem rectæ curationis fundamentum* pronuncians; *& J. C. Claudinus 1. de ingreſſ. ad infirm. cap. 1. ac. 2.* his verbis: *Quoniam nec is, qui ſolus curat, nec qui cum aliis de curando ægro conſultat, bene unquam ſuo munere fungi poterit, niſi ab ægro & aſſidentibus recte inſtructus; recte autem inſtrui nequeat, niſi recte eosdem interroget, adeoque ægrorum interrogatio quaſi carcer ſit ac initium, a quo methodus hæc proficiſcatur; quippe per quam principia ipſa, quibus innititur Medicus, patefiunt & perſpicua redduntur.* **Neceſſitas dignotionis.**

Neque dignotio morborum horumque cauſarum & circumſtantiarum ſola eſt, cujus gratia curatiorem ſciſcitationem Medicus adornare tenetur, ſed aliorum præterea, circa ægrotantes obvenientium, qualia *Hippocr. de affect. t. 36. & de victu acut. t. 47* innuit, v. g. an venter ſecedat? quo victu utatur? quomodo præcordia, quomodo ægri caput, ſe habeant? aliaque inſuper, qualia contextus ſuggerit. Quorum ſane exploratio negotium mere practicum eſt. **Præter morbum & cauſam plura inveſtiganda.**

Sciſcitationis ſedulæ fructus.

Inpræſentiarum ejuſmodi ſciſcitationem ſedulam ſaltim cuivis medico commendatam, huncque in explorandis & penſitandis omnibus, & morbi, & ſubjecti morboſi, & cæteris circumſtantiis vere cautum volo, non tantum, quod diligentior & provida ſingulorum penes ægrum ſcrutatio de alacriore ejus juvandi ſtudio teſtetur, proin hujus ſpem ac fiduciam erigat, perinde ac negligentior inveſtigatio eandem deſtruit, &, quaſi ſuperfunctorie ſaltim agat ille, ægrique ſalus ipſi minus cordi ſit, hunc & adſtantes ſuſpicari faciat; ſed inprimis, quo omnibus circumſtantiis rite perſpectis prognoſis ac therapeja promptior eveniat.

Inſtituatur prudenter

Quinimo præter ſedulitatem in ſciſcitante ſingularis exigitur prudentia, non tantum pro occultis commodius manifeſtandis, ſed in formandis etiam hinc concluſionibus, ſeu eliciendis ex manifeſtatis latentibus adhuc. Prioris præcepta ſpecialiora tam hoc, quam proximum, exponet caput, v. g. pro morbis ſimulatis ac diſſimulatis explorandis, urinæ fallaciis dignoſcendis, erroribus circa res non naturales inveſtigandis, ſociis clancularii detegendis &c.

ac pudice.

In quo negotio decori quoque & pudicitiæ, quantum licet, habeatur ratio, v. g. in menſtruorum fluxu aut defectu inquirendo, penes juvenculas & puellas inprimis, quæ de muliebribus ejuſmodi audire ac colloqui, præ verecundia, frequentius detrectant: Has proin de iis, aut ſeorſim, ac remotis arbitris, quærat medicus, aut interprete demum aliqua ex adſtantibus ſeniore, matre &c. earum morbos indaget. Alterius vero ſeu applicantis prudentiæ præcepta erunt, v.g. dum in fœmella vultus pallidioris ac ex flavo virideſcentis, palpitatione cordis & dyſpnœa laborante, menſium ſuppreſſionē colligimus, ex concubitu nefario luem veneream, ex dolore inter mejendum & compreſſione mentulæ dolorifica gonorrhæam virulentam, contradicentibus & pernegantibus hæc ægris, inferimus, & ex mutatione vultus atque pulſus in fœmina Romana, animi anxioſi, quoties Pyladis cujusdam mentio fiebat, hanc amore ejus captam ſagaciſſime & ſecundum artem augurabatur *Galenus*.

Multa ſciſcitare opus eſt.

Secundum monitum *Valleſii*, *2. epid. p. 122.* Medicus interrogare debet multa, i. e. ſingula exacte ſcrutetur, modo infirmitas ac moroſitas ægri hoc permittat: quorum poſterior interdum tam craſſa & ruſtica offenditur, ut per eam hic Medici interrogata nec attendat,

nec

nec reſponſo dignetur; quemadmodum alios adeo ſtupidos deprehendere licet, qui ſibi perſuadeant, Medicum vel ſolo ſui, vel urinæ, obtutu cognoſcere poſſe, quæ & ex qua cauſa patiantur: Jch weiß ſelbſt nicht / was mir iſt/ er ſieht wohl / daß ich kranck bin/ er wirds wohl ausm Urin ſehen ꝛc. Quales tamen homines quam pejus ſibi conſulunt, & Medici inveſtigationi, etiam ſagaciſſimæ, remoram difficilem ponunt; cum ipſemet infirmus, juxta eundem *Valleſium*, effari teneatur, quæcunque per experientiam corporis proprii obſervavit, v. g. an doleat, quæ pars doleat, quibus ſoleat juvari, quibus lædi, quibus affectionibus & ſymptomatis facile ſit obnoxius, uno verbo, quæcunque circa ſe ipſummet obſervatione cognoverit. Hinc &, cum per ſeriam demum informationem Medico ægritudinis formalitas, ætiologia &c. innoteſcant, mirum haud erit, cur infantibus ac pueris, a quibus nihil illius expectare poſſumus, difficilius longe præ adultis medeamur: ad obſervandum & recenſendum ſe minus idoneis. Quibus illos pariter accenſeo, qui vel verecundia, vel, neſcio, qua timiditate, perculſi vitia ſui corporis occultare malunt. *Plerique*, inquit, *Celſus*, *propria culpa pereunt*, *præſertim mulieres*, *dum pudore perfuſæ ſecretiores corporis affectiones revelare non audent: cum tamen neceſſe foret, ut liberius de his conquererentur.* *Ut enim*, annotante *Ranchino de conſult. rat. c. 4. in confeſſione peccatorum occultatio vitiorum animæ mors eſt*, *ſic in corporearum affectionum relatione ſuppreſſio malorum vitæ & ſalutis ruina.* Adeo, ut in proverbium & ludibrium abierint præ cæteris lue venerea contaminati, ſc. nullum eorum non ſanari, niſi pauperes, hoc eſt, ſumptibus neceſſariis impendendis impares, una cum ſtolidis, qui malum ſuum ignorari, quam fateri, malunt.

Modo moroſitas ægri hoc permittat.

Cur puerorum medela difficilis?

Occultare ſeu non exponere morbum, periculoſum.

Et ſunt non pauci, qui, diſſerente *Botallo de medici & ægri munere* §. *60 obliquam a Medicis opem poſtulant*, *ſimulantes*, *ſe capitis dolore premi*, *vel æſtu nocturno*, *vel quopiam alio ſimili*, *cum nullum horum adſit*, *ſed pudendi ulcera*, *quæ fateri ſtulte non audent*, *cupientes duntaxat a medico purgationem elicere*, *vel ſimul ſanguinem mitti*, *freti hoc ſolo præſidio univerſali*, *citra partis affectæ curam particularem*, *ſe ſalutem conſecuturos*: *quorum nihilominus plerique*, *tranſacto uno vel altero menſe*, *imo die*, *non ſe medicos fefelliſſe*, *ſed ſemetipſos prodidiſſe*,

 intelli-

intelligunt. Sunt etiam, pergit, *qui aliqua clandeſtina libidine flagrant, nonnullos urit operta ira, vexat alios timor ſecretus, alios tacita cura exercet: quæ omnia morborum ſunt fomites ac cauſæ, plerumque a medici captu abditæ, niſi referantur;* qui aliunde interim percunctabitur cauſam, in vanum quidem, non intelligens veram. Illos tamen eousque admonitos cum *Botallo* cupio, ut, ſi medico cauſas hujus generis, aut earum occaſiones & objecta, forſan aperire ac diſſerere nolint, ſaltem animi dolorem non diſſimulent: *nam a multis forſan abſtinebit, vel alia præferet, Medicus, cum animum triſtem ſupra modum intellexerit, quod non efficiet, ſi tantum adverſus præſentem & ſibi manifeſtum affectum pugna eſſet ineunda.* Refert occultati affectus animi exemplum ſingulare idem *Botallus*, ſc. ſe tractaſſe aliquando infirmum, de dolore thoracis & febre queribundum, febre quamvis nulla comparente ac dolore ex ejus relatione tantum ſuppoſito: querulus hic aſſidue erat, ſuſpirioſus ac vigil, & omnibus irritis remediis manebat in hac anxietate per quatriduum. Quo elapſo criſin morbi taciti ac diſſimulati irrupiſſe, quæ hominem mox liberavit, denunciante ſc. ſervo appellente litis cujusdam forenſis victoriam, quam ille hactenus animo ancipiti & tremebundo expectarat, hincque medicum compellaſſe, ea mei morbi ſalus, dum anceps hæc expectatio huc atque illuc animum impulit meum. Multi melancholiam hypochondriacam fingunt, quadam cauſarum evidentium & nulli pharmaco cedentium animum eorum conturbante, v. g. penuria argenti, Creditorum involatu, mala muliere, marito luxum interpellante &c. eousque etiam ſtoliditatis abrepti, ut medicum ſuæ fabulæ coactorem poſtulent, & ut morbum fictum ſimul cum occulto curet, adigunt.

Animi dolor ne diſſimuletur.

Morbi ſimulati & affectus animi diſſimulati exemplum.

Et hujus generis exempla plura vel ex eodem Scriptore, vel ex quotidiana obſervatione, depromere liceret, niſi prolixitatem tædioſam metuerem, neque plus, quam frequentius, talia cuilibet Medico obvenire, noſſem. Potius illud addam, cum de morbi cauſa hic ſollicitus eſt, infirmum animum attendere debere, ut non tantum præſentium, ſed præteritorum quoque, meminerit & utraque illi declaret, v. g. num ſub aëre, a præſenti alieno diverſoque, & quali modo fuerit educatus? num compotationibus & crapulis olim deditus? an Veneri

Æger ſciſcitationi medici ſit attentus.

Veneri plus juſto litarit? *Recenſenda ſunt*, inquit *Botallus* idem, *juventutis vel anteacti temporis errata, ſive ex induſtria fuerint præſtita &c. Inter errata etiam intelligi volo antegreſſas ægritudines: ex iis enim omnibus, vel plurimis, occultus morbus ſæpe detegitur.* Pro rato ſiquidem habendum, facilius poſſe multos ægros morigeros unius medici conſilio ſanitatem conſequi; quam poſſint medici multi & optimi unum duntaxat moroſum & cauſam morbi occultantem ſanare.

Prius ſciſcitandum erit ab adſtantibus.

Neque tamen ineptum erit conſilium *J. M. Savanerolæ prax. tr. 1. cap. 8.* quo Medicum, antequam decumbentis cameram ſubintret, vel eundem compellat, ab adſtantibus primum ejus complexionem, ætatem, habitudinem ac conſuetudinem, repletionem ſimiliaque explorare jubet: non tantum ut hæc, ac ſi eorum vaticinator eſſet, ornate ac prudenter eidem narret; ſed quoque, ne ex primo ſui acceſſu hic plus juſto commoveatur, & quoad ſingula Medico reſpondens, ſeu prolixiore cum hoc colloquio, nimis defatigetur: adeo quidem, ut, ſi valde debilis exiſtat, omnis hæc ſciſcitatio cum ſolis adſtantibus, coram eo tamen, aliquando veniat inſtituenda; & informatio plus minus perfecta hinc expectanda. Quamvis nec ægrorum relationi fides undique adhibenda ſit, juxta *Hippocr. de arte t. 19*, ſi obſcuro morbo laborent, & hunc medico conentur exponere, opinione vero potius, quam ſcientia, narrent: nam, ſi ſciviſſent, in ipſos medicos eos non incidiſſe, cum ejusdem ſcientiæ ſit, morborum cauſas noſſe, & morbos medicamentis, quæ augeſcere morbum prohibent, curare poſſe. Frequentius conqueruntur de phthiſi, cruditatibus ventriculi laborantes, nephritidem accuſant mere ſcorbutici, lienoſos ſe putant ſpasmodicis ſymptomatis expoſiti: quales non audiendi, aut relationes eorum medici perſpicacitate corrigendæ. Ut taceam, qui præmeditato fallunt, & ſcientes volentes falſa narrant, diætæ errores occultando ac negando, morbosque ſimulando.

Ægrorum relationi non ſemper fidendum.

A qualibus adſtantibus ſciſcitandum?

Cujus negotii commodius expediundi cauſa aſſiſtentium eligantur illi, qui circa ægrotantium medelas ſæpius fuerint verſati, cum ipſis noctu diuque commorentur &, quoad fieri poteſt, morbi motus, ſymptomata, diætam & quævis circa illos obvenientia obſervare & Medico accedenti enarrare norint. Quemadmodum pari-

Senſuum acie polleat medicus.

ter in hoc acumen ſenſuum omnium exquiſitiſſimum poſtulatur: oculorum v. g. acies, ad ægroti vultum ac habitum primo ſtatim occurſu dijudicandum, ad urinam exactius contemplandam, & per quam affectus dignoſcat, in penitioribus corporis partibus, auribus v. g. palato, naribus &c. latentes, ac ad quas hebetior oculus pervenire nequit: auditus promptior, quo ægroti & aſſidentium querelas ac relationes ſtudioſius percipiat: tactus exquiſitior, quo qualitatum primarum in habitu gradus diverſos, ac receſſus, tumorum genia ac pulſuum differentias exquiſite magis exploret. Inprimis vero, ut cæteros mittam, ſenſuum internorum adæquata vel hunc in finem requiritur ſagacitas, quo non tam ſcrutamina ejuſmodi moderetur ſeu dirigat prudentius; ſed quæ hinc detegendis atque eliciendis obſtruſioribus par exiſtat.

Aſſideat aliquandiu ægris.

Et cum ex infirmi ipſiusmet vultu, habitu, decubitu ſimilibusque in oculos incurrentibus multum quoque notitiæ in Medicum de illius ſtatu perveniat, aſſidere hunc, non a capite ſeu tergo illius, ſed adverſus eundem, oportet, non tam, quaſi, juxta *Savanerolam* l. a. ad mentem *Ariſtotelis 7. phyſic. c.3* cogitatio in quiete & ſtudio ponatur, ſeu quietando anima inveſtigantis ſapiens ac prudens reddatur; Sed quo, ut dictum, obtutu & mora aliquali demum apprehendat, quod fugitivis quæſtionibus ediſcere non poterat. Atque hoc omne agat facie liberiore, ac exporrectiore fronte, quaſi vaticinari ſeu annunciare ægrotanti velit ſalutem, quam deſiderat: Spectatis vero & auditis cunctis hujus atque adſtantium querelis ſimilibusque, imo iisdem adhuc enarrantibus, colligat eadem Medicus, ex his nimirum, tanquam totidem datis, eliciendo, quæ ſcire atque agere opus habet.

Morbum ægro non ſemper indicet.

Ratione morbi ſaltim notetur, eum ægro haud ſemper & protinus ſignificari debere, ſi nempe illum ancipitem valde, hunc timidiorem, novimus; ne hic deſperabundus mox omnem animum abjiciat. Aliter vero agendum eſt cum moroſiore & minus obſequioſo, cui morbi gravioris rationem exponere, eumque ſic ad obſequium in obſervanda diæta ac admittendis remediis, ſtrictius diſponere, e re erit.

Sed adſtantibus prudentioribus.

Neque tamen impedit, quominus Perſonis prudentioribus, quæ de formalitate & ætiologia morbi ſciſcitando cognovit, exponat medicus, ut per hanc magis, quam per ſe ipſum, eaſdem cognoſcat, adeoque

adeoque in admirationem & fidem ejus abripiatur: ſicut pariter vel ideo morbum ancipitem non ſemper ſilere decet, ne, dum magis ingraveſcit & deploratus omnimode evadit, medicus illum ejusque cauſam ignoraſſe, aut neglexiſſe videatur.

Non raro equidem affectus primarius & hujus cauſa adeo profunde latent, ut non ſemper mox primo, nec altero &c. acceſſu dignoſci valeant, non ferientur interim illa ægrum afficere: hinc non fruſtra dubium formatur, an ignoto morbo, vel ignota cauſa, affectui aliquod opponendum præſidium, vel cum ratione opponi queat? affectui nempe, cujus indicans & indicatum nos fugit. Quod, juxta *Galenum 1. de alim. facult. 1. morborum cognitio remediorum ſit materia, & 5. de ſanit. tuenda, nullo negotio inveniat remedia, qui cognoverit affectum:* ac ſecundum *Avicennam, cum ignoras, quid ſit ægritudo, relinque eam naturæ, & non properes; quoniam aut natura ſuperabit ægritudinem, aut ipſam manifeſtabit:* ne repetam quod ex *Tralliano* ſuperius producebatur, internotionem ægritudinis rectæ curationis fundamentum eſſe. Et præeunte quidem *Hippocrate de victu acut. t. 46.* ubi inconſtantes febres ſinere, donec conſtiterint, ac cum conſtiterint, demum & victu & curatione iis occurrere, jubet: adſtipulante vero *Botallo*, ſatius videatur, rem incognitam naturæ beneficio, quæ & ipſa in medicorum optimorum numerum recipitur, relinquere, quam manum incertam periculoque plenam addere; ac tandem *Sydenham de morb. acut. ſect. 5. c. 6* his verbis: *Neque pudet fateri, me non ſemel in curandis febribus, ubi nondum conſtabat, quid mihi agendum eſſet, nihil prorſus agendo & mihi & ægro conſuluiſſe optime. Dum enim morbo invigilarem, quo eum opportunius confodere valerem, febris vel ſponte ſenſim evanuit, vel in eum ſe typum recepit, ut jam mihi innoteſceret, quibus armis eſſet debellanda.* Sed quod dolendum omnino eſt, ægrorum quam plurimi, *haud ſatis gnari quod perinde ſit Medici periti quandoque nihil agere, atque alio tempore efficaciſſima adhibere remedia, probitatis atque fidei fructum hunc capere nolunt, ſed vel negligentiæ vel ignorantiæ id imputant; cum Empiricorum inſulſiſſimus quilibet medicamenta medicamentis adjicere æque novit, ac ſolet magis quam Medicorum prudentiſſimus.*

An ignoto morbo primario medela adhibenda? Dubitat.

Auſcultandum tamen potius erit *Valleſio 4. acut. p. 212. cum Zacuto*

Non tamen ſine omni remedio linquatur æger. Forſan ut plenius conſtet de affectu.

cuto Luſit. introit. ad prax. præcept. 65. ac 66. & de Med. Princ. hiſt. 91. in hoc conſpirante, etiam aliquid in ejuſmodi difficultate agendum, & ſatius eſſe, tunc anceps aliquod præſcribere remedium, quam nullum: vel ut medicus prudenter ſuam celet ac temperet ignorantiam, nec æger de ſalute ſua mox deſperet: vel quo a juvantibus forſan ac nocentibus occaſio ad minimum affectum latentem pernoſcendi nobis obtingat, juxta *Galeni 11. de loc. affect. cap. 4. & 10. de compoſ. medic. ſecund. loca c. 2. Zacuti Luſit. l. a. præcept. 66. Sylvii meth. med. 3.* aliorumque magnæ autoritatis practicorum effata. Ita ut, ſi remedia applicata proſint, cognoſcatur ſimul & ſanetur idem; ſin minus, non hunc, quem conjecturabamur, ſubeſſe morbum, conſtet, adeoque & hac ratione in veri affectus cognitionem perveniamus: modo non genus, ſed ſpecies tantum, morbi ignoretur. Dum v. g. colicam flatulentam ex uſu carminantium ſalutari dignoſcimus, nephriticam ex fruſtanea & nociva eorundem, diureticorum autem efficaci, applicatione auguramur: quemadmodum febrem ex horrore, calore, dolore capitis &c. addiſcimus, ſpecies ejus quamvis adhuc lateat; in quo caſu nihilominus diætam tenuem ſuadere, abſorbentia cum diaphoreticis propinare, conſultum eſt.

Ipſe Hippocrates tentativa utebatur medela.

Accedit ipſum *Hippocratem* medela ejuſmodi tentativa ſæpius uſum, ſeu tentandi cauſa diverſa molitum fuiſſe, v. g. *de victu acut.* t. n. dum lateris doloris diſcuſſionem reſolventibus ſeu calefactoriis tentare ſuadet: *6. epid. 7.* in conſtitutione epidemica tuſſiculoſa ſub certis circumſtantiis & ſymptomatis adhibitorum nullum manifeſte profuiſſe, perhibet, non ventris perturbationem, non venæſectionem, neque quæcunque alia tentaverit: ac de *loc. in hom. t. 20.* auribus dolentibus, ex cauſa latente, medicamentum primo calefaciens, ac, ſi per hoc dolor non ſedetur, frigefaciens atque actu frigidum, infundere: ac paulo poſt, ſemper non ſanantem variare modum, ac, ſiquidem pejus reddiderit malum, ad contrarium convertere; ſin vero ad ſanitatem tendat, omnino nihil ab his, quæ adhibentur, auferre, nec quicquam addere aut opponere, jubet. Quemadmodum demum *de arte* poſtquam *t. 16. 17. &c.* non omnes morbos æque manifeſtos, ſed horum quoſdam in obſcuro valde poſitos, dixerat, *t. 19* pergit: *quæcunque vero ob id, quod non ſtatim dignoſcantur, ægri mala perpe-*

perpetiuntur, ea non ad Medicos, curantes ipſos, tanquam ipſorum autores, referenda ſunt, ſed ad naturam ipſius ægri itidemque ipſius morbi &c. Sicut *Galenum* quoque malis non accuratius, ſeu ſecundum infimam ſpeciem, cognitis curam tentativam commendare, *2. acut. 11. & 6. aph. 31* conſtat: quod in ſpecie declarat *12. meth. med. 7.* exemplo cujusdam quadragenarii, dolore colico maxime infeſtati, in quo calidis prius adhibitis auxiliis, an a frigido, an calido, humore excitetur ſymptoma hoc, disquirere ac cognoſcere tentabat. Et ex modernis *Sydenham* l. a. febris novæ epidemicæ ſpeciem indagare arduum quid pronunciat; indicationem nihilominus, a juvantibus ac nocentibus ſumendam, nobis relinquit, cujus ope viam paulatim prætentantes ægrum in tuto poſſimus collocare. Sicut Galenus pariter.

Fiat nihilominus hæc, morbo minus perſpecto, tentativa medela ſecundum ſanam rationem & ſub directorio cautionum certarum, quales penes *Valleſium*, *Zacutum l. a. Seidelium de morb. incurab. ac Bernier Eſſays de la medicine* legere datur, ſuntque harum potiores. Cauta tamen ſit hæc tentativa cura. *Primo*, ut ratio habeatur morbi dubii, qui, ſi levior, ac inducias ferat, qualem ex ſymptomatum levitate ac paucitate auguramur, Medicum feriari jubet, aut præter diætæ moderamen congruum & leviora auxilia vix aliquid poſtulat, v. g. injectionem enematis, propinationem abſorbentis &c. ſub quali moderamine vel morbus compeſcitur, vel manifeſtior evadit. Fiatque primo per remedia leviora, Quorum neutrum ſi fiat, remediis paulo potentioribus erit explorandus, v. g. acrimonia acida per martialia, humorum viſciditas per acria & amara; imo hæc aliquando permutando cum acidis ſimilibusque prioribus contrariæ texturæ: donec ex horum, tanquam juvantium aut nocentium, effectu diſpoſitio præternaturalis, hactenus abſcondita, innoteſcat. hinc potentiora. Sin vero gravior & acutus magis affectus exiſtat, qualem ſymptomatum vehementia ac impetus innuit, nunquam ab omni remediorum uſu abſtinendum, etſi hæc incerta & non unius generis fuerint: cum ille medelam plus urgeat & periculis magis appropinquantibus atque accreſcentibus hanc tardare abſurdum ſit. In tali ſiquidem ne dies quidem ſine generoſo plus minus auxilio prætermittendus, v. g. mox ſanguis mittatur, alvus ſubducatur &c. utpote in progreſſu multum a principio ſui diſſidente, ſubitisque non raro mutatio-

nibus expoſito, hinc non ſine notabili periculo citra curationem dimiſſo.

It. pluribus affectibus communia.

Secundo, in affectu ambiguo præſidia adhibeantur pluribus analogis affectibus communia, v. g. ſi anceps hæreas, num dolor abdominis ſit colicus, num nephriticus, item an nephritis vera, an notha, ſeu ſcorbutica? nihil prohibet injicere clyſma leniens ſeu anodynum, fovere abdomen paregoricis, vel talia etiam cum opiatis propinare. Ita enim egiſſe percepimus *Galenum* in ſe ipſo *2. acut 5.* qui dolorem vehementiſſimum per tractum ureterum ad veſicam, ſeu per regionem lubarem, quaſi a terebra perforante, ſentiens, quem a calculo ureteri impactum cenſebat, oleum rutaceum ſibi injici curabat, a quo per alvum excernebat pituitam vitream dolore ceſſante: unde ipſi conſtitit, non calculum, ut opinabatur, cruciatuum illorum fuiſſe cauſam, nec partem affectam renes aut ureteres, ſed humorem ejuſmodi, inteſtino inhærentem. Quod minime tamen ipſi vitio verti poterat, cum colicus & nephriticus dolor magnam inter ſe habeant affinitatem, & ſimilitudines ejuſmodi non modo imperitiores, ſed peritiſſimos quoque, interdum conturbent, hincque errandi occaſionem ſubminiſtrent. Pariter ſi dyſpnœa aliquem ex improviſo ad ſtrangulationem usque corripiat, venæſectioni mox concedendus eſt locus, quamvis ejus cauſa adhuc ſit ignota: i. e. ſive ſpaſmodica circa organa pnevmonica ſpirituum animalium conturbatio, ſive ſanguinis in his ſtagnatio, ſive pleuritis, ſive vomica pulmonum &c. eam patret.

Aut ſymptomatis tantum proſpicientia.

Imo *tertio*, dum vel ex commentariis magnæ autoritatis Scriptorum, antiquorum non minus, ac modernorum v. g. *Mercati, Mœbii, Sylvii &c.* vel ex quotidiana medendi conſuetudine, conſtat, ſymptomatum vim in indicandis & poſtulandis remediis non infimam eſſe, qualia ſc. non raro adeo impenſe urgent ægrosque conficiunt, ut, niſi iis quantocyus ſuccurratur, poſthabita etiam morbi primarii hujusque cauſarum medicatione, pereat infirmus: ſi lateat ille & ſymptomatis urgentis cauſa, ſoli huic mitigando & compeſcendo incumbere aliquando debet, ac non ſine ſucceſſu valet, Medicus, v. g. dolori, tuſſi, hæmorrhagiæ, aſthmati &c. ut inferius prolixius declarabo.

Quarto

Quarto tamen, cum ſecundum decretum *Hippocr. 6. epid. 2* temerarie nihil aſſerendum vel agendum, vel remedia juxta conjectatam tantum de morbo opinionem, aut meram nullaque omnino ratione ſuffultam conjecturam, inconſideratius non applicanda ſint: in caſu dubio & cauſa morbifica abſtruſiore illorum adhibeantur, quæ minus periculoſa, ſeu tutiora. Qualia vocare licet non tantum leviora, ſed generoſiora & potentiora quoque, modo ſymptomatis & viribus adæquata: i. e. quibus, ſecundum ſuaſum ejusdem *Hippocratis, ſi non proſis, ſaltem ne noceas;* ne, ſi forſan Medicum in opinione de morbo hactenus habita decipi contingat, hic a remedio non ingraveſcat. Sic v. g. ingruente febre vehementi ſatis, de cujus indole nondum conſtat, tutius ſanguis mittitur, quam catharſis celebratur: dum huic forſan malignitas præjudicat, illud ſub principio permittens.

Semper tutiora quamvis generoſiora.

Prout *quinto* demum, dum ex conjectura ſaltem applicamus auxilia, & quamdiu tentativæ medicationi inſiſtimus, circumſpectius agendum & cavendum eſt, ne æger aut adſtantes Medici mentem dubiam ac intentionem hæſitantem intelligant: i. e. ne, quaſi ex incerta conjectura tentet præſidia, culpetur ab his illa, ſeu quaſi hæc experiri velit cum alienæ ſalutis ac vitæ diſcrimine; qualia experimenta *Hippocr. 11. aph. 11 periculoſa valde* pronunciat. Quamvis haud raro eveniat, moriones quosdam garrulos effatis ſuis imprudentioribus: *tentandum*, **wir wollen dieſes oder jenes verſuchen /** ſe ſatis turpiter dare, ſeſeque, quod, diſſerente *Plinio*, *Experimenta per mortes aliorum faciant*, ineptiſſime prodere: Cujus etiam generis ſunt illi ſocii, qui certa venditant arcana, quibus morbum vel ad ſalutem, vel ad mortem **es muß ſich entweder zum Leben / oder zum Tode hierauff ändern /** certo determinaturum ſeu finiturum fore gloriabunde, aſt non ſine horrore ægri atque adſtantium, promittunt: admirantur nihilominus hos ſimpliciores, quaſi vitæ & mortis arbitros, ridendos potius & ex ædibus ægrorum ejiciendos, utpote ad trucidandum ac ſalvandum ambiguos.

Nunquam ſine prudentia.

CAPUT VII.

De

Sciſcitandis in ſpecie.

Siſcitandorum ex ægro numerus.

QUæ ſcrutari ſeu ſciſcitare debeat ex infirmo medicus, quinario numero complectitur *Hippocrates de affect. 36* his verbis: *Cum ad ægrum deveneris, interrogare oportet, quæ patiatur, ex qua cauſa, & quot jam diebus? an venter ſecedat? & quo victu utatur?* qualem quinquemembrem quæſtionem negotio huic adeo adæquatam *J. C. Claudinus de ingr. ad infirm. 1. cap. 1* ait, ut ideo tot, & non plures, nec pauciores, articulos interrogatorios primum hunc artis Antiſtitem formaſſe, aſſerat. Quamvis rem ſublimius penſitantibus facile conſtare queat, numerum earum, pro caſuum obvenientium infinita varietate, variare, ejusque limites modo tranſcendere, modo contrahere, modo immutare, jubeat praxis: quatenus ipſum *Hippocratem de victu acut.* poſtquam *t. 46* Medico animadvertendum ſeu eousque ſciſcitandum eſſe admonuerat, ne cauſa aliqua manifeſta eum lateat, *t. 47* adjicere inſuper cæteris obſervamus, ut poſt hæc interroget, quomodo ægri caput ſe habeat? quomodo præcordia & latera? an deliquiis animi exponatur? an bona ſpiritus tolerantia eum habeat? inſpiciendos & dijudicandos eſſe alvi egeſtiones, qua ratione febris exacerbetur? imo alia inſuper disquirere jubere. Hincque etiam factum videtur, ut *Epiph. Ferdinand. hiſt. 55. & 61* quæſtionum harum decem, ex *Hippocratis locis binis citatis, ac Galeni 4. de ſanit. tuend. 4. & de rat. vict. in acut. t. 57.* conſtituerit, ſibique in viſitatione infirmorum ſolennes tenuerit: quarum tamen nonnullæ dum diverſi generis complectuntur momenta, v. g. prima, *quæ mala patiatur, & quomodo caput, hypochondria & cæteræ partes principes ſe habeant?* quædam ſuperfluæ comparent, v. g. quinta, *an venter ſecedat, nec ne?* utpote quam nona generalior involvit; imo quædam ægrotantis notitiam & intellectum ſuperant, v. g. tertia, *quæ cauſa præceſſerit?* & ſexta, *an morbus ſit a pituita, vel bile?* &c. nec huic præcepto quempiam adſtrictum cupio, quin aliter & aptius rem diſponi poſſe, credam. Modo probe teneatur

Incertus eſt.

neatur circa interroganda & exploranda monitum *Valleſii 6. epid.3.* nimirum, *ut nihil omittas eorum, quæ ad cognitionem morbi & cauſæ* (addo ac horum medelam) *conferre poſſunt, neque tamen nimii ſimus, quodvis ubique citra delectum interrogandi; ſed ita, ut ægrotus ipſe & qui adſunt intelligant, te non longe abeſſe a notitia eorum, quorum ſuſcipis curationem: hinc fiet, ut bonam de te concipiat opinionem, & æger melius pareat & agat confidentius.* Prudenter interrogandum.

Ad claſſes certas indaganda ſeu diſquirenda hæc redigere, res non exiguæ difficultatis videtur, nec determinare facile licebit ordinem, in ſcrutinio hoc obſervandum; niſi dicere malimus, ante omnia patienter medico audiendas eſſe languentis querelas & aſſiſtentium relationem, easque ſive ſpontaneas, ſive generali quæſtione: *Quæ patiatur ille?* elicitas: & hinc ſpecialius in ſingula inquirat, ſub quacunque demum connexione, quam vel circumſtantiæ, vel ſciſcitantis arbitrium ac prudentia, ſuppeditabunt. Nec interpellantes illi increpandi, ſed placide ſemper attendendi, imo in narrationibus ſuis juvandi, ſunt: donec ſcrutando & auſcultando ſufficienter fuerit informatus medendi cauſa qui acceſſit. Specialiora illa inveſtiganda ſunt vel primaria, ſeu quorum explorandorum gratia in cætera diſquiritur: vel ſecundaria, quorum evolutio ſeu manifeſtatio in illorum exactiorem cognitionem nos deducunt. Ut primaria, inquiri debet in morbum, ejus cauſam & tempus: quali diſquiſitioni inſerviunt ante omnia in ægro conſideranda phœnomena naturalia, non-naturalia ac præternaturalia, plus minus evidentiora aut latentia. Sciſcitanda ſunt vel generaliora, vel ſpecialia.

Notitiam morbi ad ejus medelam neceſſariam eſſe, ex anteceſdaneis hinc inde liquet, minime vero aſſentiri poſſum *J. C. Claudino l. a.* aſſerenti, *Hippocratem* ſub paſſionis, ab ægris ſciſcitandæ, nomine præter ſymptomata morbum ipſum primarium hujusque ideam ſeu ſpeciem & cauſam intellectum velle: quatenus nullus eorum ad quæſtionem, *quæ patiatur?* morbi ipſius formalitatem & cauſam determinando, ſed ſymptomata tantum ſenſibilia ſibique moleſta, innuendo, reſpondet; niſi forſan ille externus ejusque cauſa evidens fuerit, v. g. vulnus enſe illatum; cum morbi interni cum ſuis cauſis ægrum maxime fugiant, & ex ſymptomatis aliisque demum ſignis, Sc. morbus, quem frequentius neſcit æger,

ſagaci augurio atque indagine dignoſcantur; ut taceam cauſæ disquirendæ gratia alterum problema ab *Hippocrate* formari. Neque omnium morborum externorum, v. g. fracturæ, luxationis, inflammationis, œdematis, ſcirrhi &c. formalitatem dijudicat infirmus, ſed monſtrando ſaltem partem affectam medico eam dijudicandam concedit: per conſequens nec ſuper hos ſemper quæſtioni, quæ patiatur, ſatisfacere valet. Ut ideo concludere mihi fas videatur, interrogando, quæ ſuſtineat æger, medicum non, niſi ſymptomata, v. g. cephalalgiam, vertiginem, vigilias, tuſſim, excretiones p. n. appetitum ventriculi proſtratum, menſium ſuppreſſionem &c. explorare poſſe: ex quorum demum accuratiore recenſione & collectione in affectus primarii naturam & cauſam penetrat.

Etiam aliquando externum.

Interrogatur æger tantum de ſymptomatis.

Quod ipſum invitus agnoſcere videtur idem *Claudinus* in contextu *ejusdem capitis* & argumenti, dum paulo inferius in hæc prorumpit verba: *Ubi medicus paulo diligentior in ægro & aſſidentibus interrogandis fuerit, procul dubio & ii & ille, etſi craſſæ admodum fuerint Minervæ, tales totque proprietates & notas paſſionum earum, quæ corpus ægri infeſtant, adducent proponentque, ut medicus mediocri ſaltem doctrina præditus, per eas diſcurrendo, ideam illarum ac quidditatem, aut ſtatim, aut ſaltem ex frequentatis viſitationibus, poſſit vel ſine negotio aſſequi &c.* Hoc eſt, conqueritur æger & reſpondet non de pleuritide, ſtagnatione ſanguinis, vomica pulmonum &c. ut morbis, ſed de tuſſi, dolore pectoris plus minus exquiſito, difficultate ſpirandi, tanquam ſymptomatis illis familiaribus, & ex quorum ſyndrome demum medicus morborum nominatorum quendam ſubesſe, infert. Quamvis nonnunquam caſus eveniant, ubi etiam ægrotus, morbi primarii interni, ex quacunque occaſione, conſcius, hunc vel ſponte, vel interrogatus, declarat ac indicat, v. g. ſe ulcere pulmonum, calculo renum, laborare, edoctus hoc vel per ſymptomatum olim jamdum infeſtantium, v. g. doloris lumborum, vomitus, dyſuriæ, experientiam, vel per excreta, v. g. ſputum purulentum, arenulas & calculos rejectos: ubi nihilominus ſymptomata filum illud Ariadnes manent, quo ſubintrare, permeare & exire datur Labyrinthum hunc.

Aliquando etiam novit morbum primarium.

* Quæ interim de ſymptomatis atque excretis hincque elicienda morbi

morbi primarii idea non ita intellectum cupio, quaſi non alii inſuper fontes proſtent, ex quibus hujus ſigna haurire concedatur: tales quippe obſervantur cauſæ, non tantum internæ, ſed externæ pariter, quæ prout plus minus evidentes exiſtunt, ita in morbi latentis notitiam facilius aut difficilius deducunt, v. g. aliquando natio, ætas, aëris conſtitutio, corporis diſpoſitio, vitæ genus, affectus duratio & forſan hujus generis plura; quæ quamvis ſigna pathognomonica dici haud valeant, non tamen omni ſignandi vi penitus deſtruuntur. Ita patria morbum regioni huic vel illi endemicum aut frequentem conjecturari jubet in hujus civibus, etiam extra ſolum natale commorantibus, v. g. in Anglo primarum viarum flatuoſitatem ac phthiſin, in Hiſpano & Gallo luem veneream, in Sarmata plicam, in loci maritimi & paludoſi incola ſcorbutum: ſicut ætas puerilis aphthas, dentitionem, variolas & morbillos, cruditates ventriculi, lumbricos &c. juvenilis tabem, ſenilis catarrhos & pulmonum infarctus, ſuſpicari facit. Quoad aëris habitudines diverſas, hincque temporum anni mutationes, differente *Hippocrate 3. aph. 19.* morbi omnes quidem omnibus temporibus fiunt, quidam tamen magis in quibusdam ipſorum & fiunt, & exacerbantur, vere v. g. gravedines, raucedines, anginæ, febres intermittentes tertianæ; æſtate continuæ & acutæ magis, alvi profluvia &c. autumno quartanæ, affectus hypochondriaci; hyeme vero tuſſes, pleuritides atque affectus comatoſi, eveniunt: quales nihilominus ægritudines omnes epidemicum cœlum frequentiores atrocioresve reddit, aut mutat, e. g. catarrhales febres, variolæ &c. modo benignæ, modo malignæ & lethales magis, obſervantur.

Dignoſcitur morbus ex cauſis internis & externis. *Sc. regione,* *tempore anni & aëris habitudine.*

Corporis diſpoſitio ſicut concernit vel conformationem vitioſam, ſive per naturam ſive per malum adventitium, introductam & in ſenſus incurrentem; vel latentem magis humorum ac ſpirituum craſin, aut ſolidarum quoq; partium individualem texturam intrinſecam, quam complexionem, temperamentum, idiocraſiam &c. communiter ajunt: ita a cunctis etiam his in morborum dignotionem deducimur, ut v. g. tabem metuamus & ominemur in gibboſis & ſcapulas velut alatas gerentibus, affectus ſoporoſos in illis, quibus calvaria depreſſa, memoriæ læſionem ex caſu ab alto & percuſſione capitis,

Ex corporis diſpoſitione.

tis graviore, cerebri conformationem naturalem conturbante. Phthiſin auguramur, ſi non præſagimus, in his, quorum ſanguinis compages plus juſto laxior ſeu ſoluta magis; ſymptomata ſoporoſa, leucophlegmatiam, quibus ſtrictior & viſcidior illius craſis: quemadmodum pariter phthiſin ſuſpicamur in iis, quorum pulmones texturæ adeo teneræ ſunt, ut a leviſſima occaſione tuſſim contrahant, ac auram nec gelidam, nec humidam, commode ferant. Usque adeo conducit, noſſe cujuscunque propriam naturam: & qui perſpectam eam habet, is demum, juxta *Tulp. 1. obſ. 23* vere medetur, penetravit quippe ad naturæ penetralia. Conjecturas has ſimilesque non parum confirmat diſpoſitio hæreditaria, v. g. ſi parentes infirmi arthriticos, nephriticos, novimus, hunc illis ſimilem nobis perſuademus: & pulmonum hæreditaria ſeu innata debilitas vulgo quoque notabilis eſt, ut, cum aliquem tuſſi frequenti infeſtari obſervet, mox ab hoc interroget, an parentes forſan ejus tabi obnoxii extiterint? & ex affirmativa jure hæreditario prolem his ſuccedere conjecturetur.

etiam hæreditaria.

Ex vitæ genere,

Quemadmodum vitæ genus ſeu inſtitutum quoque, quod ea complectitur, quæ homines quotidie agunt ac tractant, cum conſuetudine ex cauſarum evidentium illo numero eſt, quæ habitudinem corporis ſenſibiliter immutant, eam modo ad melius, modo ad pejus, determinando, huicque ſignificandæ ſeu declarandæ, ſub prudentiæ ſciſcitantis directorio, miniſtratur. Dum qui vitam ſedentariam colunt, affectibus hypochondriacis, hyſtericis, hecticæ frequentius exponuntur; qui mineralia verſant, v. g. eorum foſſores, aurifabri, paralyſes & contracturas artuum experiuntur; crapulis dediti cruditatibus, tremoribus membrorum affectibus ſoporoſis, arthritidi, hydropi, obnoxii evadunt; & qui circa aquas degunt, aut in iis operas ſuas agunt, lympham viſcidiorem, ſpirituum torporem in his metuere vel ſuſpicari datur. Qualia nihilominus, quia præter atmoſphæram per cæterarum rerum non-naturalium uſum diverſum diverſimode in corpora agunt, ſub harum quoque conſideratione medicus prudens valetudinem evolvit. Impræſentiarum adjicere conveniet, non parum etiam aliquando & ad morbi momentum aliquatenus determinandum facere ejusdem durationem: per quam febrem brevioris moræ acutam, longioris chronicam & v. g. hecticam,

it. ex morbi duratione.

hecticam, tuſſim aliquot tantum dierum catarrhalem ſeu accidentalem, plurium ſeptimanarum habitualem & phthiſis phœnomenon, dolorem lateris unius alteriusve nycthemeri pungitivum pleuritidis notam, contumacius perſeverantem ſuppurationis alteriusve cujusdam morbi teſtem, auguramur.

Inprimis tamen ſciſcitando medicus ſedulo rimetur quarumcunque partium principaliorum habitudinem ac ſymptomata quævis, non tantum, quatenus per horum, ut modo commemoravi, notitiam, in affectus primarii, magis latentis, cognitionem deducitur; ſed quatenus hæc inſuper modo prognoſin variant, modo therapejam moderantur: ut per conſequens *Hippocratem* hinc inde, in ſpecie *de victu acut. Epiph. Ferdinandum locis alleg. & Meyſſonnerium remarques curieuſ. ſ. 2.* circumſpecte egiſſe fatendum ſit, dum præter ægritudinem, quæ infirmo primario moleſta, plurium, ſi non omnium, v. g. capitis, faciei, oculorum, hypochondriorum, eorumque functionum v. g. decubitus, pulſus, reſpirationis, excretionis alvi, ſputi, mentis &c. rationem maximam habendam eſſe, monent. Sciſcitetur medicus præter morbum primarium reliquam corporis habitudinem.

Alterum ſciſcitandorum in ægro primariorum morbi cauſas concernit, quæ tamen, juxta *Hippocr.* vix interrogando, ſed potius explorando & ex phœnomenis eruendo, manifeſtabuntur; niſi forſan quoad externas ſeu evidentes tantum: ut non adeo apte pronunciaſſe obſervatur *Claudinus* l. a. quaſi *Cous* quamlibet cauſarum, internarum æque ac externarum, ex ægro intelligi poſſe, aſſeruerit. Internas ſiquidem cauſas homines plebeji ignorant, v. g. quid humorum viſciditas, acrimonia, acor, quid obſtructio, inflammatio partium ſolidarum, quid cruditas ventriculi &c. hinc multo magis, utra harum ipſis inexiſtat, aut a quanam earum pravarum diſpoſitionum ſeu aberrationum affectus, quo laborant, procedat. Ut non ſine ratione ſuperius miratus fuerim *Epiph. Ferdinandum*, dum inter illa decem, de quibus ægri quærendi, refert: *an morbus ſit a pituita vel bile, an utrisque?* item, *an ſponte ſoleat pravum ſuccum aggregare?* Cauſas morbificas. Haud tamen de his ægros quærendo.

Neque quoad externas & evidentes cauſas ſufficit in genere interrogare decumbentem, quales illæ exiſtant? cum nec harum habitudinem ſeu relationem ad affectum ſeu productum morbificum vulgus penetret: ſed ſub reſpectu potius ad hoc ipſi recenſendæ Nec de externis in genere,

Sed per quæſtiones ſpecialiores.

Cauſæ evidentes nos ad latentium cognitionem ducunt.

Cauſa evidens & procatarctica ſcitu neceſſaria.

ſendæ ſunt earum ſingulæ, quas alias ſimile quid concitare palam eſt. V. g. ſi catarrho quis laborare præſumatur, interrogandus, an ſub aëre frigidiore aut pluvioſo commoratus fuerit? Sin colicum dolorem patiatur, an fructus horarios, braſſicam fermentatam, carnes pinguiores &c. aſſumpſerit? an cereviſiam minus defœcatam hauſerit? an alvus conſtipata? Ex cauſarum enim ejuſmodi indagine, non tantum ad internarum magis latentium cognitionem pervenimus, v. g. ex impulſu & admiſſione aëris frigidioris ad craſſioris lymphæ viſciditatem, ex muſti hauſtu flatulentiam, ex alvi ſuppreſſione fœces induratas, auguramur; ſed hinc, quæ noceant, quæque vitanda, pariter intelligimus; imo aliquando, quæ affectui p. n. quadrent, v. g. catarrho ab aëre frigidiore, poros conſtringente, ſudorifera, colicæ a fæcibus induratis enemata emollientia &c. Quorum poſterius, i. e. quam neceſſaria interdum cauſæ evidentis, quam procatarcticam olim inepte vocabant, ad medelam congruam ſit cognitio, exemplum nunc ſuppeditabit canis rabidi morſus, a quo illatum vulnus, ſi mox ad cicatricem perducatur, non adminiſtratis remediis, quæ a morſus rabidi animalis, ut cauſæ evidentis, indicatione depromuntur, i. e. non detergatur ſufficienter tabus impreſſus, concedaturque hujus virulentiæ ad interiora progreſſus, in hydrophobiam & convulſiones lethales, citius, tardiusve, conjicit; dum ſervantur contra, quibus ulcus tempeſtive dilatatum probe mundificatur, ac præſidiis aliis ſpiritus animales a veneno hoc præmuniuntur. Pariter res ſe habet cum tumore teſticulorum inflammatorio, evidentis aliquando cauſæ, ſuppreſſionis nempe gonorrhœæ virulentæ intempeſtivæ, producto: qualem ſi æger celet, falſamque contuſionem v. g. fingat, vitio verti medico haud debet, qui virulentia venerea neglecta ſolis topicis teſticulos ejuſmodi in ſtatum naturalem reſtituere fruſtra contendit. Quibus jungere quadrabit ex *Zech. Conſult. 46* puerulum, febre continua, cum ſenſuum torpore, inquietudine & nauſea laborantem, cujus affectus acutiſſimi cauſa obſcura eidem Scriptori, de pueruli & nutricis geſtis ac conditionibus diligenter percontanti, ita innotuit. Nimirum poſtquam a parentibus ipſi ſignificatum fuerat, duobus ante primum ægritudinis inſultum diebus linguæ frenulum a Chirurgo infanti fuiſſe inciſum, interrogavit, num ab

ab operatione hac ſtatim eum ſitu pronum collocaverint, atque num ſanguis ex ore ejus profluxerit? utroque ab illis negato mox conjecit, cruorem ex parte vulnerata ad ventriculum defluum, ibique concretum & putreſcentem, ſymptomatum horum cauſam exiſtere: nec fefellit opinio, dum porrectooleo amygdalarum dulcium ſanguinis concreti & putrilaginoſi conſpicuam copiam vomitu rejiciebat tenellus. Quemadmodum denique cauſarum evidentium ſollicita magis ſciſcitatio hoc quoque emolumenti præſtat, ut, ſi æger nullius harum meminerit, nec obſervet medicus, conjecturetur hic non inepte latentem atque habitualem magis: v. g. ſi quis anorexiæ & vomitibus exponatur, ſine prævia incongruorum aut quantitatis immodicæ aſſumptione, huic tale quid a cauſa latente, ſive idiopathica, ſive ſympathica, evenire veroſimile eſt. **Ex defectu cauſæ evidentis concluditur latens.**

Quamvis aliquando ægros perinde ac adſtantes adeo ineptos moroſosque offendamus, qui cauſas evidentes celent, negent ac pernegent, hinc morbificæ propinquioris indaginem medico difficiliorem reddant, inprimis in diæta commiſſos errores, luxuriei & levitati animi nimis indulgentes, utplurimum vero pernegatione ejuſmodi medelam, ad ſui exitium, turbantes, de qualibus jam dum ſuperius quædam monui; eorum vero alios tantum, malitiæ neſcio, an ſtoliditatis, corripit, ut a medico cauſam quærant ac determinare poſtulent, quam ipſimet norunt, vel commodius noſſe poterant, v. g. ſuppreſſionis menſium in filia, quam parens cum matre & tota muliercularum aſſidentium corona ſcit imprægnationem. Per biduum aliquando viſitabam filium de dolore dorſi, appetitu proſtrato & æſtu p. n. conquerentem; cujus mater ſingulis viſitationibus ut cauſam horum ſymptomatum denominarem me valde urgebat: optime & me plus conſcia, a colluctatione cum ſocio inepta ſubluxationem ſpinæ illum contraxiſſe. **Cauſam evidentem male quidam occultant.**

Quoad tertium medico ſciſcitandum, morbi nempe tempus, ſeu, *a quot diebus* juxta *Hippocrat. æger patiatur malum?* haud dierum tantum, ſed menſium quoque, ambitum, ſc. in morbis chronicis, hoc complectitur: v. g. an quis tuſſi modo dierum pauciorum, an aliquot menſium, laboret? an febris intermittens ſit vernalis, an autumnalis? Cujus quidem quæſtionis & ad eam lati reſponſi ſcopus **Quamdiu laborarit æger.**

 diver-

Unde concluditur de morbi temporibus & gradu. diverſus deprehenditur. Quatenus primo hac ratione, ad *Claudini* monitum, ponderatis potiſſimum illis, quæ ex antecedaneis binis hauriebantur, circumſtantiis tempora morborum univerſalia, & ex his motus ac gradus affectus p. n. patefiunt: hoc eſt, an celerioris tardiorisve ſit motus, ſeu an brevioris longiorisve futurus ſit durationis hic; quemadmodum gradus quoque, nempe an in fieri ſeu habitudine, an in facto vel habitu idem exiſtat. In quantum E. illa diverſitas ab alteratione aut impermutabilitate humorum peccantium, ſeu coctione & cruditate, dependet, in tantum cognitis his temporibus motus morbi minus difficulter innoteſcit: i. e. morbus acutus brevis eſt, & proximum habet ſtatum, chronicus autem e longinquo magis eundem expectat, ob materiæ peccantis difficiliorem, hincq; tardiorem, digeſtionem; ſicut eo ipſo, dum nullus affectus factus & hecticus dici valet, niſi vigorem ſui attigerit, etiam ex temporum cognitione, hoc de eo judicium formatur. Item de ejus formalitate, cauſa & eventu. Deinde a duratione affectus ejus formalitatem, cauſam & eventum aliquando probabiliter ſatis diſcernere datur, v. g. dum aliquot dierum ſaltem tuſſim ac dyſpnœam catarrhalem, a cauſa evidente, aëris nempe intemperie minorisque periculi, totidem menſium phthiſicam, a pulmonum craſi perverſa aut morbo conformationis, magisque exitioſam conjecturamur. Pariter, ubi variolas morbillosve ingruere metuimus, febris vero cæteraque ſymptomata, quæ cum aliis affectibus exantemata hæc habent communia, quartum diem tranſierint, horum metum deponimus; aut, quia efflorescentiæ hæ minus tempeſtive prodeunt, plus minus de ſalute infirmi dubitamus. Imo tertio temporis decubitus exactior cognitio remedia quoque horumque ſelectum determinat, v. g. venæſectionem in principio, non in ſtatu, febris adminiſtrandam, vomitorium in principio, non in ſtatu, malignarum propinandum, expellentia non tempore ebullitionis, ſed efflorescentiæ demum, variolarum & morbillorum præſcribenda, reſolventia ac repellentia, non in inflammationis ſtatu, ſed initio, ſuppurantia non ſub prima ſtatim invaſione ac progreſſu, ſed, ubi dolor & calor maxime intenditur, i. e. in ſtatu, admovenda.

Sciſcitandum etiam Huic temporis ſciſcitationi addo, ut æger cum aſſidentibus interrogetur, an olim unquam idem malum ille paſſus fuerit? & qua

ratione

ratione tunc fuerit ſolutum? quo tempore ejus contingant exacerbationes, quales tempora particularia vocant? item, ubi fluxus uteri nimius fœminam infeſtat, an tantum ſub termino menſtruo fatali, in ætate ad menſtrua habili, eveniat? an ultra eum extendatur, impuberi vel vetulæ contingat? In priore caſu, ſi olim quoque & pluries affectum quempiam quis expertus fuerit, habitualem; ſin minus, & prima tantum vice affligat, accidentarium & quem cauſa evidens tantum peperit, eum pronunciamus: in altero periodum vel vagam, vel ſtatam, dijudicamus: in tertio hæmorrhagiam uteri à menſtruo fluxu aucto, per diverſitatem hanc temporis ac ætatis, diſcernimus; hunc dicentes, qui menſtruatim, & quibus menſtrua ſolennia, contingit, illam, quæ quocunque tempore & cuilibet ætati evenit.

iam, an olim quis talem affectum paſſus? &c.

Exploratis ita morbo, hujus cauſa & tempore per phœnomena diverſa, disquirenda adhuc reſtant ex ſecundariis magis illa, quæ præterquam ad primariorum illorum dignotionem promptiorem nos deducunt, ipſam therapejam, ut permittentia, prohibentia ſimiliave, moderantur, ſimulque præſtant, & quorum cognitio medici permultum intereſt. Inter hæc amplioribus limitibus gaudet & magni ponderis obſervatur diæta infirmi, ſeu moderamen ſex rerum non naturalium: non tam antecedanea & in morbos conjiciens, quam præſens ſeu actu ægrotantis; ſi forſan hæc affectum p. n. foveat ac augeat, viribus vero deroget; quales errores tempeſtive corrigere maxime juvat, circa victum potiſſimum perpetratos. Ut proin veroſimile ſit, *Hippocratem*, poſtquam quæſtione ſecunda cauſas morborum rimari juſſerat, quintum nihilominus ægrum interrogandi punctum adhuc formaſſe: *quo victu utatur?* nimirum ut ſciſcitatione hac inculcet victum magis medicamentoſum & alterantem, ſeu ægritudini adæquatum; i. e. qualem, ut præſidium, indicatio morbi curatoria & cauſæ præſervatoria exigat, v. g. dum idem *Hipp.* victum humectantem omnibus febricantibus conferre aſſerit, ſatisfaciat nihilominus quoque vitali ſeu conſervatoriæ.

Explorandà ægri diæta.

Qualis quidem de victu & tantum non de cæterarum rerum non naturalium uſu ſciſcitatio eo majore diligentia fieri debet: quo ineptos, fallaces magis, pluſque libidini ſuæ indulgentes ægros non minus ac adſtantes, his abblandientes, tota die experimur, utroſque pruden-

Errores circa diætam frequenter celant ægri.

prudentiſſime ſe egiſſe autumantes, ſi medicum errores celent, & falſis enarrationibus circumveniant: cum tamen ejuſmodi occultationes & fallaciæ ægro pariter ac medico moleſtiam & damnum, non ſemper emendabile, creent; hinc errores clam commiſſos qui deprehendunt ac patefaciunt, annotante *J. B. Sylvatico hiſt. 4*, ſuæ exiſtimationi una atque ægrotantium ſaluti conſulere videntur. *Mirum quandam rem eſſe*, inquit, *indicant adſtantes, clam ſuſceptum cibum fuiſſe, medicum vere cognoſcere & enunciare, obſtupeſcuntque propterea, quaſi divinatricis cujuſpiam facultatis munus hoc eſſe, ſibi perſuadentes, cum tamen ipſius artis medicæ principia id doceant:* quod per hiſtoriam filii Boëtii declarat, quem liberum a morbo factum duplicem recidivam paſſum, utut, quæ palam exhibebantur, & qualitate & quantitate congrua eſſent, incongrua clam aſſumpſiſſe, Galenus conjecerit & artificioſe detexerit, enarrante hoc *Galeno* prolixius *de prænot. c. 7.*

Igitur in his detegendis prudentia opus.

Modos & artes E. errores hos deprehendendi prudentia Medici ſubminiſtrat, quemadmodum *Galenus* in hoc caſu, ubi puerum recidivantem cibum immodice & intempeſtive clam aſſumpſiſſe conjecturabatur, *Hippocratis 2. aphoriſmo 8* fretus videtur: *Sc. ſi ex morbo cibum capiens quis non fiat validus, ſignificat, quod corpus uberiore alimento utatur; ſi vero cibum non accipienti hoc contingat, noſſe oportet, quod evacuatione opus habeat;* item ex communi omnium obſervatione, qua conſtat, pueros ſua natura edaces eſſe & cibos valde appetere: donec panem in ſella, vela, tecta, hac excuſſa, abſconditum deprehenderet Vates cum pueri ægrotantis patre eique adſtantibus. Sicut mores quoque ægrotantium ſeu in hæc vel illa propenſiones hos illosque eorum errores & fallacias non obſcure innuunt, v. g. iracundia, voracitas, mollities, appetitus inordinatus, luxuria, in venerem propenſio; ut ex horum cognitione commiſſa ſeu perpetrata eorum facile ſubolfacere detur. Ita ex nupera obſervatione memini fæminæ haud inferioris generis, quam, palato non minus ac iræ præter modum indulgentem, cum in puerperio gravibus, ad ultimum etiam halitum, aliquoties infeſtaretur ſymptomatis, recidivas has modo ex ingluviei, modo iracundiæ, ferocia contraxiſſe augurabamur, non ſine ratione auguratos fuiſſe, tandem intelligebamus.

Pariter

Pariter juvenem illum penes *Hildan. 1. obſ. 22.* voluptuoſum ac venereum, cui lævam, a ſclopeti ictu enormius contuſam, amputarat Chirurgus, ſimulque, ut a congreſſu abſtineret, diſerte interdixerat, ſymptomatis graviſſimis ac lethalibus correptum, libidinis ſuæ pœnam dediſſe ſuſpicari prompte licebat: quemadmodum vini potui deditum, ſi absque alia cauſa in pejus ruere obſervemus, vini ingurgitationi hoc in acceptis referimus, nec inepte quidem. Ut recente pariter exemplo comprobare poſſem, Viri ſc. juvenis, ex hæmoptoëphthiſi decumbentis: qui cunctis fere viſitationibus me, ut vinum, quo illi interdixeram, concederem, ſollicitabat, denegatum demum me clam ſatis ſtrenue hauriebat, clinicam obteſtatus, ne mihi mollitiem hanc ſuam patefaceret.

Præſtat præterea errorum in diæta commiſſorum cautior indago hoc etiam emolumenti Medico, ne adeo facile in prognoſi formanda præcipitem ſe det: ſive per hanc ſalutem promittendo, aut de ea ſaltem non penitus dubitando; ſive exitium metuendo. Ratione quippe prioris ſicut veriſſimum obſervatur illud *Hippocratis 1. aph. 1*, non a medico tantum requiri, ut munere ſuo rite fungatur, ſed ut æger quoque faciat, quod facto opus, fideliter ſc. referendo atque parendo: ita ſi moroſum minusque obſequioſum aut negligentiorem in regulis diæteticis obſervandis offendat, fruſtrabitur hic omnes medici pollicitationes & ſuam reconvaleſcendi expectationem, inprimis in morbis ancipitis ſalutis, aut alias curatu difficilioribus; ut vel ideo longe difficiliorem medelam & eventum funeſtum magis in talibus metuere habeat, quam ipſe affectus metuendus erat. v. g. laborat quis variolis morbilliſve, per ſe moris non adeo degeneris, & a quibus plerique, diætæ tantum mediocriter qui ſe adſtringunt, convaleſcunt: quem ſane, ſi omnem ejus legem excutiat, periculoſe magis decumbentem pronunciare, ratio ſuadet. Arthritidem quamvis in ſe difficilioris medelæ & quæ operam Medicorum potiſſimam illudit, deprehendamus, juxta illud Luciani:

Diætæ errores noſſe prognoſin moderatur.

Quoad ſperanda

Quis invictam me dominam dolorum
Ignorat podagram in terra mortalium?

Qui nihilominus accuratiori regimini ſe religioſius mancipant, ab enormioribus & frequentioribus maxime affectus hujus moleſtiſſimi inſulti-

inſultibus ſe præſervant; quale quid minus promitti valet illis, qui liberaliori ciborum ingeſtioni, veſanæ vini compotationi ac Veneris lenociniis indulgent, ſed inter paroxyſmos frequentiores, longiores & atrociores hi ſudabunt. Perinde ac hydropem ſcandalum medicorum & internecionem ſui experiuntur plurimi, illi potiſſimum, qui in potulentorum aſſumptione, in ſpecie Spiritus vini, ſibi temperare nequeunt: qui tamen ſe ſubjugari aliquando patitur in ſubjectis, quæ a potu diutius abſtinent, qualium exempla penes *Dodonæum obſ. 116. & 117. Holler. 1. de morb. int. cap. 39. Hildan. 4. obſ. 44. Panarol. pent. 4. obſ. 88. River. 11. pr. 6. & obſ. a Jacoz Comm. 21. Williſ. ph. rat. part. 2. ſ. 1. c. 5. Sydenham. de hydrope & Liſter. de hydr. ægr. 1. ac 17.* His proin aliquid, illis nihil omnimode, ſpei eluctandi reſtat.

& quoad metuenda. Poſteriorem ingenuitatis & ſtrictioris diætæ uſum ita declaro. Nempe pavorem aliquando inſignem adſtantibus non minus ac medico, imo ipſi ægrotanti, incutiunt anxietates præcordiorum in febribus, ſub ſpecie & nomine vulgi Hertzens-Angſt/ cum ſumma inquietudine usque ad ſudorem frigidum; quod ignorent celentve errorem commiſſum, adeoque non huic, ſed ipſi morbo, gravia ejusmodi ſymptomata adſcribant: quem terrorem nihilominus abeſſe juſſiſſet tempeſtiva illius, in quo deliquerat infirmus, confeſſio & notitia.

Ex nimio gelidi potu in febre anxietates graves. Vanum ejuſmodi pavorem mihi & aſſidentibus incutiiſſe recordor olim adoleſcentulæ cujusdam cardialgiam ſimilem, cui in paroxyſmo tertianæ cereviſiam gelidam affatim hauriendam porrexerat mater, indulgentior juſto: advocabatur mecum Confeſſionarius & vicinarum ſpectata caterva; aſt paulo poſt ridebat nos omnes puella, matris imprudentiam manifeſtans.

It. ex devoratione pomorum Sinenſium. Majores longæ erant turbæ, quas fæminæ cujusdam prænobilis luxurioſa & clandeſtina aliquando malorum Sinenſium devoratio Medico, confeſſionario, familiæ & tantum non toti civitati movebat, decumbentis morbillis, qui evaneſcere tempeſtive incipiebant, proin illam omne periculum ſuperaſſe, omnes judicaſſent. Corripiebant ſc. eam ex improviſo enormiores præcordiorum angores, inquietudo & convulſionum primitiæ, hisque ſymptomatis per horas aliquot exagitabatur, ut morti proximam crederent accurrentes, ipſamet ægrotans de vita deſperaret, per cordialium & bezoardicorum precioſorum

plurium

plurium præſcriptionem non leviter defatigaretur, ſi non erigeretur, pharmacopola: Sed dum poſtmodum grabatulus de loco ſuo paululum dimovebatur, cortices dictorum pomorum devoratorum rejecti & in angulo reperti de pulpa teſtabantur copioſe ſatis ingeſta, nunc fere digeſta & per alvum ſeceſſum moliente, ſicque omnibus caliginem ſimul ac metum diſcutiente.

Circa diætam disquirendis non incongrue forſan accenſeo quartum Hippocratis interrogandorum momentum, *an venter ſecedat?* ſeu alvus aperta ſit? utpote ad quod latum reſponſum modo ad cauſæ morbificæ ac ſymptomatum productricis cognitionem nos deducit, v. g. ſi negative reſponderit de torminibus ventris conquerens; modo indicatorum & præſidiorum adminiſtrationem prohibet, coindicat ſeu juvat ac moderatur. Prohibet v. g. ſanguinis miſſionem ac ancatharſin eadem alvi conſtipatio, coindicat ac moderatur evacuationem per inferiora adornandam. Ut taceam, ventris ſegnitiem, ſi non ut cauſam primariam aut hujus cauſam, certe ut ſecundariam & nova ſeu extraordinaria ſymptomata concitantem attendendam eſſe: quatenus, juxta eundem *Hippocratem* & experientiam quotidianam, alvum moderate fluere, ſemper optimum eſt. Quamvis in hoc lapſus videatur idem medicinæ Princeps, quod cæteras præter alvi, excretiones corporis ſolennes neglexerit, magni nihilominus in ſciſcitationis negotio momenti, & in caſibus particularibus ab eodem hinc inde indigitatis, v. gr. ſputi, menſium &c. **Alvus an reſpondeat?** **Etiam cæteræ excretiones attendendæ.**

Sc. Excretorum corporis noſtri tantum non cuncta, inprimis, dejectiones alvi, Urina, Sudor, ſputum, menſes, hæmorrhoides, narium hæmorrhagiæ, ſanies vulnerum atque ulcerum, vomitus &c. de morbo, hujus cauſis, conditionibus, eventu &c. non leves conjecturas præſtant; adeoque ſui ſolertiorem indaginem poſtulant. Quam qui in ſe ſuſcipit, in ſpecie vomitu rejectorum, fœcum alvi, urinæ, ſudoris, & forſan ſputi quoque, pro accuratiore de his ferendo judicio, rationem maxime ingeſtorum ſeu aſſumptorum habeat, ſive alimentoſa ſive medicamentoſa, hæc fuerint, item in cæteris rebus non naturalibus moderaminis; qualia ſane ſubſtantiam, qualitates, quantitatemve illorum immutandi ac minus cautum obſervatorem fallendi magnam vim habent, ut eorum phœnomena præter- **In excretionum habitudine dijudicanda conſtare debet de aſſumptis.**

 naturalia

naturalia cum non naturalibus confundat. Sic vomitu rejecta aſſumptorum molem & faciem præ ſe ferunt, & v. g. graveolentiam ab allii & ceparum eſu: qui multum alimentorum ſolidiorum aſſumpſit, plus, qui parum aut nihil, minus, fœcum per alvum deponit, adeo ut in anorexia laborantibus harum ordinaria quantitas vix expectari debeat. Qui allio, cepis ſimilibusque olidis veſcuntur, easdem graveolentes valde, quibus folia Sennæ propinata, mucoſas, quibus Rhabarbarum, flaveſcentes, Caſſiæ pulpa aut Martialia, aut qui baccarum Myrtillorum pulmentum devorarunt, nigricantes, rejiciunt: & quemadmodum ſi pinguia ſeu oleoſa per alvum prodeant, colliquationem ſingularem & periculoſam valde innuunt, ſic pinguiora, copioſius ingeſta, tales pariter excretiones formant. Similiter urinarum quoque conditiones naturales ab aſſumptis frequentius mutantur, hinc fallunt, v. g. ab eodem Rhabarbaro, Croco, ſemine Santonici, Rubia tinctorum vino &c. dum rubedinem intenſiorem ſuſcipiunt, quemadmodum contra potus tenuior atque uberior, item acidularum, easdem præter expectationem diluit & limpidiores reddit: Lotium nigricans ab eſu uvarum liberaliore annotavit *Bartholin. cent. 5. hiſt. 90.* Parcius mingunt, qui parum bibunt; lotio diffluunt potatores & quidem liquorum diureticorum, vini v. g. acidularum. Urinam cruento colore tingere fructum Novæ Hiſpaniæ, quem ficum Indicam communiter ajunt, & Peruviæ certam ceraſi ſpeciem, quam Uſſum Barbari vocant, *Joh. de Laet deſcript. Indiæ occident. l. 5. c. 3. & l. 10. c. 3* perhibet. Fracedine ſingulari Aſparagus, contra ſuaveolentia violacea, idem lotium imbuit terebinthina. Quemadmodum pariter ſudores peregrinas qualitates ab aſſumptis induere experientia loquitur, v. g. a cereviſia copioſius hauſta ſaporem coloremque ejusdem potus, notante *Salmuthio 2. obſ. 28 & Bartholino 4. hiſt. 62.* a liberaliore vini Hiſpanici rubri ingurgitatione, rubedinem. Et ſic menſtruorum ac hæmorrhoidalis quoque ſanguinis fluxus ſufflaminant atque accelerant modo circa diætam perpetrati errores, v. g. motus corporis nimius ac intempeſtivus, imprægnatio &c. modo idioſyncraſia, per quam quædam ſubjecta parcius, alia liberius, evacuari, palam eſt: prout denique hæmorrhagias narium aliis ſolennes, aliis ignotas, experimur.

Inprimis

Inprimis vero circa vomitus, alvi fluores, ſudores, hæmorrhagias &c. disquirendum venit, an, ſi aliis morbis ſuperveniant, potiſſimum febribus, criticæ, an ſymptomaticæ, illæ evacuationes fuerint? pro diverſitate ſiquidem hac plus minus de iis ſperare vel metuere, jubemur. Ita tamen, ut nec cunctas criticas evacuationes cum vulgo Medicorum nobis perſuadeamus ſalutares, cum non omnem criſin laudabilem, hinc nec omnes evacuationes criticas proficuas, quotidie deprehendamus, teſtentur etiam omnes, qui de hoc argumenti genere commentati fuerunt, criſin ſubitaneam vel ad mortem, vel ad ſalutem mutationem morbi aſſerentes. Atque hujus rei ſigna diſtinctiva ex doctrina de criſibus & criticis evacuationibus petuntur, licet hæc quoque enormiter fallere, hinc ejus præcepta caute admodum applicare, ſuadeat experientia: ut quandoque, quem critice, & quidem ſalutariter, evacuari per artis regulas judicamus, brevi extinctum, & ſymptomaticis excretionibus ad ultimum fere halitum defatigatum reconvaleſcere, videamus. Evacuationes criticæ a ſymptomaticis diſcernendæ.

De Urinis earumque inſpectione *cap. ſeq.* agam, ſicut de metaſtaſibus pariter ſeu excretionibus cutaneis, item de Linguæ phœnomenis, utpote quorum vis forſan potior in eventu, quam ſtatu præſente, morbi dijudicando: Sputorum vero examen particulari, de affectibus thoracicis, doctrinæ eſt concedendum, quemadmodum puris evolutionem ulcerum ac vulnerum disquiſitio ſuggerit. Sanguis, quia fluidum corporis univerſale magis, hocque tam conſervativum, quam corruptivum, ejus miſſio quoque inter remedia univerſalia non infrequentiſſimum, eſt: cruoris venæſectione educti, contemplatio plus neceſſaria & eximiam utilitatem in morborum ætiologia determinanda habere, creditur. Cujus examinis modum hincque formanda judicia olim jam dum tradiderunt *Joh. Carvinus de Sangv. Joh. Caſtellanus in Phylactirio phlebotom. & arteriotom. Fr. Joël. compend. art. med. l. 4. ſ. 5. & Jeſſen a Jeſſen in Judic. de ſangv. vena ſecta dimiſſo*: quamvis cuncti horum conſpicuos maxime nobis obtruderint hinc inde errores, theoriæ pariter ac praxi vim inferentes. Cruoris venæ ſectione educti contemplatio neceſſaria creditur.

Nempe ſub effluxu ſanguinis ex venæ plagula hujus impetum varium attendere, caloris gradum digitis explorare & colorem hujusque viciſſitudinem oculis uſurpare, jubent: Scutellis vero excepti Fallax tamen hine inde.

pti cruoris & ſeri invicem, habitudinem ſeu proportionem, utriusque colorem, illius vero inſuper & ſpumam præprimis contemplantur, ac de bonitate atq; pravitate ſanguinis hinc ſibi formant auguria. Qualia tamen, quia vanis aliquando theoriis innituntur, olim jam dum exploſis, aliquando etiam ipſamet phœnomenorum horum contemplatio ſenſus fallit: quid mirum, ſi ineptas etiam aliquando dicam hinc formatas concluſiones, adeoque de illis ambigere ſuadeam. Nam primo fallax videtur ille promanantis ſanguinis impetus, ſecundum animi languorem ac robur diverſum, item vulneris inflicti latitudinem majorem minoremque, valde diſpar. Quibus accedit mora inter vinculi injectionem & ipſam vaſis inciſionem haud eadem; dum longior ſanguinem ſub ſaltu conſpectiore exire jubet, brevior minore: adeo quidem ut primus impetus, i. e. antequam vena aliquantulum depleta, alacrior & vibrans magis, ſubſequens fluor languidior, utplurimum deprehendatur; niſi contrarium forſan præſtet formido & deliquium ægri, i. e. in principio vix ſtillatim, redeunte animo, orgaſmo majore, proſiliat ſanguis. Nec deinde adeo fida videtur a *Jeſſenio* commendata caloris in ſanguine promanante exploratio, digitis inſtituenda: cum caloris hujus gradus vel ſecundum individualem habitudinem, vel propter animi aliqualem defectum, vel propter ſpirituoſiora, brevi ab operatione hauſta, variare queat atque ſoleat. Multo minus ſuaſu ejusdem autoris, ideo, quo calidior ille obſervetur, eo largior ejus permittendus eſt curſus: cum æſtus hujus actualis plures ſint plethora cauſæ, ſc. ſtagnatio, acrimonia &c. Neque tertio color ſanguinis, ex vena inciſa promanantis, ſplendidior ſemper de ejus abundantia teſtatur, utpote qui ſanguini venoſo nunquam naturalis, & ſi talis compareat, præternaturalem ejus conſtitutionem innuit, ſc. orgaſmum inteſtinum extraordinarium, acrimoniamve latentem. Imo obſervatur, etiam venoſum plus minus nigreſcere in his, qui v. g. tempore hyberno, ſub atmoſphæra frigidiore diutius commorati fuerunt: ne commemorem, diverſam radiorum lucis in ſtriam ſanguinis promanantis incidentiam, hincque ad oculum noſtrum variam aut reflexionem, aut plus minus refractam ingruentiam, colorem ejus dubium reddere: ut modo obſcurus, modo lucidior magis, ſeu ſplendidior appareat ejus rubedo.

Fallit impetus ſanguinis promanantis.

Fallit calor.

Porro

Porro & quarto vanum eſt commentum, ſanguinis bonitatem & corruptelam ſub hoc effluxus momento dijudicari poſſe; item diſcerni, an idem primo prodiens ſincerus ſeu purus magis, poſterior corruptus, ac vice verſa: cum talem diſparitatem volante adeo oculo ſeu in rapido ejuſmodi fluore animadvertere haud detur; niſi ubi tinctura ejus a ſtatu naturali evidentius recedit, v. g. prodeat chyloſus ſeu lacteus. Et quod facie externa alius prodeat in principio, ac in progreſſu, miſſionis, ex accidente fit, & judicio hinc communi formando minus ſufficit: ſc. quaſi primo comparens ſincerus, poſtmodum corruptus, ſanguis pravos humores aut circa viſcera aut partem inflammatam hærere; poſt pravam vero purior effluens omnimodam vitioſitatis extirpationem, innuat: quod illa mutatio, ut dictum, maxime contingentibus & incertis phœnomenis ſit accenſenda, vel quod hæc circulationis legibus repugnent. Niſi forſan aliquando, in inflammatione interna, v. g. pleuræ, pulmonum, in quali caſu, ſi modo lynceis oculis, pro diſcernenda exactius ſanguinis promanantis diſparitate, medicus adſtans præditus fuerit, *Hippocrati vict. acut. t.12. & Galeno de curat. per ſangv. miſſ.* ac quibusdam modernis, *Williſio* v. g. aſſentiri placeat, ſanguinem eousque mittendum jubentibus, donec coloris nigricantis & lividioris, tanquam cauſa inflammationis conjuncta, omnis effluxerit, ac denuo compareat ſincerus magis. Quippe inflammatoriis ejuſmodi affectibus ſanguinem adeo diſparis texturæ ſubeſſe, ratio non minus ac avtopſia ſuadet: quarum illa ſanguinem in parte phlegmone affecta congrumeſcere, ſeu, ex hypotheſi veterum, aſſari, docet; ſanguis vero in ejuſmodi caſu eductus & tribus quatuorve diſculis exceptus non in ſingulis ſemper, ſed in ſecundo v. g. & tertio tantum, vitioſus, in cæteris duobus laudabilis ſatis, conſpicitur. Aſt quo minus etiam huic aſſerto undique ſubſcribam, vetat, quod nec ab ejuſmodi ſanguinis eductione ſemper aut mox ſedetur hæc inflammatio, aut hujus evaneſcant ſymptomata; quod nihilominus neceſſario expectandum foret, ſi ſanguis, inflammationem immediate patrans, fuerit evacuatus: & dubitare integrum relinquitur, an omnis grumoſus e fibrarum membri inflammati intercapedinibus hactenus impactus, prodierit, ſeu annon poſt pravum emanans ſincerior aliquid illius generis pone ſe reliquerit.

Pravus an bonus ſanguis prodiens, dijudicari nequit.

Fallit ſanguinis educti congelationis tempus.

Nec quinto, quæ de celeriore, tardioreve aut omnimode non eveniente cruoris educti ac ſcutellis excepti congelatione communiter tradunt, quaſi illis fibris ſeu ſtaminibus, quæ in partium ſolidarum nutritionem & ſimilitudinem abeunt, hic deſtitueretur & cacochymiæ nuntius exiſteret, omni exceptione potiora ſunt: quatenus tempus hujus congelationis etiam in ſanitatis latitudine variat, inprimis pro aſſumptorum ratione diverſa, dum aliquot a paſtu uberiore horis facilius ac promptius concreſcit idem ſanguis, chylo gelatinoſo interfluus; aſt poſt inediam vel nycthemeron, aut poſt potulenta avidius hauſta, difficilius congelaſcit, glutine illo deſtitutus.

Fallit cruſta.

Sicut nec ſexto, quæ de cruſta albicante aut plus minus flaveſcente vel liveſcente, quam grumum obtegere cernimus, inferunt, firmo innituntur talo. Non excrementum pituitoſum ſemper, ſed crudiorem aliquando & non ſatis digeſtum, ſeu cruori penitius intertextum, chylum, mucaginem hanc cum pleriſque modernis auguror, qui lentorem ſanguini inducat; adeo quidem ut igni admota inflammetur. Nihil tamen impedit, quominus eandem gelatinam aliquando productum morboſum concipiamus, in illis potiſſimum morbis, v. g. pleuritide, rheumatiſmo, quos æſtus vehemens comitatur: fluidiori ſero ſpiſſitudinem ejuſmodi gelatinoſam perinde inducens, ac blandior ignis ſerum extravaſatum in offam gelatinoſam cogit, aut juſcula carnium dilutiora per evaporationem aquoſitatis aliqualem ad gelaſcendum diſponuntur, & actu congelaſcunt aëri liberiori expoſita. Miror proin veteres, quod fibroſitatem ſanguinis, hujus partem integrantem & alimoniam partium ſolidarum credant, mucilaginoſam vero cruſtam excrementum p. n. velint, cum tamen utraque ſubſtantia & textura eidem ſint. Miror in ſpecie *Jeſſenium a Jeſſen*, quod nunquam, niſi in corporibus nimium refrigeratis, cruſtam illam deprehendiſſe ſcribat: quatenus febribus ſatis ardentibus frequens maxime obſervatur; hinc vix ſemper cruditatem pituitoſam innuit, ſed coloris quoque exuperantis productum aliquando videtur. De cætero cujuscunque generis ſeu indolis cruſta hæc ſit, i. e. ſive alba, flava, viridis aut livida, craſſior & tantum non coriacea, haud tamen adeo pravum & morboſum innuit ſanguinem, quin hoc gaudentium multi mortem morbumque evaſerint.

Seri

Seri minus ſeptimo, quod cruori, vaſe excepto & congrumato, circumfundatur, non ſemper hujus laticis defectum, ſed forſan quod particulis gelatinoſis hic turgidior a grumo in conſortium arctius aſſumatur, ſignificat: adeo quidem, ut poſt horarum aliquot adhuc elapſum thrombus omni ſero circumfluo hactenus deſtitutus, ſi denuo inſpiciatur, in ſerum ſenſim deliqueſcere obſervetur. Serum E. in ejuſmodi individuis non tam deficit, quam glutinoſius eſt, adeoque cruorem minus diluit, hujusque motum ſufflaminando diverſis pathematis, hinc febribus etiam plus minus acutis, occaſioni exiſtit: in qualibus tamen aliquando ſanguis copioſo ſatis ſero ſcatet. Imo non raro deprehendimus ſanguinem prima vice eductum ſero deſtitui, altera vice & inſequente die eodem dilutum ſatis videri; quemadmodum contra prima evacuatione ſero ſufficienter inſtructum obſervare contingit ſanguinem, qui altera vice omni aquoſitate caret; & ſcutellis duobus vel tribus exceptus cruor diſparem ſeri quantitatem exhibet. Ut probabile videatur, non eandem ſemper ſeri ſeu limphæ quantitatem per venas redire, ſed hujus modo minus, modo plus, a vaſis lymphaticis excipi: qua occaſione & quare? determinare non audeo, *Barbetto* quamvis condeſcendere nequeam, dum *anat. pract. cap. 14* vaſa illa interdum plus lymphæ attrahere, putat, quod probandum.

Fallit ſeri grumum circum natantis penuria.

Nec qui octavo tincturam intenſius rubicundam cruoris congelati integerrimæ valetudinis documentum, verſicolorem & maculis hinc inde variis interſperſum magisve lividum ſanguidem formidabilem & morboſum perhibent, ab omni errore immunes dicendi. Splendet non raro ſanguis eorum, quibus febris lethalis imminet aut præſto eſt, eluctantur contra, quibus grumus hic variegatus ſatis. Utrumq; firmat praxis quotidiana, & *S. Pauli digreſſ. de febr. malign.* in illis ſuſpectum valde colorē ſanguinis roſeum ait: ne dicam, ex venis adeo impenſe rutilantem ſanguinem nunquam promanare, ſed ſplendorem hunc ab aëris contactu demum recipere, ita ut poſt grumeſcentiam non per totam ſui compagem talis obſervetur, ſed ſub ſtrato ſuperiore coccineo, quod ne quidem fili ſtraminei craſſitiem æquat, totus nigricans conſpiciatur, mox tamen nigredinem hanc cum minea rubedine commutet, ſi aëri pariter ad tempuſculum exponatur.

Fallit color cruoris congelati.

Referre

Referre huc quadrat, quæ *Fr. Bayle probl. phyſ. med. 2* conſignavit, tentamini cujuslibet reſpondentia, Sanguinem pelvi latiore exceptum inſigniter & per totam latiorem ſui ſuperficiem rubere, contra ex eadem vena & vulnere in vas anguſtius atque profundius profuſum, magis nigreſcere: ſc. quod in illo plus, in hoc minus, aëris admittatur. Item, quod diverſus frigoris ambientis gradus ſanguinem plus minus rubicundum reddat, ut, qui ſubito refrigeratur, coccineus magis, qui ſenſim refrigeſcit, nigrior evadat: quamvis non ſolum refrigerationis impetum majorem minoremque, ſed motum quoque particularum aëris ſanguinis educti particulas extantes deprimentem & hujus ſuperficiem levem ac terſam magis reddentem, colorem ſanguinis ſplendidiorem facere, ipſemet fateatur idem Scriptor; qualibus ſpeculationibus phyſicis inhærere, ſcopus præſens disſuadet. Unum illud, in quo conſentientes reperio multos practicorum modernorum, jungo, dubitare licere, an febrium inprimis malignarum cauſa formalis in ſanguine hæreat, & per conſequens mutationes evidentes in illo evacuato ſemper deprehendantur?

Nec color aut quævis habitudo cruoris extraordinaria perniciosa eſt. V. g. lacteus color.

Neque nono extraordinaria valde Sanguinis & ſeri textura, hinc inſuetus maxime color portentoſus ſemper & exitio proximus videri debet, contrarium ſuadente experientia: dum v. g. ſanguinem lacteum coloris nativi extinctionem & mortem præſentaneam minari, *Joël* v. g. ſcribit, *Pechlinus l. 2. c. 13*: tamen cujusdam ſanguinem album in lividum & rubicundum demum commutatum, ægrum vero poſt varia perpeſſa ſymptomata feliciter eluctatum fuiſſe. Pariter Virum hujus civitatis primicerium novi, cujus cruor, quoties ſibi incidi curat venam, (quod propter turgeſcentiam ſanguinis evidentem bis ad minimum annuatim contingit) ſero ſemper lacteo ſeu chyloſo circumfluxus cernitur, robuſtum alias ac ſanum, niſi nephriticis paroxyſmis ſubinde obnoxium.

Nec ſpuma aliquid certi innuit.

Spumam denique in ſanguine extravaſato haud ſemper unius ejusdemque conſtitutionis latentis indicem eſſe, vel inde augurari convenit, quod illa in ſumma cruoris tantum ſuperficie, nec in hac tota, ſed ejus duntaxat aliquo ambitus ſegmento, deprehendatur, ac ſi duobus diſcis e vena excipiatur, primi tantum, non poſterioris facile. Hinc quamvis *Hippolyto Guarinonio* non per omnia ſubſcribam,

bam, ſanguinem, ſi altius & cum ſtrepitu majore ex vena tuſa in vaſculum defluat, ſpumeſcere: impetum tamen ſanguinis primo proſilientis majorem multum ad contextum illum bullarum formandum facere, probabile ſit; ſi nimirum ille cum viſciditate ſanguinis intrinſeca concurrat.

Fallax proin adeo res cum ſit hæmatoſcopia, hanc ut caute & prudenter adminiſtret, nec in formandis hinc judiciis ſe præcipitem det medicus, ſuadeo; legat potius verba *Helmontii cap. 2 de febr.* inſerta: *Obriſi tabulam judiciorum ex adſpectu emiſſi cruoris, adeoque confirmavi mecum, a medicis cruorem ſervari juſſum, ut ſaltem hac ratione unam viſitationem ægris annumerent.* Prudentia E. opus in judicio ex cruore emiſſo ferendo.

Porro dum magna conſuetudinis, tanquam naturæ adventitiæ, vis eſt tam in ſanitatis conſervatione, quam morborum curatione, hanc in ſingulis inveſtigare, eique interdum aliquid dare ab *Hippocrate 2. aph. 49* jubemur: *adſueti conſuetos labores ferunt, etiamſi fuerint debiles aut ſenes, non adſuetis fortibus ac juvenibus facilius ferunt.* Ac *aph. 50 ex multo tempore conſueta, etiamſi deteriora fuerint, inconſuetis minus moleſtare ſolent:* cujus effati exempla quædam *cap. 4* recenſui. Quibus impræſentiarum addo, quæ de quodam Ariſtone commemorat *Galenus de adſuetud. c. 1.* qui habitus gracilioris orificium ventriculi ſuperius frigidum & valde ſenſile habebat, hinc calidum bibere conſuetus, cum ægritudine corriperetur, in qua frigidæ potus aliis profuerat, a Medicis imperitioribus frigidam bibere coactus, hinc convulſus obiit, prout ipſemet ſibi ac medicis conſulentibus prædixerat. Conſuetudinis ægrorum indagatio neceſſaria eſt. Inprimis vero conſuetudinem individuorum noſſe convenit quoad evacuationes, vel ſpontaneas, vel medica arte concitatas, qua nonnulla eorum hæmorrhagias narium aut hæmorrhoidum patiuntur, modo periodicas, modo erraticas; alia vomitu, diarrhœa, imo cholera, evacuantur; quædam phlebotomia, emeticis, alvum ſubducentibus &c. adſueta obſervantur: ne ſc. ſpontaneas illas excretiones illico exhorreſcamus, aut intempeſtive reprimamus; vel medicas negligamus cum ſubjecti periculo. In ſpecie quoad evacuationes. Niſi E. ipſemet infirmus, aut huic miniſtrantes conſuetudinum & deſuetudinum ejuſmodi medicum admoneant, commendat vero aut commendare hic velit remedium generoſius, aut diætam immutare, prius

 ſedulo

ſedulo disquirat, num forſan aliud ſuadeat aut diſſuadeat conſuetudinis ratio.

Item conſuetudinis locorum. Spectat huc conſuetudo locorum, in quibus medicinam facimus, quam ignorare multum præjudicat, & cui obſtrepere minus licet Medico, inprimis juniori; ne, ſi medela ejus haud adeo feliciter ſuccedat, quod inſueta ſuſceperit, i. e. morem neglexerit, taxetur. Ita v. g. in Gallia penes febricitantes diæta ſtrictiſſima obſervatur, pleniori victui condeſcendendum erit in noſtra Saxonia; iidem Medici Galli nec infantibus ſanguinem ſubtrahere verentur, abhorrent idem, puerili quamvis metu, noſtrates: quam conſuetudinem diſcernere multum juvat, & obſervare, quantum ſana ratio concedit, jubemur. Gallis, Anglis &c. ſolennes ſunt cucurbitæ majores, cum magna flamma, tantum non ignorantibus uſum minorum; quarum has expetunt & admittunt, illas detrectant & formidant, noſtrates: & quibusdam locis uſitatiora ſunt Galenica remedia, aliis præ chimicis exoſa. Lithuanis, Suecis aliisque populis ſeptentrionalibus frequentiſſima ſunt balnea, aliarum regionum incolis rariora: eorum plerique ſicut remedia pharmacevtica parum curant aut in uſum trahunt, ita prodigi omnino in adhibendis chirurgicis deprehenduntur, v. g. venæſectionis, cucurbitularum, fonticulorum & hirudinum, quas gingivis & palato admovent. Sicut commodius & cum ſalute evidentiore nonnullæ gentes hæc vel illa præſidia ferunt, aliis nationibus non adeo ſalutaria, v. g. Coſaci, qui multorum ſuorum affectuum medelam ab aqua vitæ ex frumento parata expectant, ita ut penes illos in proverbium abierit: Si caput dolet, bibe aquam vitæ, ſi pes doleat, bibe aquam vitæ, ſi venter doleat, bibe aquam vitæ &c. Tartari præter chirurgica nonnulla vix curant alia multa, v. g. ſi ſuſpicio fuerit febris malignæ, ex catuli leporini arteria carotide inciſa tamdiu ſanguinem ſugit æger, quamdiu valet, denique vero ejus pelle detracta & adhuc calente caput obvolvit, ſeque hoc modo ad ſomnum atque ſudorem diſponit. Vilioris conditionis homines, febre correptos, apprehenſis capillis exagitant & circumrotant, demumque in fluentem præcipitant, ſicque febrem extinguunt. In Curlandia multos reperiri traditur, qui opii crudi ſcrupulum integrum facile ferunt: quemadmodum Polonorum plerique ſtupendas doſes catharcticorum

rum

rum abſque virium dejectione, nec a multis ſeceſſibus, aſſumunt; & ſicut Modioli uſus in plagis capitis Suecis maxime familiaris, ſic fructuoſus valde, præ aliis populis, exiſtit: Imo pharmacopoliorum uſualia ſeu officinalia reſciſcere opus eſt cuilibet, qui ex illis remedia præſcribere contendit: quo ſc. eorum diſpenſatoriis ac catalogis ſe accommodet, neque ex ignorantia hac in ægrum damnum, in medicum calumnia, redundet. Et quamvis in civitatibus, quæ diverſis inſtructæ officinis uniſona omnium compoſitorum ac præparatorum in ſingulis illis neceſſaria & exoptanda foret conformitas, quia tamen, proh dolor! hæc utplurimum negligitur, circumſpectioris Medici etiam hoc muneris erit, ut individuales quaſi has compoſitiones exacte calleat, & a conſueta præparatione recedentium ac tantum non errantium pharmacopolarum mori ſe accommodet; potiſſimum ſi in evacuantium, opiatorum ſimiliumque generoſorum diverſa doſi aut præparatione diſparitas illa conſiſtat.

Sicut pariter magni momenti eſt monitum *Tulpii 1. obſ. 23. & Sylvii prax. app. tr. 5. §. 211. 212* cognoſcendam maxime eſſe Medicis individualem cujusque naturam ſeu idioſyncraſiam, præcipue in medicamentis ſimilibusque remediis præſcribendis atque diæta conſtituenda: quo exactius dijudicet, quid uniuscujusque infirmi natura ferat, quid ferre recuſet. Interrogandi ſc. ſunt hi, qualia alimenta ipſis proſint, qualia moleſtiam parent; & quales demum moleſtiæ ſint, quas ab incongruis patiantur, cum non ſinguli eodem modo a ſingulis afficiantur. Dum v. g. multi melancholici ſeu hypochondriaci a lactis dulcis uſu male ſe habent, & in iis hypochondria quam moleſtiſſime tenduntur: aliis vero ejusdem diſpoſitionis nulla hinc evenit noxa: Carnem bubulam ſolidiorem facile digerunt non pauci, non item lac dulce, quod alias facilioris coctionis habetur, cum paſſim pueri æque ac ſenes, utut debilioribus annumerati, facile hoc digerant. Læduntur facile a fructibus horreis, carne ſuilla, vervecina &c. quidam, nihil inde moleſtiæ capiunt alii. Præterea quoties aliquid ſingularis in ſuis obſervet medicus, ab his vel illis alimentis male ſe habentibus, toties monente eodem *Sylvio*, ſcrutetur idem & inveſtiget ſymptomatis illius cauſas veras, ſeu latentes & proximas, quo illis, quantum poſſibile inventis felicius & facilius ſuccurrere

Noſſe convenit ſyncraſiam ægrorum individualem.

Poſt cauſas evidentes indagandæ etiam latentes.

queat malis. Nempe vix noſſe ſufficit, a lactis potu quem colica corripi, niſi, propter obvium in corpore acidum hoſtile, ac coagulum hinc productum in ſpaſmos abdominis eum conjici conſtet.

De inviduali craſi in opio ultra ſcrupulum, drachmam ſemis &c. quotidie, ſine œconomiæ animalis evidente conturbatione, aſſumendo nihil referam, tale quid teſtantibus diverſorum autorum obſervationibus & practicorum experientia, commemorare tantum mihi liceat hic antipathiam, quam eidem opio & Viro certo intercedere novi, qui quoties hoc utitur, propter ſymptomata, quibus frequentius exponitur, & quibus communiter opiata præſentaneum præſtant auxilium, ad ſomnolentiam ac levia deliria equidem, nunquam vero ad ſomnum, hinc diſponitur, nec illorum ullum levamen ſentit. Cantharidum uſus in veſicatoriis tantum non quotidianus eſt, quem nihilominus detrectant, qui teneriora fovent organa urinaria: in qualibus illæ dyſuriam, ſtranguriam &c. frequentiſſime patrant. Caſtoreum, ſexui ſequiori alias amicum valde, quædam mulierculæ nihilominus adeo abhorrent, ut ab ejus odore mox inſigniter percellantur: quemadmodum memini Viri cujusdam Nobiliſſimi ac Eruditiſſimi, nunc beate defuncti, qui a Scammonio in leviori doſi vel per ſe, vel cum aliis catarcticis, propinato peſſima ſemper experiebatur ſymptomata; & pariter novi fœminam, quæ theriacæ, theriacalium, & theriacali odore imbutorum aſſumptionem valde nauſeat, hincque graviter exagitatur; ſicut formæ medicaminum aliæ præ aliis nonnullis gratiores, imo felicioris operationis, exiſtunt. Quæ cuncta ſola manifeſtat experientia & circumſpectior indago, quo ille haud pertingit, qui in univerſalibus tantum præceptis hæret: & variari poſſunt facile medicamentorum materia ac forma, atque hæ quidem juxta Sylvium *tum pro ægrorum moroſorum aut delicatulorum lubitu, tum pro ſimplicium diverſitate, tum pro ſingulorum operatione felici, & quidem ſecundum ipſorum ſubjectorum diverſitatem &c.*

Opium cuidam minus proficuum.

It cantharides.

Caſtoreum.

Scammonium.

Theriaca.

Præterea ad feliciter faciliusque medendum valde conducet disquirere in morbos latentes, ſi qui forſan eorum hujus vel illius remedii applicationem disſuadeant, v. g. Hernia inteſtinalis ac omentalis, paſſio hyſterica, hæmoptoſis &c. vomitoriorum & ſternuta-

Dignoſcere convenit præter morbum evidentem alios forſan junctos.

nutatoriorum ; utpote quæ abdomen vehementius concutiendo ac tendendo peritoneum latius laxant & rumpunt, hyſtericas in paroxyſmos atrociores conjiciunt, & ſputationis cruentæ recidivas pariunt. Eadem emetica ac ptarmica cum purgantibus ac Venæſectione aliquando dubia reddit imprægnatio ; quam ideo, antequam quoddam illorum adminiſtremus, ſtudioſe ſciſcitare jubemur, ne ex frivolo & temerario eorum uſu moveatur abortus : quemadmodum diuretica propinare vetant inflammatio ac ulcera renum & veſicæ, quorum dolores hinc exacerbantur, medela autem turbatur.

Ipſorummet etiam ægrotantium vafrities aut fatuitas potius ad duplex inſuper fraudulentiæ genus eos adigit : nempe ut morbos modo ſimulent, modo remedia commendata ſe adhibuiſſe falſo fingant : per utrumque non medico, ut putant, ſed ſibi, imponant. An ad officium medici Clinici, an Forenſis, ſpectet morbos ſimulatos & diſſimulatos detegere, hæreo : poſtquam quidem a Magiſtratu ad illud præſtandum & de his teſtificandum poſtulatur idem ; interdum tamen huic per fraudes ejuſmodi imponitur ac hujus medela turbatur. Fingunt quidam morbos, a quibus immunes, occultant alios alii revera exiſtentes, quemadmodum denique alii, ut morbum verum ſeu genuinum commodius negent, falſum profitentur, adeoque ſimulando diſſimulant : utrumque agunt aut lucri capeſſendi, aut damni evitandi, gratia. **Quemadmodum ſimulatos, ac diſſimulatos.**

Caſus fraudum harum cunctos recenſere, res ardua erit, cum eorum numerus fere infinitus ſit ; nec hujus loci negotium hoc dicendum, dum de plerisque illorum teſtificari tantum tenentur, medicus, pauciorum medela ab eo deſideratur. Superius ex Botallo recenſui catalogum fatuorum, qui veros ſub falſis diſſimulantes morbos obliquam medelam a medico poſtulent, quibus nunc addo, qui nephritidem, ſtranguriam, contuſiones inguinum, vigilias &c. mentiuntur, quarum tamen neutram patiuntur, ſed dolores capitis & artuum venereos, gonorrhæam, bubones gallicos &c. quæ fateri detrectant : ſimulant fœmellæ menſium ſuppreſſionem, hydropem, ſtrangulationes &c. quæ gravidæ, ut a Medico purgationem, ſanguinis miſſionem, opiata, menſes & fœtum pellentia extorqueant, veroque morbo, ſub querela de ficto, medelam clanculum præſtent.

Fictos morbos modo facile,

Has impoſturas fictosque morbos modo facilius, in hominibus idiotis & ſimplicibus, modo difficilius, in callidioribus ac verſutis magis, cognoſcere datur: nunquam tamen ſine ſagacitate eximia & ingeniis certis, ut ajunt. Difficilius, aut non adeo diu, ſicut nonnulli affectus ſimulari valent, ſc. quorum certa & extantiora ſunt ſigna, inprimis febrem de neceſſitate combinatam gerunt; ita nec in his medicum aut quenquam ſanioris judicii hominem falli poſſe, probabile ſit: contra illos, quos facilius fingere licet, a veris diſcernere majoris laboris deprehenditur.

modo difficulter, cognoſcere licet.

Difficulter ſimulatur pleuritis, peripnevmonia, hæmorrhoidum extuberantia, hernia, urinæ ſuppreſſio &c. aut qui tales affectus fingit, brevi ſemetipſum prodit: aſt delirium, vertiginem, ſenſuum externorum hebetudinem ac defectum, dolores, animi deliquia quo facilius ſimulantur, eo difficilius dignoſcuntur.

Quomodo ficti morbi a veris diſcernendi.

Artificium ſeu ingenium ejuſmodi morborum ſimulatores deprehendendi vel generalius, ſeu pluribus affectibus fictis commune eſt: vel particulare magis, ac ad certos tantum, ſeu ſingulas eorum ſpecies, determinatum. Generalior ratio ſimulatos morbos detegendi variis innititur conjecturis, alienis ſc. ac minus medicis, in eo tamen convergentibus, ut ſciſcitemur cauſam, per quam ſuſpectus ac falſus videri poterat morbus, quo diſſimuletur forſan aliquando morbus verus: v. g. fœmina ſeu uxor ut maritum moroſum ad benevolentiam flectat, ſervus ut malorum moleſtias detrectet, & quæ ſunt ſimilia. In ſpecie vero ex adjunctis ſeu ſymptomatis præſentibus morbum aſſertum adeſſe judicamus, ex iisdem, ſi deſint, ſimulationem ejus per experientiam medicam ſuſpicamur, v. g. ex vigiliis dolores, ex urinæ ſuppreſſione calculum &c. & contra, ſi, qui apoplecticos ſe gerant, a rebus ſenſibilibus magis & dolorificis, v. g. ſternutatorio, fumo ſulphuris accenſi, veſicatorio, cucurbitulis cum magna flamma, facile aut difficulter exagitentur; & dolore organa thoracis reſpiratoria vere affici, parva ac denſa dum monſtrat reſpiratio, qui ſimulatus ex reſpiratione integra deprehenditur protinus.

Nec diſſimulati morbi ſemper æque facile dignoſcuntur.

Perinde morborum celatorum alios facilius, alios difficilius, manifeſtari obſervamus: nempe, ubi ſymptomata & ſigna eorum ſunt manifeſta, quibus præſentibus neceſſario concluditur ipſius affectus exiſtentia, abſentibus de eodem dubitatur. Quibus notis accedunt

dunt vitæ genus, diſpoſitio hæreditaria caſus fortuiti ſimiliaque, per qualia illorum quoque, qui in diſſimulando callidiores ſunt, morbos probabiliter eruimus: v. g. ſi quis cum fœminis ſuſpectis commercia habuerit intimiora, ab impuris parentibus natus, & valetudinarium agat, de lue gallica non levis præſumptio emerget; aut ſi quem non commode ambulare, manus hypogaſtrio ſæpius admovere cernamus, conſtet vero de contuſione ejusdem hypogaſtrii vehementiore, olim facta, eum hernioſum recte auguramur. Aſt quia hæc ſpecialiora ex praxi demum ſpeciali evidentiora evadent, ad alterum infirmorum impoſturæ genus deflecto, illis damnoſum, medico vero moleſtum.

Nimirum aliquando ægrorum moroſitas & fraudulentia eousque accreſcit, ut per eam maxime obſequioſos equidem in remediorum uſurpatione ſe fingant, hæc tamen ne quidem parari curent, multo minus aſſumant, quaſi deglutita revomant, per feneſtras projiciant, ſicque medicum fallere ſibi præſumant. Hinc vigilantiores ſpeculatores atque excubiatores, ſeu hunc ipſummet potius, attentum maxime hæc exigunt, quo minimum certius ſciat, præſcripta rite fuiſſe uſurpata, non turbetur in indicationibus formatis exequendis, moliaturque omnia fruſtraneo conatu. Imo vel hac de cauſa quoque, an adhibita fuerint eadem, ſciſcitari debet Medicus circumſpectus, ne v. g. altero die accedens & ægrum melius ſe habere obſervans, illico medicamenti heri commendati efficaciæ hoc tribuat, ab iis vero, qui ejus uſum neglexerunt, irrideatur, qui ſucceſſum medicamento non aſſumpto decernit. Sed vanus erit hoc in paſſu omnis labor, niſi forſan ex pharmacopæo, an parare curaverint medicamentum, reſciſcas: aut adſtantium ſeu miniſtrantium quendam tibi fidum noris, aut ipſemet infirmus reconvaleſcens ridendo verum dicat, aut effectus irritus de hoc neglectu te certiorem reddat.

Ægri aliquando non aſſumunt præſcripta.

Qualem fraudulentiam noſſe convenit.

Neque demum inutile erit ſuſpicari & ſagaciore nare disquirere in concurſus & advolatus medicaſtrorum, quos plebem non tantum, ſed prudentiores quoque ſibi viſos, medico genuino & ordinario clam, advocare, vel ab aliis ut adducantur, pati, ægrorum tot improviſa funera teſtantur, lugent horum familiares & conqueruntur medici: aliquando eos eousque tolerant, vel tolerare coguntur, donec

Noſſe etiam prodeſt alios medicos clandeſtinos.

donec ſuo ſuorumque periculo ſapiat piſcator ictus. Quos nihilominus temerarios tempeſtive ſatis noſſe, e re tam Medici, medelam gubernantis, quam ægri, eam efflagitantis, foret. Nihil referam de illa hominum ejuſmodi imperitia, per quam forſan incongrua plane & pernicioſa remedia adhibent, ſed liberrime largior, aliquando etiam utilia & efficacia maxime eos ſuadere & propinare; nec tanti faciam ludibrium, cui ab iis, qui in admittendis ejuſmodi noctivagis adeo faciles ſunt, exponitur medicus peritus ac probus: illud tamen non raro ex adminiſtratione remediorum ab illis clam facta redundat in hujus exiſtimationem & ægri ſalutem deſideratam incommodum, quod idonea applicentur intempeſtive, hinc eventum inexpectatum doleat uterque, doleant adſtantes, doleat aliquando Reſpublica & Eccleſia. Ita v. g. commendat ejuſmodi erro vomitorium febricanti, morbum & cauſam morbificam ſi intuearis, ſatis appoſite, propinatur hoc hæmoptoico, hernioſo, neutri ſine evidentiore periculo, qualem ſc. ægrum non cognoverat ille: menſes movet cum medico ordinario latitans, per eandem etiam remediorum materiam; nonne vel rudiorum quivis habet, quod ex conglomeratione ſeu cumulatione horum præſidiorum damna certiſſima metuat? Opiata præſcribunt non ſine ratione quotidie medicorum peritiſſimi, præſcribunt & exhibent eadem pſeudomedici, intempeſtive autem & rationem ſanam excedente doſi. Quodſi proin medicus ordinarius unum vel duo grana propinet Laudani, ſuperaddat (propinati hujus medicamenti inſcius) clancularius non tria, non quatuor, ſed bina tantum, grana ejusdem hypnotici, nonne doſis hæc opii duplicata potens eſt torpori gelido inducendo?

Damna a clandeſtinis medico emergentia.

Artes ejuſmodi ſuggreſſores deprehendendi vix ubique ſuppetunt, cum adeo clandeſtinis gradibus domos & cameras ægrotantium irrepant, quibus obſervandis Argus oculatiſſimus haud par ſit. Qualem difficultatem auget hoc, quod adſtantes eos ipſimet inducant, occultent ac diffiteantur ſeu diſſimulent: adeo quidem, ut quamvis peſſime cedant illorum conſilia ac præſidia, communis etiam rumor, ſi inprimis in Honoratiorum corpora & animas ſævierint, variaque indicia eorum ſcelera evincant, ſolliciti tamen hi ſint potius de rumore & indiciis his, vel per increpationes, vel blanditias,

Medici ſuggreſſores difficulter deprehenduntur.

vel

vel per obtumeſcentiam, quam animus male ſibi conſcius injungit, diſcutiendis & cum defuncto ſepeliendis, quam de ſuo cum propudiis talibus communi errore confitendo ac morte inſontis vindicando. Loquuntur nihilominus de temeritate & facinore illorum pharmacopolia, miniſtri & tantum non ipſum corpus delicti.

Caput VIII.

De *Officio Medici judicantis ſive præſagientis.*

Sub hoc complector judicium de morbi eventu, vel ad ſalutem, vel ad mortem, item de morbi vel curabilitate vel incurabilitate: i. e. quemadmodum per diagnoſin conſtat de morbo & hujus cauſa; ita per prognoſin de ejus eventu. Et pars Medicinæ, quæ modum & inſtrumenta ejuſmodi judicium ferendi ſuppeditat, ars prognoſtica audit. **De morbi eventu judicare neceſſarium.**

Quanta ſit hujus doctrinæ dignitas atque neceſſitas, vel ſolus *Hippocrates* innuere videtur, dum non tantum diverſa commentaria de argumento hoc conſcripſit, ſc. *de diebus criticis, de criſibus, prognoſtica, prædictorum libros duos & Coacas prænotiones*, ut cætera ejus ſcripta taceam, e quibus ſupellectilem largiorem prognoſticorum petere licet: ſed *prognoſticorum t. 1.* quoque egregiis rationibus idem comprobat prolixe ſatis.

Sc. hæc medicinæ pars, etſi exigua videatur, emolumentis tamen inſignioribus gaudet, quatenus Medicus, qui ea circumſpecte penes ægros utitur, *primo* artis & ſuo honori ſeu autoritati proſpicit illamque a contemptu & cavillationibus vindicat, hoc eſt, *admirationi*, juxta *Hippocr. merito is & bonus medicus exiſtet, cum ſanos omnes facere ægrotos impoſſibile ſit.* Quatenus incurabiles etiam affectus, notante *Seidelio de morb. incurab.* arti medicæ ſubjiciuntur, præſagii ſc. ratione, ut videlicet eos dignoſcat & incurabiles fore, judicet, adeo, ut per judicioſam etiam mortis prædictionem, ſecundum *Botallum*, præter id, quod penes conſanguineos & alios, quibus talis mors acerba videtur, doloris partem minuas, facias, ut rebus ſuis & animæ patientis **Prognoſis medico autoritatem conciliat.**

Item, ut malo imminenti tempeſtive medeatur, facit.

opportune conſulent. *Deinde* ad id quoque prognoſeos notitia accuratior conducit, ut medicus in medendo malum imminens & præviſum ab ægro avertat, bonumque ſperandum ſub occaſione præcipiti acceleret, ſeu ſecundum eundem *Hippocratem*, *quos ſuperſtites manere poſſibile eſt, eos adhuc magis recte conſervare poſſit, ex multo tempore conſilium adhibens ad ſingula; & tum morituros, tum ſervandos, prænoſcens ac prædicens, a culpa exors fuerit.* Præterea ac *tertio* prænoſcens ac prædicens apud ægros, præter præſentia & præterita, futura quoque, fidem ſibi facit, cui homines ſeſe committere audeant, & cujus monitis atque præceptis obſequioſos magis ſe præſtent.

Ægri confidentiam & obſequium auget.

Aliquando tamen prognoſticum minus gratum iis contingit.

Quamvis optime meminerim, aliquando medicorum ingenuorum prognoſticum minus gratum, ſeu quod ſalutem deſideratam ancipitem reddebat, fiduciam ægri multum conturbaſſe, medicum vero timiditatis ac ignorantiæ ſuſpectum præſtitiſſe: præprimis ſi eorum alii acceſſerint, qui vel ex ignorantia, vel ſpe lucri, vel ut primo medico inſidientur, plus promittendo ſpem ægri inflent, tandem fallant.

Prognoſis eſt res difficilis.

Quo excellentior autem & majoris momenti hæc prædicendi ars eſt, eo gravioribus ſtipatur difficultatibus, ut in ea exercenda ſæpius falli & errare contingat ſapientiſſimos & in palæſtra medica exercitatiſſimos: quatenus quæ quoad præcepta ejus plus minus abunde ac prolixe ab infinitis Scriptoribus tradita facillime intellectu videntur, in praxi tamen & applicatione deprehenduntur difficillima, minusque negotio expediundo ſufficiunt. Animadverterunt hanc difficultatem Practici non minus, ac Commentatores, diverſi, inter quos præclare eam declaravit *Medicus Hiſpalenſis illuſtriſſimus, Caſpar Caldera de Heredia, in Tribunali medic. magic. & polit.* primis duobus integris libris, vix tamen ſine prolixitate tædioſa.

Habet nimirum hoc ars noſtra cum nautica commune, ut utraque ex probabilibus tantum ventura conjiciat, & ex ſignis non adeo fidis colligat futura: hinc certam in omnibus ſubjectis & caſibus inſtituere prognoſin vix poſſibile videtur, *neque aliquem ita feliciter præſagientem vidi*, ait *Caldera de Heredia*, *quem ſæpius non falleret docta præſagiendi ſolertia.* Cujus quidem difficultatis & tantum non impoſſibilitatis ratio generalis ſita eſt in morbo hujusque adjunctis,

Hujus difficultatis ratio.

ut

ut mox declarabo, maxime latentibus ac obſcuris, viriumque difficiliore commenſuratione. Et primo quidem nonnullorum morborum ſigna pleraque natura ſua adeo abſtruſa & abdita ſunt, horum etiam quidam aliquando ratione eventus tantum involvunt fortuiti, ut nulla exerant ſigna, quibus prænoſci poſſint. Semiologia enim, adeoque prænotio etiam, ejus pars, per evidentiora & in ſenſus plus minus incurrentia ad ignoti ſeu latentis magis cognitionem deducit, ſeu iis, tanquam veroſimilibus, in prædicendo utitur conjecturis, i. e. non eousque infallibilibus, quin res aliter & præter opinionem evenire queat: qualia proin adminicula ſeu manifeſtativa ſi nobis deficiunt, & cuncta morbum ſpectantia ſenſus noſtros fugiunt, quid abſoni, ſi animus in præſagiendo hæreat aut fallatur. Quam frequentiſſime contingit, nonnullos mori antequam ægrotent? i. e. morbo ſenſibili & evidente corripiantur, quorum obitus citius ſtupemus, quam ejuſmodi eventum triſtem ominari valeamus: pereunt nihilominus nec hi ſine morbo, longius aut proxime præcedaneo; quem interdum in eorum cadaveribus cernere, aliquando nec in his ullam ejus notam obſervare, datur. Quot diſcedunt apoplectici, ſtrangulati ac ſyncoptici ex polypo, collectione aquarum, apoſtematis latentis ruptura, ſimilive anomalia omnimode ignota? obeunt alii ex ſubitanea ſpirituum conturbatione, circulatione ſanguinis impedita, ſeu ab aliquo incongruo in fluidis noſtris intrinſecis genito, quod venenum pronunciare volupe ſit, & de quali ex effectu tantum funeſto, antequam dignoſcatur, conſtat. V. g. expectatione frequentiores ſunt non modo febres tertianæ intermittentes, omnis periculi expertes, quas nihilominus inopinato duplicari & in continuas abire ac enecare, mecum alii norunt: ſed tales quoque, quæ ſub indole tertianæ genuinæ & in hujus acceſſu eandem tragœdiam agunt. Qualis generis, imo atrocioris, videtur extitiſſe illam tertianam, cujus *Caldera de Hered. lib. 1, c. 1* mentionem facit, veram ſimplicem & levem in Matrona quadam *Salmantica*, quæ in apyrexiæ ſtatu & cum mixturam ex Sirupo Endiviæ ac Aqua Scorzoneræ aſſumeret, ſubito & præſentibus adhuc medicis animam exhalabat.

Ob ſignorum defectum.

Febres aliquando intermittentes præter opinionem enecant.

Porro quædam febrium adeo fraudulentæ exiſtunt, ut ſub ancipiti earum alea nullam in artis principiis prædicendi experiamur

 ſecuri-

Malignæ febres ſunt fraudulentæ.

ſecuritatem, ſed levi occaſione præſagium irritum reddatur, fallaturque crebrior quoque experientia: quale quid agnoſcens *Hippocrates* acutarum prædictiones incertas pronunciat. Quemadmodum has nunquam infallibiles deprehendimus in malignis, ubi quosdam evadere, quosdam mori, ſub iisdem fere ſymptomatis atque phœnomenis utrisque promiſcuis, vomitibus, dejectionibus, hæmorrhagiis, ſudoribus, maculis & exantematis: quatenus hæ excretiones haud penes omnes decumbentes unam eandemque cauſam agnoſcunt, i. e. modo criticæ, modo ſymptomaticæ, & illæ modo ſalutares, modo periculoſæ, ſunt. Quales tamen ſub confuſione ejuſmodi diſcernere viresque ſimul fideli & æqua lance librare, res utplurimum in praxi difficillima eſt, dum quosdam in conſtitutione maligna ex improviſo plane obire, pulſu & urina a ſtatu naturali haud recedentibus, mente valida cæterisque functionibus ſatis adhuc integris cernimus. Ducimur ſiquidem per veroſimiles conjecturas & per cauſas, quæ effectus innuunt, quibus deficientibus dubius manet animus, & ab humano judicio talia prævideri nequeunt.

Malignitas non ſemper mox in principio dignoſcitur.

Prognoſin aliquando fallit ſuperveniens ſymptoma.

Aliquando cauſa latens.

Neque tamen malignitatem morbi ſemper tempeſtive ſatis perſpicimus, ſeducti hujus forſan apparente benignitate & blanditiis per ſymptomata leniora & pauciora; ideo ut fraudulentia ejus ex vehementia ſymptomatum, tardius juſto utplurimum, compareat, & in minus ſperata diſcrimina incidat æger. Aut etiam morbus non malignus fallendi occaſionem nanciſcitur, ut medicus ſalutem polliceatur, dum graviore ſuperveniente ſymptomate, cujus principium & cauſam ille ignorat vel minus attendit, nihilominus ægrotus perit. Quamvis hujus fallacitatis cauſa modo in Medicum redundet, qui in ſciſcitando negligens; modo in ægrum huicque familiares, ſi in explicanda totius corporis habitudine fuerint moroſiores, timidiores &c. Invadit quendam v. g. nauſea cum vomitibus, ex crapula, qualia ſymptomata minus periculoſa aſſereret medicus prudens quilibet, illud tantum, quod in præſens elucet, non, quod imminet, animadvertens, & neſcius v. g. herniæ, quæ, occaſione illorum conatuum vomendi, motum inteſtinorum periſtalticum brevi ad deſperationem usque invertere poterat. Simili modo res ſe habet, ſi cephalalgiæ vel ſimili capitis affectui habituali, ex hac vel illa proca-

tarxi,

tarxi, obnoxius febre corripiatur continua, miti ſatis & non adeo vehementibus ſymptomatis ſtipata: promittit ægroto quælibet fauſta medicus, quem latet illa capitis infirmitas habitualis, qualis nihilominus a febre actuata, in vigilias, hinc delirium & convulſiones lethales conjicit.

Simili prædictionis difficultati involvitur ruptura abſceſſus in pectore, meſenterio, epate, ſenſim formati & paulatim maturati; quatenus ruptionis tempus non poteſt determinari in iis, qui per congeſtionem cumulantur: quoniam nec eadem ſemper quantitate ſanies ejus, tanquam cauſa conjuncta, colligitur, neque par ſemper partium ſolidarum huic congeſtioni reſiſtentia, nec caloris maturantis æqualis ſemper vigor; poſtquam inſuper varia externa eandem rupturam procraſtinare & accelerare valent, illud quidem frigus externum, hoc tuſſis, caſus ſimiliaque. Neque modum ruptionis, hinc periculi rationem, æque ſemper præſagire poſſumus, v. g. vomicæ pulmonum, an futura ſit ad cavitatem thoracis, an ad tracheam, & ad hanc quo impetu: epatis & meſenterii, an ad ventriculum & inteſtina, an abdominis cavum, ſub qua circumſtantiarum diverſitate plus minus periculoſæ rupturæ tales pronunciari poterant.

V. g. abſceſſu viſcerum.

Inſuper difficultatem prædicendi morborum eventus ſingularem aliquando præſtat conſtitutio cœli epidemica, quam antequam cognoſcat medicus, eum in hoc negotio falli & fallere non infrequens eſt, vitio tamen verti haud debet. Frequentius hoc obſervamus in Variolis & Morbillis, aliquando utrisque ſatis benignis ac ſub mediocri tantum regimine ſalutaribus, dum alio tempore ſub exactiore etiam diæta & cura pereunt plerique; hinc in præſagiendo non poteſt non error facile admitti. Simile quid experiuntur gravidæ cum puerperis, quibus unum tempus altero propitius exiſtit: dum earum pleræque aliquando facile pariunt & felicius tranſigunt puerperium; multæ contra inſequente menſe aut difficilius pariunt, aut, quæ etiam leviſſimis enixæ fuerunt ſymptomatis, lochiis probe fluentibus, & cum optime degere videntur, inopinato & brevi a partu expirant, aliæ harum poſt febrem demum mitiorem gravioremque idem fatum experiuntur & fatis cedunt.

Prognoſticum turbat etiam cœli conſtitutio epidemica.

Quinimo locorum etiam conſtitutio endemica ſeu vernacula nonnullos morbos plus minus pertinaces ac periculoſiores reddit, dum v. g. vulneribus capitis atmoſphæram ſub Linea Æquinoctiali difficilem teſtatur *Paw in Hipp. de vuln. cap.* qualia in Germania minus periculoſa, ac in Hiſpania & Italia perhibet *Sebizius exam. vuln. prodr. part. 3.* perinde ac *Paræus lib. 10. c. 8.* cum *Guidone de Cauliaco* capitis plagas Pariſienſibus præ Avenionenſibus difficilioris curationis perhibet: Cœlum fervidius gravius contingit varioloſis, ſub hoc febres frequentius critice ſolvuntur, penes nos ac in regionibus magis Borealibus rarius. In locis paludoſis, undoſis & marinis degentes ſcorbutici vix ſanantur, ſed frequentius ſub gravioribus ſymptomatis pereunt. Frequentiores & contumaciores eveniunt febres illis, qui aura ejuſmodi craſſiore fruuntur; minus, qui ſerena ac ſicciore. Sc. juxta *Teſſalum in orat. ad Athenienſ. non omnes loci eadem auxilia ferunt, eo quod non omnis ambiens nos aër ſimilis eſt.*

Et plures forſan occaſiones extant & extare poterunt, quæ nobis præſagientibus imponant, nolo tamen, nec potero in iis recenſendis me prolixiorem exhibere, poſtquam adhuc fallacias, quas uroſcopia & pulſus exploratio nobis inſinuant, paucis innuere mens eſt. De urinarum equidem inſpectione communis fert traditio, inter omnes illas res, quæ medicis ſignorum fontes præſtant, vix ullam hac certius præſentia & futura in infirmis declarare: de qualibus nihilominus auguriis hinc inde legimus dubitare autores minus credulos ac ſuperſtitioſos, jubet dubitare quotidiana praxis. Quantum uroſcopia fallat, infinitis experimentis comprobari poſſet, niſi *Foreſtus* præ cæteris horum plura in libris ingentis eruditionis tribus, quos *de incerto ac fallaci urinarum judicio* conſcripſit, commemoraſſet: inprimis in poſteriore, ſi recte memini, plus utplurimum incertitudinis ac imposturæ, quam fidei ac veritatis, uroſcopiæ ſubeſſe, ſeu ex inſpectione urinarum ſolitaria nihil, aliis phœnomenis & ſignis combinata parum, certi concludi poſſe, i. e. argumenta aliquando probabilia, rariſſime demonſtrativa, uno verbo, meras conjecturas, eam ſuggerere, declaraſſet. Adeoque nunquam in tantum præjudicii me abripere potuit vel ſordidior avaritia, vel callidior impudentia, quam alii jactant, ut denariolos binos vel trinos per

Urinarum inſpectio fallax.

uroman-

uromantiam ex plebe ſimplici extorſerim, vel huic morbi indolem, occaſionem, cauſam, eventum ſimiliaque ſtolida poſtulata me ex urina pronunciaturum aſſimularim, ſeu aſtuta mendacia, quod medici ingenui haud eſt, proſeminarim. Poſtquam attendi, ante omnia noſci oportere exacte naturalem cujusvis, quod tractamus, ſubjecti urinæ habitudinem, antequam adæquata, quæ præternaturalis eidem ſit, feratur ſententia. Differunt urinarum conditiones, pro ſubjectorum diverſitate.

Cum non ſingulorum corporum lotia iisdem affectionibus gaudere queant, ob diſſimilem eorum temperaturam ac diætam, quibus urinæ etiam naturales diſſimiles redduntur; quales circumſtantias harumque minima vix ulli medicorum ſcire datur. Accedit, quod earum conditiones diverſæ, ſive in his combinatæ, ſive (multo frequentius) ſeparatæ, pluribus morbis, ſi non contrariis, certe diſparibus, eorumque cauſis ſint communes, urinamque v. g. craſſam & intenſius tinctam excernat febricitans æque ac ſcorbuticus, aſciticus &c. palleat & tantum non omni colore deſtituatur lotium in calculoſis, hypochondriacis, verminoſis, ventriculi indigeſtione laborantibus &c. Eadem tenuis acutæ febri expoſitis delirium & funus præſagit, nominatis ægris nihil periculi aut portentoſi minatur. Variat urina in febribus non ſemper ſecundum harum genium & cauſæ rationem, ſed aliquando ſecundum renum quoque habitudinem diverſam & plus minus p. n.: quemadmodum ex hoc fundamento urinam ſine omni ſemper contento, quamvis coloris & conſiſtentiæ laudabilis, in tertiana ſe vidiſſe perhibet *Riverius 1. obſ. 22.* In urina obſervantur phœnomena diverſis morbis communia.

Fallacem porro quam maxime præſtat eadem Uromantia prognoſin in ſalute & exitio infirmorum prædicendo, v. g. in peſte non tantum & peſtilentialibus febribus, ſed aliis quoque plus minus malignis, imo intermittentibus, item in pleuritide, angina ſimilibusque inflammationibus internis, quarum urinis non raro ſignum ſalubre ægro lethale obſervatur, ac unum idemque lotium ſalutem ac mortem, ſeu hanc ſub illius fuco, innuit: quemadmodum hydropicos non raro ac pulmoniacos cum urina ſatis laudabili ſuffocari, experimur. Quod quidem non adeo obſtupeſcere debemus, quod nec ipſis coctionis ſignis, quæ in urina concipimus, quærimus & conſpicimus, Fallax hinc petita prognoſis. Fallunt ſi quidem ſigna coctionis.

cimus, adeo prompte fidendum eſſe, frequentius & præter expectationem edoceamur, idemque fateatur *Camerarius*, Medicus ſui temporis peritiſſimus ac ſagaciſſimus, *memorabil. medic. cent. 18. c. 82* his verbis: *Reſpondeo*, (ad præcedanea & ab eo recenſita argumenta) *Galenum & Hippocratem* εὐσημείωσιν *ex urinis ſumendam eſſe, non abs re prodidiſſe, ut quæ medici manum ad diætam & curationem quaſi manu dirigant. Attamen cum illis conſiſtentia, quantitate, qualitate & contentis laudabilibus conſpectis non raro interire hominem doceat experientia, non eſt, quod ipſis integram redeuntis & imminentis valetudinis fidem adhibeamus. Hujus rei veritas in felicis memoriæ Barone Durlaci nuper ægre laborante, nunc in cœlis ſuaviter quieſcente, præſente & præſide Ludovico Schmid &c. comprobata eſt. Æger ille cum quinto, ſexto & ſeptimo die urinas omnino laudabiles emiſiſſet, octavo cum iſtis coctionis ſignis, præter ſpem celeriter defunctus eſt.* Quæ ac hujus generis alia momenta Collegio Medico Londinenſium quondam occaſioni extiterunt, medicis illius civitatis interdicendi, ne ex urinarum nuda ſive ſolitaria inſpectione, i. e. non niſi coram ægro, pronuncient, conſiliumve ac remedia impertiant.

Etiam judicium ex pulſu fallit. Pulſus inter actiones vitales, quarum ductu vires ægrorum exploramus, maxima ratio haberi ſolet, adeo quidem, ut nonnullus olim cecinerit:

Urinæ fraudes aperit diſcretio pulſus.

qualem nihilominus valetudinis hujusque conditionis & circumſtantiarum i. e. de quantitate qualitateve ſanguinis & cordis impetu ſeu viribus, haud ſemper teſtem omni fide majorem eſſe, per rationem atque experientiam pariter edocemur. **Pulſus etiam naturalis variat pro individuorum diverſitate.** Quatenus primo haud improbabile & frequentiori obſervationi conforme eſt, pulſum naturalem unius individui alienum ſeu diverſum plane a pulſu alterius, quoad diverſas conditiones, exiſtere, ſeu in ſtatu etiam naturali, pro ſubjectorum diſparitate variare, corde modo potentius, modo remiſſius, modo frequentius, modo rarius, ſive per cauſas naturales, v. g. ætatem, ſexum ac ſingularem idiocraſiam conformationemve, ſive non naturales, v. g. tempus a paſtu diverſum, animi commotiones, vibrante, aut ejus impetu ad locum, ubi pulſus contrectari ſolet, impedito. Conformationis extraordinariæ arteriæ carpi, in qua pulſum

pulſum omnium frequentiſſime exploramus, per quam in judicio ex hoc formando aliquando fallimur, obſervationes hinc inde petere licet: quibus aut arteriam illam tendinibus profundius immergi, aut tractu conſueto derelicto ad locum minus conſuetum deflectere, hincque pulſum evidenter immutari eluceſcet; & unde, de pulſuum diſcrimine conjecturas congruas formari haud poſſe, quam de luſu ejuſmodi individuali naturæ conſtiterit, perſuademur.

Ita *Tulpius 3. obſ. 45* de quadam Maria Godofreda refert, eam in manus ſuæ carpo tam exilem ſeu gracilem habuiſſe arteriæ ramulum, ut ejus motum deprehendere vix licuerit, collocaſſe vero naturam Polydedalam in ejusdem manus dorſo, inter pollicem ac indicem, arteriam, quæ alias per interiora carpi fertur. Addit nominatus Scriptor, ſimilem arteriæ diſtributionem in aliis quoque ſubjectis ſe obſervaſſe, & quidem evidentiſſime in Senatore quodam Amſtelodamenſi, quem hujus diramationis ergo aliquando celebris Medicus falſo judicarit peſte infectum: Quale quid *Eruditiſſimum Pechlinum* quoque *lib. 2. obſ. 5* annotaſſe recordor, ubi, quibus nullo apparente in utroque carpo pulſu, medio itinere inter pollicem atque indicem, qui eſt venæ cephalicæ manus ſeu ſubtilioris locus, non digitorum tantum tactui, ſed oculis quoque videnda, emicuerit pulſans arteria, refert: Cui quid par in Viro hujus civitatis Spectatiſſimo & Meritiſſimo, nunc cordatioribus cunctis Deſideratiſſimo, memini, ſub hac tamen diſparitate, ut arteria micans non interſtitium dictorum digitorum, ſed ipſius pollicis dorſum, perreptarit. Analogam his naturæ παρέκβασιν teſtatur *Bonetus Mercur. Compital. lib. 20. §. 53* in eccleſiæ quodam Paſtore, cujus pulſum exploraturus cum manum carpo admoveret, motum nullum ſe deprehendiſſe, ſitam autem arteriam in cubitus flexu pulſum micantem ac validum ejus loci indicaſſe. Et ſingularia ſunt, quæ idem *Pechlinus* l. a. annotavit, de quibusdam, qui uno brachio ac carpo vulnerati gravem hujus hæmorrhagiam paſſi fuerint, pulſum arteriæ poſtmodum illa parte languidiorem multo, quam in altera, oſtenderint: ac de fœmina quadam, tertiana cum frequentioribus lipothymiis laborante, pulſu adhæc unius carpi exili & velut oppreſſo, in altero vero plane indeprehenſo; quod pulſus deliquium poſt partum operoſiſſimum evenerit, nec dum poſt ſedecim annos redierit.

Pulſus mutatur aliquando a ſupervenientibus ſeu combinatis morbo.

Neque improbabile eſt, grumum ſanguinis in artèria vel ſimile quid pulſum cordis eousque conturbare aut immutare poſſe, ut non, niſi rèfractus, ad arteriam contrectandam feratur, hancque feriat, adeoque unius lateris pulſus alterius vibrationi minus reſpondeat. Cui conjecturæ occaſionem præbet *Panaral. Pentec. 1. obſ. 32*, ubi refert, in juvene, levi capitis dolore correpto, pulſum dextræ manus ſe recte habuiſſe, ſiniſtræ vero inordinatum maxime extitiſſe: ſe tamen mox cogitaſſe, anguſtiam quandam p. n. circa arteriam axillarem eſſe, & ab hac, non a corde, pulſum hujus rami immutari. Quod confirmavit eventus, ſequente nimirum die apparente in glandula ſubaxillari ſiniſtra apoſtemate & pulſu hujus lateris ad naturalem ſtatum, dextro pulſui conformem, redeunte. Cui adſtipulari videtur, quod *Bartholin. Actor. Hafn. part. 1. obſ. 78* conſignavit de pulſu dextræ manus pariter integro, ſiniſtræ valde conturbato, ex vomica nimirum pulmonis ſiniſtri, rupturam minitante ac tandem rupta.

Pulſus aliquando intermittens, quamvis cor perpetuo vibret.

De cætero quamvis pulſum arteriarum radicaliter ſeu originaliter a cordis ſyſtole dependere, penes omnes in confeſſo ſit, eo ipſo tamen, dum eum aliquando intermittentem obſervamus, quando in pectore celerrime, v. g. in ſui tremore, vibrare ſentitur cor, quod urgente hoc ſymptomate perexigua tantum ſanguinis portio quavis cordis contractione in arteriam pellatur, adeoque hanc minus potenter feriat ſeu diſtendat; nec creber ac magnus aut quivis p. n. a ſanguinis conditionibus inhærentibus ſemper, ſed interdum a cordis quoque extraordinaria irritatione, & extra figuram ac ſitum naturalem a quacunque cauſa convulſis arteriis, exoritur, v. g. in pathematis animi, febribus malignis & affectibus extreme dolorificis; plethora etiam ac turgeſcentia ſanguinis p. n. vires non tam diſſolvit, quam opprimit: pulſui nec laudabili fides ſemper habenda, nec debilis, inordinatus, inæqualis &c. ad intermittentem usque metuendus, quale quid *Hollerius de morb. intern. c. de dolore colico* in doloribus magnis teſtatur, & confirmat *Bartholin. cent. 5. hiſt. 37* exemplo doloris nephritici vehementioris. Ipſemetque cum hæc ſcriberem in Viro hujus civitatis primicerio obſervavi, qui ſub atrociſſima cephalalgia aliquot dierum periodica pulſum maxime debilem & non raro evidenter intermittentem oſtendebat, paulo poſt paroxyſmum

Frequentior & major aliquando a ſola cordis irritatione p. n. Hinc pulſui non ſemper fides habenda.

pleniore

pleniore ac maxime ordinato gaudens. Et per conſequens nihil forſan certi undique ex ſolo pulſu vel dignoſci, vel prædici, valet, in hoc vel illo ſubjecto, antequam de hujus natura, i. e. pulſus habitudine naturali, conſtiterit: quale quid ſane difficillimum videtur, cum medicus ignotorum non minus, ac notorum, curam gerere teneatur, nec ab ægris ejuſmodi magnitudinem, frequentiam, æqualitatem, ordinem ac rhythmum pulſus naturalem unquam forſan reſciſcere dabitur. In ſcenam mihi denuo liceat producere Virum illum Beatum, de Publico Meritiſſimum, quem modo nominavi, cujus viribus integris & robuſtis ſatis pulſus in ſtatu ſanitatis optimo, debilis non tantum valde, ſed evidenter quoque intermittens, frequentius ac utplurimum deprehendebatur, ut nimirum poſt duas, vel ad ſummum tres arteriæ micationes deficere videretur, adeoque a feſtinante & incautiore exploratore morti proximus pronunciaretur: ſicut alios recordor, pulſus ſemper frequentioris, & quales perpetuo febricitare judicaret imperitior; hoc tamen ac illud a ſingulari cordis & arteriæ habitudine ſeu conformatione factum auguror. **Pulſus debilis & intermittens in ſtatu naturali.**

Demum ipſa eademque experientia multijuga edocemur, ſub pulſu interdum ſatis valido, æquali &c. nonnullos perire, ſub debili valde, etiam intermittente, alios reconvaleſcere: hinc denuo inferre jubemur, ſigna ex pulſu petita in viribus ægri dijudicandis maxime fallere, v. g. non minus in uteri ſuffocatione & lipothymia a cauſa externa, quam in febribus, quibus lethaliter nonnullos decubuiſſe novimus, in quorum pulſu nullam ſenſibilem mutationem nec practicus ſagaciſſimus judicaſſet. **Pereunt quidam ſub pulſu optimo.**

Cum proin ex his ſatis ſuperque conſtare credam, quantum imponant ſigna, quibus in prædicendo utimur & uti jubemur, prudentia non exigua opus erit, in prognoſi pariter inſtituenda, ac ediſſerenda, commendata maxime ab *Hippocrate 2. prædict. 3* his verbis: *Conſulo autem, ut quam prudentiſſime agant, tum in reliqua arte, tum hujuſmodi prædictionibus, illius probe memores, quod, ſi cui ſucceſſerit prædictio, is apud ægrotum intelligentia præditum in admiratione fuerit. Si vero quis aberrarit ſupra hoc, quod odio habetur inſanire videbitur. Quapropter jubeo, ut tum alias omnes, tum has prædictiones, prudenter faciant, quanquam ſane & audiam, & videam, neque judi-* **Prudenter prædicendum.**

care recte homines eas, quæ dicuntur ac fiunt in arte, neque narrare. Signorum ſiquidem illorum pleraque cum probabilitate tantum aliqua gaudeant, aut a leviſſima & vix obſervabili nonnunquam circumſtantia mutentur: non temere, ſed dubitanter utplurimum, præſertim in acutis, *quorum prædictiones non omnino ſecuras* idem *Hippocrates 2. aph. 19* pronunciat, aut nobiliora membra occupantibus, procedendum, ne falſo augurio ludibrio ſe exponat medicus.

Frutex Peruvianus vitam & mortem præſagiens.

Mentionem faciunt *Monardus ſimpl. medic. hiſt. c. 74. & Joh. Euſ. Nierembergius Hiſt. natur. lib. 14. c. 32* fruticis cujusdam Peruviani, quem *Theomatl*, vitæ & mortis indicem, ajunt, cujus ramum ſeu ſurculum manu ſiniſtra ſi comprehendat & aliquandiu compreſſam teneat æger, mox conſtare, an ſuperſtes futurus, an moriturus, ſit ille: illud ſi, quamdiu plantam manu comprehendit, alacrem & lætum, hoc, ſi mœſtum & anxium, ſe gerat. Hujus ſuccum quoque expreſſum ac decumbenti propinatum, ſi ab hoc revomatur, mortem, ſi retineatur, ſalutem ei præſagire, *Nierembergius* adjicit. An vegetabile hoc idem ſit cum eo, quod *Monconys des Voyages part. 1. p. 29* Arabamba vocat, quodque noctilucum vitam ac mortem ægrotantibus innuere ſcribit, aſſerere mihi haud præſumo. Hac interim divinatrice planta (ſi modo talis exiſtat) deſtitutis attentione ac prudentia in præſagiendo majore opus erit, quam fingere mihi licebit bimembrem: unam in prænoſcendo, ſeu in ſignis & circumſtantiis, ex quibus aliquid de eventu morbi conjicere licet, ſcrutandis ac eruendis; alteram in prædictione ipſa, ſeu ſperandis & metuendis ægro exponendis ac declarandis.

Prudentia in præſagiendo duplex requiritur.

Prioris generis circumſpectionem præcepta medica docent; tantum ratione uromantiæ hic monendum, me quidem hujus conſuetudinem haud omnimode damnare & nullius plane uſus eam declarare, quatenus de maſſæ ſanguineæ textura, organorum primæ & ſecundæ digeſtioni vacantium ac urinariarum viarum conſtitutione lotii phœnomena teſtantur, in febribus præ aliis ſignis plus certitudinis præſtant: ita tamen, ut plerumque non tam ipſos morbos, ſive chronicos ſive acutos, quam mutationes horum innuant, i. e. ex urina materiæ morbificæ cruditatem & coctionem, morbi augmentum & decrementum, ac per conſequens frequentius ſalutem & mortem

Quantum valeat uromantia?

tem

tem hinc ominari liceat. Hoc tamen mecum deſiderant cordatiores Medici, ut emendaretur ille pravus mos, quod, niſi avaritia ſordidior, penes nonnullos egeſtas & complacendi ac per vanam plebis opinionem inclareſcendi ſtudium medicos in partes diverſas diſtraheret, non ita difficile, multo minus impoſſibile, foret: quo ex allato lotio ſolo, neglectis ſymptomatis aliisque ſignis, nec ægro viſo, nec per relationem neceſſariam de ejus ſtatu ſufficienter informati, de morbi natura, cauſa, eventu &c. judicium temerarium ferunt, & ſecundum illam inſpectionem ſolam remedia præſcribuntur ac commendantur; ſed cæteris demum circumſtantiis ſimul conſideratis tale quid fiat, imperitiores interim de inſufficientia & fallacia uromantiæ rectius inſtruerentur. Ipſam vero hujus adminiſtrationem congruam quod ſpectat, Primo non quamvis urinam, aliunde allatam, pro judicio, ſive diagnoſtico, ſive prognoſtico formando, facile admittat, ſeu huic fidat, medicus, cum multis technis ſub hujus oblatione circumvenire ſatagat non tantum plebs petulantior, urinam mittens ac afferens, ſed medici quoque, ejuſmodi emiſſarios eum in finem ablegantes, ut alios probos & non raro eruditiores decipiant ac deceptos penes vulgum irrideant. Nec vel ideo lotium cujusvis ignoti facile luſtrandum hincq; judicandum, quod hoc non, niſi comparata urina præternaturali ad naturalem, fieri queat, & per conſequens noſſe oporteat, quæ ſit facies naturalis lotii illius ſubjecti, cujus urina a ſtatu naturali recedens porrigitur: cum, ut ſuperius monui, cunctorum hominum urinæ non iisdem affectionibus ſemper præditæ cernantur.

Non ex ſolo lotio præſagiendum.

Cautelæ in uromantia obſervandæ.

Non judicet de urina ab ignotis allata.

Deinde notandum, illam potiſſimum urinam huic contemplationi inſervire, quæ *primo* poſt digeſtionem primam abſolutam, matutinis aut veſpertinis horis & poſt ſomnum emicta: *ſecundo* quam ab aſſumptis, matula ac atmoſphæra nullam alterationem ſuſcepiſſe, novimus. De aſſumptis, qualia & quomodo urinam alterent, ſuperius dictum, ratione vaſorum excipientium duntaxat notetur, in his, præter munditiem hoc inprimis deſiderari, ne ænea, ferrea ſimiliſve materiæ, a quibus urina heterogeneitates imbibere, hinc quoad conſiſtentiam, colorem &c. alterari queat, adhibeantur: cujus cautelæ olim in praxi tyro aliquando admonitus fui, cum fœminæ febre maligna graviter decumbenti mederer, & urinam quodam mane in

De urina poſt digeſtionem excreta.

Nec ab aſſumptis vel vaſis mutata.

vitro urinali inſpiciens hanc non leviter videſcentem cum ſtupore cernerem, eamque hinc praviſſimæ texturæ & augurii peſſimi crederem, utut cætera ſigna non omnem protinus ſpem abjicere juberent. Anceps eousque de hoc phœnomeno manebam, donec altera die lotium offerebant in pelvi ænea exceptum, quale quid priſtino die quoque factum, inquirendo intelligebam. Pariter dum urinam ab aëre frigidiore incraſſari & conturbari, a calidiore v. g. fornacis, attenuari, innoteſcit, adeo ut a frigidiore turbatam, admoto levi calore, ad tenuitatem atque pelluciditatem priſtinam prompte reducere liceat: ad circumſtantiam hanc, antequam urinam contemplemur, reſpiciendum erit. *Tertio* huic negotio commodior erit non adeo recens excreta, utpote quæ præter colorem vix aliud quid, nec hunc quidem ſatis accurate, monſtrat, ſed quæ per aliquod temporis ſpatium quievit, quo contenta ſeparabilia loca ſua naturalia occupare queant: ſeu quousque ceſſat motus ejus particularum a ſanguinis impetu impreſſus, & tendentia magis propria illæ locum liquoroſæ ſeu aqueæ ſubſtantiæ lotii pro diverſitate gravitatum ſuarum diverſum, aſſecutæ fuerunt; quod quidem non in omnibus urinis eodem intervallo ſeu ſub eadem quietis mora contingere, veroſimile eſt. Neque tamen hæc nimis longa ſit, ſeu non diutius juſto aſſervetur urina contemplanda, ne per putredinem ſupervenientem textura ejus naturalis immutetur & ſic denuo fallat ejusdem inſpectio; cujus erroris declinandi cauſa juvabit, hujus tempus ſive horam, qua illa fuerit excreta, ab ægro ſeu adſtantibus rogare.

Non ab aëre mutata. *Non omnino recens excreta.* *Nec vetus.*

Porro quoad pulſus explorationem, hæc cum attentione ſingulari ac ſollicita quadam deliberatione adornetur, indagetque per hanc medicus, num vitale robur cum cæteris, quæ apparent aut narrantur, conſentiat; probe penſitatis cunctis pulſuum differentiis. Non enim manum tantum carpo admovere & arteriam contingere ſufficit, quale quid in non uno obſervavi, qui toto fere aſſeſſionis tempore manum ægri comprehenſam tenent, quaſi de explorando pulſu valde ſolliciti, mente a negotio hoc alieniſſimi, neque ad pulſuum conditiones diſcernendas idonei. Quod nihilominus ut dextre fiat, inſtituenda eſt hæc indago ægro ab omni corporis & animi motu libero, ne, quæ ab hoc evenit pulſus alteratio, morbo adſcribatur, & medico

Pulſus habitudo conferatur cum cæteris circumſtantiis. *Exploretur pulſus, ubi a corporis & animi*

medico imponat. Proin, ſi v. g. forſan modo in lectum ſe contulerit, aut corpus alias evidenter moverit, æger, quieſcat ab hoc aliquantulum, donec medicus manum admoveat: nec ſubintrans cubiculum mox hoc agat, cum non raro ægrotantes, fœminas inprimis ac juvenculas, ab ipſomet, primo maxime, aut quovis improviſo, acceſſu medici mente plus minus commoveri, conſtet. Manus quoque, quam hic apprehendit, ſitum habeat medium & æqualem, adeoque nec pronum, nec ſupinum, omnimode; neque ſit extenſa nimis, nec contracta; nec viribus ægri attollatur, ſed quieſcat: ne nimirum per muſculorum contractiones incongruas impulſus ſanguinis per arterias conturbetur atque alteretur. Nec contrectet medicus pulſum ſtatim, ac intravit, ne manus ejusdem frigidior aut hujus micationem mutet aut corpus periculoſe per frigus alteret. Exploret eundem non unius tantum lateris, ſed utriusque, & aliquando extra carpum, v. g. inter pollicem, aut alterutro temporum: cujus moniti rationem in ſuperioribus, ubi de fallacia pulſus agebatur, reddidi. Cœtera hujus generis in vulgus innoteſcunt.

motu æger liber.

Sub congruo manus ſitu.

Non ſtatim ab introitu.

Non in uno tantum loco.

Aſt ſecundo in prædictione ipſamet ſingulari inſuper circumſpectione opus eſt, & taceant hic ante omnia monente *Botallo*, Aſtrologi, Geomantæ, Hydromantæ, Auſpices, Aruſpices & cæteri cuncti, qui non ad morbos, ſymptomata & vires, ſed ad aſtra, vel puncta, vel aquas, vel aves, vel circulorum motus, vel figuras, vel alia hujus generis ludibria mentem dirigunt: quatenus a morbi ſpecie, more, magnitudine, motu &c. & aliis phœnomenis corpori inhærentibus, accuratius obſervatis & prudenter applicatis, genuina demum morborum prognoſis elicitur, deficit, ubi recenſita perfunctorie notantur. Quibus proin ignotis nec prædicere audeat medicus ulla in re, ſed omnia quocunque tempore incerta ac dubia teneat: certo perſuaſus, ſi quicquam ſine his pronunciet, cui experientia reſpondeat, ſe æque veritatem attingere, ac qui citra artem aleam jactat, ſi ipſi obtigerit, quod optat.

Prognoſis genuina non ex aſtris &c.

ſed ab ipſo morbo & hujus circumſtantiis, petenda.

In genere vero Medicus in prognoſtico ediſſerendo, niſi certiſſima & omnino infallibilia indicia ſuppetant (in ſalute & morte inprimis decernenda) haud præceps, ſed ambiguus ac in promiſſionibus moderatus ſit. Communiter equidem traditur, & a lucri cupidis

Non niſi ex certis ſignis vita & mors præſagienda.

Non conveniat pejora ſemper prædicere.

pidis fieri novi, in prædicendo tutius eſſe pro ægro & medico, pejora potius, quam meliora, ominari: illum enim hoc modo obſequioſum magis reddi, & majore cura ab adſtantibus tractari, in hunc vero plus honoris ac commodi ex illius reconvaleſcentia, minus opprobrii ex malo eventu, præviſo & prædicto, redundare. Aſt, advertente eodem *Botallo*, profecto ſanitas nullam medico fert laudem, ſi prænunciata morte eveniat, vel ſi diuturniorem aſſeveraverit morbum, qui brevi terminatur: neque vani lucri & ſacræ auri famis aut popularis auræ captandæ gratia res dubia aſſerenda. Obſequioſos vero ægrum & adſtantes præſtamus admonitionibus ſeverioribus & periculo, quod ex neglecta diæta & remediorum apparatu metuendum. Hinc ſequi potius conducet conſilium aliorum, qui ſub periculo modeſte explicato ſanitatis ſemper aliquam ſpem faciunt, ſeu ſtatum ægri etiam deploratum ipſi haud mox exponunt. Si enim prognoſtico, ut ajunt, relictus & morti quaſi adjudicatus poſtmodum, ut non raro evenit, caſu vel natura reſtituatur, magnam medicus incurrit debilitatem, vel quaſi in præſagio errarit, vel quod de peritia propria & artis potentia dubitarit; contra ſi ſanitatis aliquam ſpem conceſſerit, & mors ſequatur, ignominia tanta non eſt: quod multi contingere queant errores, aut ſupervenire alius morbus cum novis ſymptomatis, qui ſpem fallat; & facilior ſit a ſanitate ad mortem commutatio, quam a morte ad ſalutem. Ac hujus loci forſan, niſi plus divini, videtur, quod penes *Franc. Boſellum, amalth. med. polit. appar. 3. c. 24* de quodam medico Judæo legitur, hunc nempe *Divo Baſilio Magno*, graviſſime ægrotanti, die quodam mortem prædixiſſe, cui Baſilius, divino ſpiritu afflatus, quid, ſi alterum diem ſupervixero? ſe tunc Chriſtianum fore, ſi id contigiſſet, ille reſpondit: hinc Baſilium, ſalutis illius Hebræi cupidum, orando a Deo impetraſſe vitæ ſuæ prolongationem, maneque ſoſpitem ac ſanum de lectulo conſurgentem ad Eccleſiam veniſſe & Judæum baptizaſſe.

Sanitatem certo non polliceatur.

Sanitatem tamen certam & vitæ prorogationem nunquam promittat medicus apodictice, cum ſolius Dei ſit ſalus noſtra & longitudo dierum noſtrorum: adeo ut *Hippocratem* gentilem quoque ſcripſiſſe legamus, *de dec. orn. t. 6. Medici Deis concedant, non enim eſt potentia in ipſa redundans:* ac ſi ſanus & robuſtus non certus eſt de

craſtina

craſtina die, tanto minus infirmus. Hincque illorum deteſtanda eſt temeritas, aut mavis impietas, qui juramentis quoque ſanitatem pollicentur, & reconvaleſcentiæ diem ac horam determinare imprecationibus aliquando horrendis audent: non excipientes aut ſupponentes cauſas adjuvantes, vel præpedientis, v. g. ægri obſequium & decentem remediorum applicationem: aut, ſi forſan per prudentiam humanam in promiſſione ſanitatis & prognoſtico ſuo cauſas dictas naturales excipiant, ſtulte tamen & abſurdiſſime excipere negligant cauſam omnium ſupremam, divinam ſc. voluntatem & benedictionem; quemadmodum pariter ineptiſſimum eſt, in prædicendo non excipere caſus inopinos ac fortuitos, quales ſicut ſanis accidere poſſunt in valetudinis detrimentum, ita multo magis ægrotis impendent, horumque ſalutem non infrequenter interpellare ſolent. Temeritas nonnullorum in ſalute promittenda.

Quodſi tamen certius ægrum moriturum medicus præſenſerit, expedire videtur, & viri boni muneris erit, illum de morte metuenda commonefacere & periculum tempeſtive ſatis exponere, ut ſuis animæ & fortunæ, ſuorumque rebus, item publicæ ſaluti, ſi huic forſan obſtrictus, proſpicere queat. Mors certa prædicenda. Equidem *C. Celſus 3. cap. 5* convenire, ſcribit, ægros omnes ſecuros agere, ut corpore tantum, non animo, laborent; ac ſi aliqua fuerint, quæ eorum animos exaſperare queant, ea, dum ægrotant, eorum notitiæ ſubtrahere: quemadmodum in ſequente mox capite pergit; *Et ſi quis ejus metus eſt, cum probabili ſermone lenire.* Disſuadent hoc nonnulli. Quemadmodum *Plato* pariter *3. de republ.* ideo medicis ſolis mendacium concedendum eſſe, ait, ut ægrotantium animos ſolentur, & ſanitatem, etiam in ipſo mortis agone, promittant, ne animum deſpondeant: & poſt hunc *Rhaſis 6. aph. 17* ſcribit, *Medicos ægros conſolari debere, etſi ſigna mortis perpendant &c.* Una cum *Valeriola*, qui *6. enarr. 6. prudentis medici* ait, *quæ ægro metum allatura putarit, ſimulatione tegere, ſi lethalia ſigna, ſi decretoria mala, ſi infelicem morbi exitum proſpexerit, ea non prodere, ab his enim, ſi perſpecta ægro ſint & cognita difficilem tolerantiam, diffidentiam, deſperationemq́; ſequi ſolere.* Allegans pro ſua ſententia *Damaſcenum*, qui in diverſis *aphoriſmorum* ſuorum locis medicum monet, ne in deſperationem ægrum agat, his verbis: *Oportet te ægro ſalutem promittere ſemper,*

 nec

nec unquam a ſpe illum deponere, etſi ipſe deſperes: complexio enim corporis affectibus animi ſemper cohæret. Quemadmodum alios quoque medicos, quos brevitatis cauſa recenſere nolo, magnopere cavere obſervamus, ægro nunquam mortem, utpote omnium terribilium terribiliſſimum, ſed ſalutem ſemper, ut promittant: quod animi repentinos & vehementiores affectus, terrorem inprimis, diffidentiam ac deſperationem, ſicut in ſanis, ita in ſummo virium languore conſtitutis, ex denunciata nempe morte, mortem accelerare in propatulo ſit.

Sed male. Quibus tamen minime auſcultare, vel horum conſilium amplecti, religio & pietas chriſtiana concedit: potius in morborum periculo verſantes de mortis appropinquantis neceſſitate admonendi ſunt, quod ſaluti animarum magis, quam corporis, invigilandum ſit, ideoque per ſilentium ipſis pœnitentia haud præcludenda, quin potius ad hanc per prædictionem mortis oportunam in tempore urgeantur. Qualiter etiam agendum cum immorigeris, temerariis & impiis potiſſimum, quibus diſcrimen vitæ neutiquam celandum, ſed perſpicue magis exponendum, quo corpori, animo & ſuis ſollicite magis proſpiciant. **Prudenter vitæ periculum innuendum.** Id quod fieri debet caute, & cum prudentia quadam leni, non tam mortem ipſam & certam, quam periculum & ſtatum morbi ſatis ancipitem, ægrotanti exponendo. Contingunt ſiquidem frequentius in arte pariter ac in natura, monſtra, & evenire poteſt, ut, priore & de ſalute omnino deſperante medico dimiſſo, alter vocetur ægrotusque reſtituatur, non ſine illius dedecore; tuque ſementem facias, alter metat. Et eſt aliquando tanta decumbentium in ejuſmodi vates imprudentiores durities atque acerbitas, ut præſagio terrifico audito in illum vehementius commoveantur, & ejus ulteriorem medelam detrectent, cum per protervitatem & diffidentiam effrenam ſibi perſuadeant, illum, cujus famæ intereſſet, ſe perire & auguria prolata expleri, quam proximi vitam conſervari, malle & ſemel prædicta turpiter & inhumane exoptare. Imo præter infirmos propinqui cum cæteris adſtantibus ægreſſerent horribile hoc mortis pronunciatum, ut pariter durius in medicum invehantur, ſymptomatum ex vehementiore animi commotione evenientium cauſam, ſi non mortis inſequentis, reum hunc proclament & ulteriorem

teriorem aditum intercludant: quod corpori afflicto animi afflictionem vehementiſſimam addiderit, ac miſerum in deſperationem detruſerit; qui nihilominus corporis non minus ac animi mulcedinem ab eo deſiderarat, vitæ conſervatorem, non mortis præconem, eum poſtulaverat. Noli proin, ſi periculum denuntiaveris, te ad ſpecialius & certiſſimum mortis præſagium abripi, quale Matronæ noſtræ, conſpectioris autoritatis, nobis non raro extorquere conantur: quæ in generaliore illo acquieſcere nolunt, ſed, an infallibiliter moriturus ſit infirmus, inſuper & nonnunquam perfricte ac petulanter ſatis quæritant: Aber ſtirbt er gewiß? ſolte er gar nicht auffkommen? ꝛc.

Non ægro ipſi, ſed adſtantibus vitæ periculum exponendum.

Quemadmodum deinceps prædictionis ejuſmodi terrificæ amaritiem non parum temperabit, ſi non ipſimet ægroto, ſed adſtantibus & neceſſariis, denuncietur, ut per hos demum de proximiore mortis periculo admoneatur ille: cui interim vultum ſereniorem, & qui bonam ſpem præ ſe ferat, oſtendat Medicus. Cum *Galeno* equidem *6. epid. comm. 2. t. 43. Rodericus a Caſtro med. polit. 3. cap. 11* putat, Prudenti & pectoris obfirmati, ſeu animoſiori, homini vera de morbi ſtatu & eventu inſinuanda, nihilque hujus metuendorum occultandum; penes ſtolidiorem vero & timidiorem tegenda pejora & non, niſi ſalutaria quævis promittenda, eſſe; cujus tamen conſilio minus ſubſcribit *H. Augenius 6. epiſt. 6*, ubi inquit: *Imaginari non poſſum, hominem tam compoſito futurum animo, qui non contriſtetur ex mortis certo nuncio, cum omnium terribilium finis ſit mors; Quid enim magis exaſperare poſſit morte ipſa, non video. Nec eſt, quod quiſpiam dicat, philoſophos ejuſmodi eſſe, quoniam hoc falſum eſſe convincitur, quod ille, qui mortis dominus erat, Patri dixit: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte.*

Cordatis tamen & poſtulantibus ægris periculum explicandum.

Quibus, ſi, quæ in praxi hinc inde nobis obveniunt, penſitemus, non adſtipulari non poſſumus, niſi paucos forſan excipiamus illorum, qui gravi & doloroſo morbo torti ac conquaſſati finem ſuarum ærumnarum unicum & ultimum ex obitu placido ſibi promittunt, aut quibus de firmiore luto finxit præcordia Titan; hinc aut morbi ſui terminum breviorem anhelant, aut, ut de rebus ſuis commodius diſponant, de prognoſtico genuino ſolliciti ſunt: quibus

ſane tale quid petentibus, abnuere, mihi religio foret. Præeuntem hoc in caſu ſequor *Sennertum cent.1. epiſt.85*, ubi hæc leguntur verba: *Medicum ægrotanti, morbi exitum cognoſcere cupienti, mortem palam prædicere debere, apud me dubium non eſt. Sunt enim rationes & politicæ & Theologicæ, ob quas utile eſſe puto ægro, morbi eventum cognitum eſſe: neque cauſam habet medicus, cur ægrum, præcipue cordatum, fallere debeat.* Occaſionem hoc ediſſerendi ipſi ſuppeditarat *Mich. Döringius epiſt.Senn.84*, ubi refert, Magnificum quendam civitatis Uratislavienſis Virum ſub diarrhæa graviſſima atque lethali a ſe & Collega ſuo tale quid anxie efflagitaſſe, ad eorum conſcientiam provocaſſe, mortemque ſe neutiquam expaveſcere, dictitaſſe: quo poſtulato cordato ſe commotos, de vita ipſum ſummopere periclitari, aperte ſignificaſſe, a remediorum tamen uſu nondum deſtitiſſe. Qualis animi intrepidi inter paucos alios olim memini Virum hujus urbis Spectabilem, mihi familiarem, qui per octiduum febre maligna decumbens ultimo mane me advocabat, & ut ſibi meam de morbi exitu ſententiam libere & prompte declararem ſerena fronte ac mente rogabat. Reſpondebam, res ejus in ancipiti valde eſſe, ipſe animoſe regerebat, E. per pœnitentiam & preces ad Deum me convertam, & expirabat eodem die placidiſſime.

Quorum tamen pauci adeo intrepidi.

Ubi tamen advertere haud inutile erit, paucos forſan illud animoſitatis culmen attingere, quin potius magnanimos tantum ſe fingant aut credant, revera tamen meticuloſi valde exiſtant: i. e. conſcientiam medici pariter obteſtantur, & quam obfirmata geſtent præcordia, prolixe ediſſerunt. A medico vero veritatem ingenuam ſi intelligunt ſibi exitioſam, non tantum hinc valde perterrentur, & meliora fata deſiderantes ſibique promittentes vaticinii hujus ingrati & vatis triſtioris pertæſi, eum non ſine opprobrio dimittunt, alium advocantes, qui deſiderio eorum benignius adblandiatur, & ſpe potiore eos lactet, licet vana tandem. Exempla hujus generis diverſa expertus loquor, præſentis loci tantum faciens, quid penes Virum de Eccleſia & Republica literaria meritiſſimum, ac mihi ſatis familiarem, aliquando mihi obtigerit, ex iſchiadico dolore paralyticum. Qui cum aliquando multis ſincerationibus, obteſtationibus & per meam fidem me rogaſſet, ut genuinum de malo ejus ſignificarem præſa-

præſagium, nihilque hujus obticeſcerem, ſe quippe omni ex parte ſuam valetudinem & hujus eventum Deo commiſiſſe, & quæ verborum plura: huic tandem poſt multa & cum proteſtatione mentem meam ſincere exponebam, ac quod parum ſpei de ſalute cruris ſupereſſet, aſſerebam, ipſe vero altero die, neſcio, quo prætextu, ne ulterius accederem, me juſſit. Interim falſæ ſuæ ſincerationis hanc luit pœnam, ut vetulæ cujusdam, medicaſtræ urbis hujus tunc temporis famoſiſſimæ, conſilio & operæ ſe concrediderit, quæ miſero huic (alias prudentiſſimo & in re medica non levem peritiam jactitanti,) medullam cruris a frigore interno conglaciatam perſuadebat, ac pro hac denuo deliquanda inſeſſum ex paludis fimeti hæreditariæ colluvie commendabat: quali cum maxima fiducia applicato tandem ſphacelus pedis extremi colorem vitalem extinguebat, quem reſtaurare non erat in artis potentia ac mors præmaturior præveniebat.

Demum & eo ipſo, dum medici eſt, non tantum remedia adhibere, ſed, quæ medelam turbant, etiam removere, inter hæc autem, juxta alios animi affectus aliquando obſervatur ægri impatientia, curam præcipitari moroſe poſtulantis, propter hanc autem animi moleſtam ſenſationem ipſe deſpondet animum & meticuloſus morbum ſibi graviorem reddit: huic ſubvenire decet, illum conſolando & hortando, feſtinandum eſſe lente, præſidia artis naturam moderare ac juvare, ſine cujus adjutorio ſe fruſtra mederi, hinc illius motus & progreſſus eſſe obſervandos, non adhibenda violentiora remedia, utpote quæ non ſemper adeo tuta, & quæ hujus generis ſunt argumenta plura. Sic fructum confidentiam potius, quam diffidentiam, reportabit medicus, ac æger his, quantumvis levioribus, facile perſuadetur, ut ſperare incipiat & præceptis pareat. Ad imitationem *Ariſtotelis*, qui medicum, medico more imperantem, quæ facienda eſſent, compellabat: *parebo lubens, ſed more philoſophico: ſi non tantum, ut credam, verum etiam ut vera hæc eſſe, ſciam, demonſtrando effeceris.* **Ægri etiam conſolandi.**

Caput IX.

De
Officio Medici agentis in genere.

Agentis demum medici clinici perſona & hujus officium contemplandum, quod circa ipſam therapejam ſeu medelam morborum verſatur. Quamvis enim Therapevticæ partis ſocia ſit Hygiæne & utraque partium medicinæ primariarum nomine veniat, medici proin officium ſit non minus ſanitatem tueri, ac morbos expellere: quia nihilominus plures homines de morbis potius profligandis, quam de ſanitate integra conſervanda, ſolliciti ſunt, ac rarius forſan prophylaxeos, quam medelæ, gratia medicus advocatur, præſervatrix iisdem cum medicatrice præceptis innititur, hæcque communia habet, methodum ſc. ac materiam medicam, ex triplici regno prodeuntem, quibus alterando æque ac evacuando ſanitas modo conſervatur, modo reſtituitur; medici officium in utraque hac artis parte idem ac commune erit,& qui opportune ac dextre mederi norit, præſervare quoque commode valebit, utrumque horum cum fiat per easdem indicationes, per eadem auxilia ac eandem auxiliorum materiam. Quemadmodum *Caſp. Hofmannum* quoque hoc doctrinæ prophylacticæ & curatricis connubium anxie vovere, tentaſſe & hujus combinationis ſingularia emolumenta recenſuiſſe *Inſtit. lib. 6. cap. 1. 2* &c. legimus.

Eadem eſt ratio therapeiæ & hygiænes.

Et utriusq; eadem inſtrumenta.

Non bene ſemper medici operam ſuccedere dicendum, ubi res bene cedit; nec male ſemper, ſi finem non aſſequatur artifex: quatenus nonnullos vel caſus ſanat, i. e. ſub empiricorum rudiorum etiam manibus quidam reconvaleſcunt, cum quibus hos recte & perite egiſſe, vel ideo credi haud poterat, quod non ſecundum rationem & experientiam genuinam egerint; contra nec artem, nec naturam, omnes morbos ſanare poſſe, ex *Hippocrate de arte t. 13* conſtat. Dextre potius ſecundum *Ariſtot. 1. rhetor. 1. & Senecam 7. de benefic. c. 13.* medicus agere dici debet, ſi, quamvis non ſanum faciat infirmum, nihil tamen eorum intermittat, quod artis eſt, nihilque aggrediatur, quod illius præceptis repugnat, ſeu, etſi non finem artis ultimum, interme-

Non ſemper ſuccedit medela.

Sine medici culpa.

termedium tamen ſeu proximum, aſſequatur. Quin enim illum ſemper attingat, non unum impedit, ſubjectorum nimirum morboſorum ac medelam ab arte poſtulantium difformitas ſeu textura diſpar, morborum inconſtantia ac momentanea mutatio, eorundem difficillima & dubia dignotio, remediorum adhibendorum incerta vis atque energia, quæ cum ægrotantium & adſtantium contumacia, moroſitate ac imprudentia, pharmacopæorum & chirurgorum ineptitudine ac negligentia, vel ſingula ſeorſim, vel cuncta ſimul, feliciori ſucceſſui remoram ponunt, ut auxilium (juxta *Botallum*) malo applaudat, vel hoc reddat acerbius, vel citra frugem ac damnum omnis ejus & artificis actio & conatus pereat. Sed ob alia impedimenta.

Hic interim quo munere ſuo fideliter fungatur, i.e. therapeiam cum prophylaxi rite adminiſtret, agat, quicquid agit, ſecundum proverbium triviale, *Cito, Tuto & Jucunde*, quantum quidem circumſtantiæ hinc inde obvenientes ita agere concedunt. Prius obſervare monet *Hippocrates epiſt. ad Crotev.* ubi ab omni arte alienam rem dilatationem ſeu moram pronunciat, maxime vero a Medicina, in qua dilatio animæ ſeu vitæ periculum pariat. Atque hoc inprimis locum habet in acutis morbis, qui ob ſui vehementiam & brevitatem celeriorem urgent medelam, ſeu juxta *1. aph. 6. extremis morbis exacte extremæ curationes ſunt optimæ*, ac *de morb. ſacr. t. 18. oportet autem tum in hoc morbo, tum in reliquis omnibus, non augere morbum, ſed feſtinare, ut ipſos exteramus &c.* i. e. juxta *Celſum 2. cap. 11. vehementi malo non poteſt, niſi vehemens, auxilium ſuccurrere*, ac citiſſime his opitulari neceſſe eſt, cum morbi exitus ignoretur: antequam ſub moroſiorum ſeu tardius agentium remediorum adminiſtratione, ille naturam vincat, hacque devicta nullum poſtmodum remedium habeat æger, & mors quælibet artis inſtrumenta eludat. Addo his etiam illos morbos, qui quamvis non adeo vehementes & præcipites ſint, procraſtinatione tamen cum moleſtiis ſuis protrahuntur, aut, hactenus facilioris medelæ, inſanabiles demum mora redduntur; hinc ſubitaneam curationem & generoſius remedium poſtulant. Ita v. g. luxatio articuli digiti ſui repoſitionem procraſtinare haud concedit, quin ſuperveniens inflammatio hanc impediat, vel irritam reddat, ac tandem digiti actionem fruſtretur; Cruditates ventriculi a crapula

Cito agat Medicus.

Non in ancipitibus tantum,

ſed levioribus quoque morbis.

crapula leve equidem malum, niſi tamen per catharſin brevi eliminentur, aut quocunque modo corrigantur, febrem plus minus acutam accendunt: ut proin in levioribus morbis locum etiam habeat illud triviale: *Principiis obſta, ſero medicina paratur.*

Sc. occaſionis præcipitis ratio habenda.

Feſtinandum nempe aliquando in morborum cura, ne occaſio præceps medico elabatur, utpote, quæ nihil aliud, quam, juxta *Ciceronem, oportunitas rei, quæ habet idoneum tempus faciendi vel non faciendi*, aut quo, quid agendum, monſtratur, ac quo nihil agere; hoc jubet: quam in ſingulis morbis pernoſcere, medico non minus neceſſarium ac fructuoſum idem *Hippocr.* l. a. ait, cum nihil in arte medica ſit, quod auxilietur niſi opportune fuerit adhibitum. Vix autem pernoſcet ac deprehendet illam, niſi qui doctrina & experientia excellit, quique quando agere convenit & licet, diſcernere, & quod hæc medendi occaſio momentanea interdum ſit, novit: proin in præcipiti morbo omnia ipſi debent comperta eſſe, quo illico huic reſiſtat, nec medendi oportunitas pereat. Pariter nempe, ac in quibusvis rebus humanis feliciter peragendis, occaſio multum momenti habet, & qui eam omittunt, rem ipſam ſimul amittunt; hinc in occaſione rerum deſidiam ac tarditatem omnem quam diligentiſſime fugiendam Sapientiores monent: adeo ut penes *Svidam* Sophocles hominibus in quocunque negotio magiſtram maximam occaſionem exiſtere ſcripſerit, & *Plutarchus* in Nicia, eum & ſe, & exercitum, perdidiſſe, quod occaſionem neglexerit, narret. *Præſtantiſſimus medicus eſt*. juxta *Valleſium 6. epid.2. comm.26, eruditus pariter ac prudens, qui novit feſtinare lente, pro ipſius morbi urgentia auxiliis inſtare, atque in occaſione uti maxime opportunis, alioquin quieſcere.*

In chronicis lente magis procedendum ajunt.

In cæteris vero minus diuturnioribus, qui inducias patiuntur, contrarium communiter cum *Hippocrate & Galeno* plerique i. e. lente & blandioribus remediis agendum, præcipiunt, rem periculoſam valde in his feſtinationem ſibi perſuadentes, quemadmodum *Hippocr. 6. epid. ſ. 2. t. 26.* remediis adhibitis interquieſcere jubet: remiſſe nempe cum morbo eſſe pugnandum, quo æger huic & remediorum uſurpationi ſufficere queat; cum leniora idem tutius præſtent, quod a vehementioribus non ſine periculo expectatur, & medicus hac ratione non tantum cito ſatis, ſed tuto quoque, operetur, ut, ſi deſideratæ

ratæ ſalutis non omnimode compos fiat, ſaltem decumbentem minus lædat. Quamvis nec hoc præceptum ſine diſcretione admittendum veniat, neque ejus valor tanti æſtimandus, quaſi in omnibus morbis diuturnis lento omnimode gradu procedendum ſit: ſed circumſtantiæ etiam in his occurrentes ejus vim determinabunt & moderabuntur.

Aſt hæc regula non eſt perpetua.

Attendendum, uno verbo, illud *feſtina lente*, quod a peritioribus & inter hos a *Sylvio* quoque, toties inculcatur: i. e. curam minime differendam, ſed in eadem procedendum lente ac blande, uſurpando ſemper auxilia minus violenta, & quæ ſine virium ægri dejectione, proin tuto ſimul ſeu ſecure quoque, agunt. Per operas artis magis primarias hoc declarat *ille prax. append. tr. 6.* §. *114. 115. &c.* Sc. ſi ægro ſanguis mittendus, ſatius eſſe, partitis vicibus, & quantum vires ferre poſſunt, hoc agere, quam ſimul & ſemel ad inſigniorem ægri debilitationem: Si humores pravi catharſi educendi, ſatius hoc fieri paulatim & per epicraſin, ut ajunt, ac pharmacis blandioribus, quam ut adhibitis potentioribus, vel in majore doſi adminiſtratis, vehementius commoveantur cum fluidis vitioſis laudabilia, ac diſtrahantur ſpiritus, ad hypercatharſin ancipitem quoque: Si ſudor veniat movendus, commodius eſſe, illum lente & repetitis intervallis ciere, quam eodem vi propulſo ægrum ad languorem debilitare. Pari circumſpectione in alterandis etiam humoribus præternaturalibus procedendum, non ſimul ac ſemel, ſed per partes exhibendo medicamenta alterantia & corrigentia: ne potentiora eorum vehementius agendo non ſine moleſta & gravi humorum illorum exagitatione agant, hosque non tantum temperent, ſed texturam extreme contrariam ipſis inducant, fluidiores juſto nimis inſpiſſent, viſcidioribus acrimoniam imprimant &c. Dum, ſi contra per vices minor alterantis quantitas hauriatur, humores pravi ſenſim magis ad priſtinam ſeu naturalem conſtitutionem reducantur, & nova eorum aliorumve contrariorum generatio inhibeatur. Hincque perſpicaciſſimus ac peritiſſimus idem Practicus hanc format regulam univerſalem: *ſemper blande ac lente procedendum in omni cura ægrotorum rite ac ſecundum rationem ſanam, experientiæ indubitatæ innitentem, inſtituenda.*

Lente feſtinandum.

Quieſcat etiam aliquando Medicus.

* Neque adeo abſonum erit, negotium curationis aliquando naturæ omnimode committere, ut ſpectatorem tantum medicus agat: præeuntem dum habemus *Hippocr.* qui *6. epid. l. a.* poſt remediorum uſum interquieſcere jubet, & *Epiph. Ferdinandum hiſt. 54*, qui multum referre, quinimo in opere medico conducere, ait, ut quandoque a remediis abſtineamus, cum remedium aliquando ſit, nullum adhibere remedium: hocque non tantum, ubi morbus non ſatis dignoſcitur, ſed ubi notus medelam adæquatam haud admittit, vel hac ſuperior eſt, v. g. tumor aut apoſtema internum, donec forſan natura morbum vicerit, aut vires recolligat, & illi occaſio ac ſpacium coagendi detur; cujus etiam generis eſt Cancer, ulcus veſicæ deſperatum & hujus calculus major, quorum extirpatio & conſolidatio aut ſine fruſtraneo conatu, aut ſine ingente periculo, fieri nequit. In qualibus caſibus abſtinere a medela conſultius eſt, niſi forſan ſymptomatis leniendis aliquid operæ dandum, i. e. palliative tantum agendum, fuerit. Hinc *Valleſius* l. a. periculoſius cenſet, incidere in medicum, qui quieſcere neſciat, quam qui neſciat contraria (remedia) adhibere: nam, qui neſciat quieſcere, eum quoque neſcire occaſiones adhibendi remedia, quare etiam hæc adhibere; qui vero neſciat contraria adhibere, ſcit tamen prudenter quieſcere, hunc, ſi prodeſſe non poſſit, non tamen obeſſe. Et non minus damnandum in medico, ſi ſine ulla ratione & ordine varia inculcet, ut tantum multa agat, vel agere videatur, ac ſi negligens vel timidior juſto agendi occaſiones quasvis prætermittat.

Potiſſimum cum natura quoque ſine arte agat.

Hoc ſicut pauci hodie ſibi moris habent, ita errat, advertente *Sydenham. obſ. de morb. acut. ſ. 5. c. 2* graviter, qui naturam artis adminiculo ubique indigere exiſtimat, cum etiam ſine opera artificis, qui miniſter ejus, non raro agat; & illa generi humano parcius proſpexiſſet, quam ſpeciei conſervatio poſtulet: cum morborum ingruentium numerus ac frequentia facultatem artis ad hoc usq; ævum, quo nihilominus hæc majora longe incrementa cepit, valde ſuperent. Quod quidem præceptum exemplo comprobat idem Scriptor, febris cujusdam epidemicæ, cum ſtupore comatoſo affligentis, nempe quod ſymptoma hoc nullis potuerit domare remediis, donec poſt ſanguinis miſſionem repetitam, veſicatoria & enemata nihil

quicquam

quicquam amplius molitus fuerit, ſed naturæ methodum tantum attenderit.

Peccant porro gravius, qui non morbos expectant, ſed ut ab his, ut putant, ſe præmuniant, ſeu prophylaxeos univerſalis gratia, frequentius & tantum non quotidie utuntur remediis, modo pro viribus conſervandis & roborandis, modo humoribus vitioſis corrigendis ac educendis, ſanguine purificando, ſingulis vernis ac autumnalibus periodis, ſanguinem mittunt, iisdem aut intervallis tantum menſtruis, vomitoria, evacuantia per alvum, diuretica, ſudorifera, frequentius vero ſalia volatilia ſimplicia, vel aromatiſata, corallia, margaritas, oleum cinamomi, ambram, moſchum & ſexcentum alia aſſumunt. Atque hoc quidem ſine ullo diſcrimine ac nulla habita ratione corporis conſtitutionis, aliarumque circumſtantiarum, ſed tantum, quod ſimile quid ab aliis factum vel fieri obſervent: quos tamen aut æque inepte, aut cum potiore fundamento, hoc agere, circumſtantiis probe penſitatis deprehendimus. Vel quod acidum ventriculi p. n., viſciditatem lymphæ ſimilesque nugas in interaneis ſibi concipiant; vel quo a morbis cujuscunque generis, ut ſomniant, ſe tutos præſtent: annuentibus eorum præjudiciis, non raro ipſis medicis. Horum dico plurimos ſe fallere, quia ſine ratione agunt, dum ejuſmodi præſervatoriis remediis utuntur, conſtitutionis humorum & viſcerum ſuorum ignari, aut neſcientes, per qualem horum habitudinem ad morbos, & ad quos, inclinent: quæ nihilominus in methodo præſervatoria indicantium munus gerere debebant, quorum hoc vel illud auxilium hujusque hanc vel illam materiam poſtulet.

Errant ſani, qui ſine ratione aſſumunt remedia prophylactica frequentiora.

Novi, qui vomitoriis ſpatiis tantum non menſtruis exagitant ventriculum inſontem, ſub prætextu, ne in eo cruditates cumulentur; nec minimo quamvis cruditatum ſigno obvio. Alii, his ſibi cautiores viſi & frequentiorum eſculentorum ac potulentorum ingurgitationis conſcii, ad evacuationem hanc ſe magis urgeri credunt: haud penſitantes, an illi in victu errores craſſamenta ejuſmodi incongrua vere pone ſe reliquerint, aut num mitiore modo, & forſan alterante tantum appropriato, ſine emetici vehementia illa non detergi potuerint; potiſſimum cum ventriculus, a prava diæta fra-

Qui ſine ratione utuntur catharcticis præſervatoriis.

ctus, tale quid violentum ferre nequeat, ac tandem, quod damno ſuo indeclinabili tales pharmacophi experiuntur, languorem perpetuum incurrat. Eadem ratio eſt catharcticorum κάτω, quibus meræ & generalioris, a quocunque genere morbi, prophylaxeos cauſa, corpus adeo frequenter elutriare nonnulli contendunt: indicante hujus evacuationis adæquato deſtituti; hinc humores laudabiles, cum totius detrimento, exturbantes, nec tuti a virulentia ſeu vi purgantium deleteria, qua pleraque eorum plus minus gaudere, inferius conſtabit. Dehortari ab ejuſmodi intempeſtiva præcautione hos poterat illud *Hippocratis 2. aph. 36 & 37. ſana habentes corpora, dum medicamentis purgantur, cito exſolvuntur*, ac, *qui bene habent corpore, eos operoſum eſt, medicamentis purgare*; item *4. aph. 16. Veratrum periculoſum eſt ſanas carnes habentibus*.

It. diureticis, quibus a calculo ſe immunes præſtare autumant.

Hujus etiam generis eſt diureſis prophylactica, qua nonnulli, aut omni ſcopo deſtituti, aut calculum, ſive ſine, ſive non ſine, ratione, metuentes, ſibi proſpicere geſtiunt. Quos tamen per uſum diureticorum frequentiorem, etiam alimentoſorum, v. g. aſparagi, petroſelini, renes copioſiore ſero ſuffundendo ac inundando, his nephriticam potius diſpoſitionem aliquando inducere, aut hujus leviſſima rudimenta augere, experientia loquitur. Neque omnis ſanguinis compages, laxior nempe ac ſtrictior, eorum cuncta ferunt, ſed diſcrimen horum innuit ac poſtulat: quorum neutrum tamen cum æger ac medicus, in corpore, quoad ſenſum ſano, perſpiciat, non mirum, ſi ipſius maſſa ſanguinea ab incongrua & immoderatiore diureticorum aſſumptione detrimenta majora capiat. Ut taceam, cuncta illorum non, niſi præcipitando & fundendo, operari, adeoque cruoris & ſeri connubium atque amplexum naturalem nunquam non plus minus lacerare ſeu conturbare. Multo minus medicamenta hæc urinaria, quaſi a paroxyſmis præſervent, nephriticis ſeu calculoſis propinanda, cum, perhibentibus practicis diverſis, v. g. *Joh. Bapt. Montano t. 7. conſult. 93* omnes totius, vel aliorum viſcerum, heterogeneitates ad vias urinarias impellant ac detrudant, hinc calculoſam procatarxin intendant, paroxyſmos accelerent ac atrociores reddant: ut non inepte *Crato* penes *Scholz. conſil. 146*, & *Capivaccius* penes *eundem conſ. 154.* ac *Heurn. meth. med. part. 2. c. 11* ſcripſerint, renum ac

veſicæ calculo laborantibus ab uſu diureticorum intempeſtivo plus periculi, quam ab ipſo morbo, contingere, ſeu calculum augeri.

Nec ſudoriferorum adminiſtratio præſervatoria omnis periculi expers, cum nunquam, niſi maſſam ſanguineam ſolvendo, agunt: quale quid equidem, cœteris paribus, felicius ſuſtinerent pituitoſi, minus tamen commodum foret bilioſis, aut quorum compages humorum alias laxior, quemadmodum nec quibus ſerum deficit, hocque per hydrotica magis exhauſto ſpicula humorum ſalina acriora magis exaltantur; ut alia penes hos vel illos mittam prohibentia ſeu ſudorem diſſuadentia. Quemadmodum pariter ſudoriferis.

De Venæſectione aliisque ſanguinis miſſionibus, quamdiu nihil abundantiæ, aut ſtagnantis ſanguinis ſimilisve indicantis obſervamus, pariter, an has ſanitatis tuendæ gratia adminiſtrare conveniat, ambigo: falli potius dico eos, qui, etſi nullum affectum ſolennem metuendum ſibi habent, qualis forſan ſui declinationem aut mitigationem per ſanguinis depletionem poſtulet, annuatim ſemel aut bis venam ſibi incidi patiuntur, conſuetudini potius pravæ & ſodalitio, litantes: quod evacuatio hæc nunquam ſine ſanguinis hujusque ſtatus naturalis ſeu oſcillationis vitalis alteratione fieri queat; dum ex ſententia omnium ſtatum ejus præternaturalem evidenter immutat ſeu corrigit, hinc inter generoſa remedia medica generoſius audit. Juxta *Williſium Pharm. rat. part. 2. ſ. 3. c. 1.* per crebriorem ſanguinis eductionem ipſe plus texturæ ſulphureæ, quam ſalinæ, induit, & ad febres diſponitur, nec poſtmodum in gravioribus malis, quorum efficax remedium alias obſervatur, aliquid præſtat, & ſanguine ad plethoram evitandam emiſſo remanens maſſa citius denuo ad plenitudinem aſſurgit: Ne dicam, ante ætatem, niſi ſumme plethorici, hos ſanguinis proprii profuſores conſeneſcere: quale quid de Scythis legimus, qui ex venæſectione pone aures frequentius reiterata ſteriles evadebant. Inſtas, nullam tamen poſt venæſectionem ejuſmodi præſervatoriam percipi in corpore anomaliam: regero, nec apparere aliquem ejus fructum, periculo non erat exponendum corpus, nec incerto quidem, neque emolumentum ejuſmodi imaginarium tale quid jubet. Corripiuntur morbis gravioribus, quibus feſtivitas hæc cruenta ſolennis, ſimiles experiuntur, qui eam non curant: æque facile Venæſectionis præſervatoriæ damna.

cile dictu, illos propter admiſſam, hos propter neglectam, evacuationem ægrotare; utrum horum verum magis? ambiguum relinquitur.

Etiam alterantia intempeſtive uſurpata nocent.

Alterantibus humores, alterandi vim ineſſe, ſine dubio omnes ſupponimus: verſus quodcunque E. extremum illos, qui ſecundum naturam & bene conſtituti ſunt, alteres, e ſtatu naturali in præternaturalem conjicies ac ſanitati tantum derogabis. Et acidum, viſcidum &c. quod intra viſcera tua concipis, ſi non fictum & imaginarium, certe tale, eſt, quod multiplicatis abſorbentibus, præcipitantibus, incidentibus &c. tandem aliam ſeu contrariam, vitalitati æque aut plus exoſam texturam induit: hinc ejuſmodi Medicos *de ſoy mesmes* raro vividos & perfecte ſanos, ſed valetudinarios, utplurimum cernimus.

Una cum confortantibus.

Confortantium uſualium & domeſticorum pleraque robore ac virtute ſpiritus excitandi ac analeptica deſtituuntur, ſc. fixiora: aromaticorum & ſpirituoſorum crebrior aſſumptio vel ideo ſuſpecta, quod in viribus pollentibus ſpirituum & ſanguinis motum vitalem ad orgaſmum ſeu exæſtuationem vitalitati minus congruam deducant; vel quod ambiguum relinquatur, an ſpiritibus noſtris & confortantibus illis credita intercedat conformitas, ideo inprimis, quod hæc frequentius & in majore doſi uſurpata ſanguinem p. n. turgeſcere faciant & ſpiritibus animalibus narcoſin imprimant. Si proin horum uſus nimius evidenter nocet, moderatus quidem non evidens, certum tamen, damnum inferet, ſeu non omni nocendi ſuſpicione caret.

Abuſus Nicotianæ, Thée & Coffée.

Oportunum hic erit illorum ineptiori temeritati contradicere, qui ſecundum morem Chinenſium, Hiſpanorum, Anglorum, Belgarum & neſcio quarum gentium, nicotiana, potu Thée ac Coffée adeo ſtrenue abutuntur, ut, niſi his, vel cunctis, vel eorum alterutro, quotidie fruantur, ſingulari præcordiorum anguſtia ſeu languore ſe corripi, ſibi perſuadeant: qualem errorem ac inordinatum rerum illarum appetitum, quem Picæ certum genus mihi appellare liceat, ut colorent, inſignibus & tantum non univerſalibus illa virtutibus medicamentoſis gaudere, hinc ſingularem ab iis in conſervanda ſanitate ſibi promittunt fructum, ſed forſan ſine ratione. Singulis his concedo ſuas vires, huic vel illi corporis idioſyncraſiæ proficuas, ſed non omni-

bus

bus æque: perinde ac nullum medicamentorum aut alimentorum medicamentoſorum omnibus ſalubre deprehenditur, ob diverſas, quibus gaudent ſinguli, craſes; neque ſaluberrimum horum, quod forſan alvum laxet, urinam pellat, caput roboret, flatus diſcutiat, quotidiani uſus evadere ſolet, nec debet; niſi hinc plus damni, quam commodi, expectare malis. Et ſi demum experientiam conſulas, ejuſmodi rerum heluones deprehendes, haud dicam, minus, non magis, aliis ſanos. Laborant ſymptomatis hypochondriacis & cachexia nunc, ut olim, calculi & arthritidis cruciatus iis non exiſtunt rariores, ſcorbutus vires penes nos integras tenet, conqueruntur alii aliæve de ſtomachi imbecillitate ac cruditatibus, de cephalalgia pertinaci, menſium inordinato fluxu atque ſuppreſſione, fluore albo aliisque affectibus chronicis, nec ab acutis cujuscunque generis immunes ſunt: adeo ut nemo habeat Pharmocopolarum, cur metuat, ne detrimenta ab uſu Coffée & Thée patiantur eorum tabernæ, atque loculi evadant inanes: perinde ægrotant noſtrates nunc, ac olim, & qui illis quotidie vacant, de ſanitate præ cæteris non magis gloriari poterunt.

Quoad Nicotianam, hujus fumum hodie omnis atmoſphæra ſpirat, & eum multi per totam diem ac potiſſimum noctis trahunt, pro ſero catarrhoſo, ut ajunt, ſubtrahendo, mane quoque ſummo citius fiſtulam fumiducam petunt, antequam lectum deſerunt; ne ſc. hora abeat ſine linea. Habere vegetabile hoc ejusque fumum facultatem ſerum ſalivale educendi, hincque diverſis ſine dubio affectibus medendi, & imminentes avertendi, in aprico eſt, ſuſpectus tamen hic videri poterat propter virulentiam narcoticam, qualem *Primeroſius 4. de vulgi error.* argumentis diverſis delere conatur, comprobat nihilominus experientia multifaria, ratiunculis illis potior. Sed quicquid hujus quoque ſit, concipe tibi, egoque concedam, fuligines herbæ illius ſanctæ ſaluberrimas, quotidianus tamen ſeu perpetuus earum hauſtus prodeſſe non poterit: ſive ſerum præter modum ſubtrahendo, ſive ventriculi appetitum deſtruendo, ejus tonum relaxando, cachexiam inducendo, pulmones rodendo &c. teſtes horum denuo provoco experientiam ac practicos infinitos, v. g. *Tulpium 1. obſ. 6. & Kerckringium ſpicil. anat. 90.*

Nicotianæ fumi commoda ac incommoda.

Recentius

Ac pulveris ejus. Recentius depravatæ phantaſiæ productum eſt pulvis tabaci, errhinum ac ptarmicum alias famoſum & remedium certis ſcopis miniſtrans: aſt abuſus ejus & momentanea fere per nares attractio e medicamento venenum facit, plus juſto naribus & capiti ſubtrahendo, ſtuporem huic imprimendo, pectori pariter inſidias ſtruendo. Sternutamus nunquam ſine vehementiore thoracis concuſſione, usque adeo, ut ſternutando mucum æque pectoris ac narium expiratione hac violentiore rejiciamus: motu proin hoc ſternutatorio vehementius pariter commoventur pulmones, non ſine ſui periculo. Nec qui Nicotianæ pulvis ſine ſternutatione & inſenſibiliter magis, errhini nomine, vim ſuam exerit, omni culpa vacat: cum ejus notabilem ſemper portionem nobis non advertentibus, inſpiratione per nares facta, ad Laryngem & Pulmones cum aëre deflectere, probabile ſit. Novi virum hujus civitatis ſtrenuum, qui adductioni hujus pulveris per longum tempus adſuetus non raro de oppreſſione thoracis conqueritur, quod ſymptoma quidem a priori huic pulveri vix adſcripſiſſem, niſi ſuperiore anno frequentare mihi licuerit aliam Generoſioris proſapiæ & Illuſtriorum munerum perſonam peregrinam, quæ inexplebili hujus ferculi appetitu gaudens interdiu ac noctu illud anhelabat & naribus intrudebat. Hæc ex dyſpnœa & tuſſi, phthiſin minitante, ab aliquot ſeptimanis male ſe habens meum conſilium & operam rogabat, poſt appropriatorum vero medicaminum uſum primo ſputum ſpumoſum & tenue, copioſiſſimo pulvere nicotianæ interſperſum, ſucceſſive ſpiſſius cum euphoria & paucioribus illis ramentis, rejiciebat, hincque tandem pectore levato & tuſſi cum priſtino ſtimulo ceſſante abibat. Quod me conjecturare juſſit, etiam in altero pulveris hujus heluone eandem cauſam anguſtiæ thoracis exiſtere.

Item Thée & Coffée. Thée & Coffée abuſum ac depravatum uſum ſpecialius ſtringere nolo, applicari his ſufficiant illa, quæ in genere de quotidianis his commemoravi, nec, quem moderata illorum ſorbitio effectum valetudini ſalutarem promittit, immoderatius & prave iis utentes, quin potius certas moleſtias & inſidioſa detrimenta, ſperare debent; cum non tantum in exceſſu, ſed modo etiam utendi, peccent illi. Frequentius incidi in ejuſmodi Coffée potatorum conſortia, quæ

illius decocto intercalabant vinum Creticum ſimileve generoſum, aquam cinamomi v. g. ſpirituoſam, aut utrumque: quærens, cur ita agerent, reſponſum ferebam, fieri hoc, quo cruditates Coffée temperent ac ſolvant. E. cruditates magno conatu & appetentia colligebant, ut has per hauſtus generoſiores detergerent. Quosdam aliquando offendi vini compotatores non leviter temulentos, nunc decoctum Coffée ſorbentes, eum, ut ajebant, in finem, quo medice viverent, i. e. æſtum a vino ſibi impreſſum extinguerent. Aliquantulum vero penes hos commoratus en, phiola aqua aurantiorum ardente repleta advolat, quam pariter exhauriebant & ſtratum ſuper ſtratum cum liquoribus antecedaneis artificioſe ſatis formabant: ſubridenti &, cur etiam hoc facerent, roganti uno ore cuncti reſpondebant, quo a Coffée diluto laxato ſeu debilitato ſtomacho per potum hunc ſpirituoſum opportune ſuccurrerent. Hauribeant proin decoctum Coffée ſodales hi pro æſtu vini attemperando, ſuperfundebant huic aquam ardentem, quæ, prout credebant, ſtomacho ab illo debilitato opem feret, utroque forſan ſuperſedere potuiſſent; ſic in circulum redit ac volvitur valetudo, & ut peſſime vivamus, medice vivimus.

Verum eſt adagium, ethicis pariter ac phyſicis ſolenne, *omne nimium vertitur in vitium*, hinc cunctorum quoque, quæ avidius & copioſius aſſumimus, v. g. panis, vini, omnium eſculentorum ac potulentorum atque aromatum quoque, quorum uſum ſalubrem, immoderatiorem noxium, experimur: quia tamen neminem hoc in paſſu refragaturum confido, exemplis, quod penes omnes in confeſſo eſt, firmare nolo, unicum etiam plurium loco erit. Nucem myriſticam ſaccharo conditam cum Indis noſmet ſtomacho & cerebro gratam novimus, parcius uſurpatam, ex nimio tamen ejus uſu cunctos, inprimis regionum calidiorum incolas, v. g. Indos, quoad ventriculum & cerebrum, periclitari, ut illi gravitatem moleſtam, huic ſomnolentiam ad carum usque, inducat, præter *Bontium* communis docet obſervatio. **Omne nimium perniciosum.**

Hæc E. cum genuina methodo medendi, de qua *cap. ſeq.* agam, qui attendit, non dubitare poterit, ſe inſimul *tuto* curare, modo unum alterumve declarandorum adhuc obſervet, inter quæ ſine dubio ordine **Agat Medicus ſecundum rationem atq; experientiam.**

dine ac potentia prius, ut Rationem Experientiæ, quas artis genitrices ac nutrices exiſtere, inter omnes ſane convenit, undique combinet artifex, adeo ut ſine utriusque hoc connubio nihil unquam moliatur, certus, ſine cynoſura hac & fundamento bifido commode ſe operari haud poſſe. Quia nihilominus hæc cognoſcendi atque operandi inſtrumenta, quod aliquando inter ſe pugnare ſibique refragari videantur, medelæ adminiſtrationem difficilem valde reddunt, ut utri horum ſe mancipet in caſu dubio anceps hæreat medicus: huic ambiguitati evolvendæ, & quo intrepide magis in curatione ille progrediatur, eum Herophili Acronis, Agrigentini & Hierophili placitorum admoneo. Sc. quamvis Medicina ab experimentis prima ſua ſtamina ceperit & conjecturis inventa per illorum evidentiam polita ac firmata fuerit, & adhuc integrum maneat eorum conſortium, minus tamen ambigendum veniat, aliquando ſine ratione aut repugnante ratione operari licere ſecundum illa, quæ genuina & circumſpectior experientia ſuggerit, id eſt, ſine cauſarum morbificarum ſcientifica magis cognitione, ac ſub verorum indicantium ignorantia nos aliquando admovere poſſe medelam ac præſidia, quibus vel noſtra, vel aliorum fide dignorum, experientia fidem fecerit.

Experientia tamen prævaleat.

Quamvis enim per aſſertum hoc, quod Sectæ empiricæ Fundatorum ſit, paradoxus & minus dogmaticus videar medicus illis, qui præjudiciis ſuis olim hauſtis plus juſto abblandientes, nihil unquam ſine ratione ſuſcipiendum eſſe autumant, & ægros ſecundum methodum mori malunt: quaſi artis præcepta hoc certitudinis ac immutabilitatis conſcenderint faſtigium, ut illum civitatem medicam exire jubeant, qui idolum hoc non ſtupida devotione veneretur, i.e. vel ſecundum formatas olim hypotheſes inſtrumentorum medicorum agendi modos ſibi haud fingat, vel qui, quod non præſto ſit ratio fallax, remedium probabile cum ægri detrimento non negligat ac damnet. Sine hæretici nihilominus & empirici nota me convictum confido, in medela facienda & in præſidiorum artis exploratione atque applicatione Experientiæ præ ratione eſſe fidendum, illi etiam ſoli & hac deficiente, ne dicam contradicente, inhærendum, per eandem artem emendando ac ampliando, imo quæ hujus, ut experta

Adeoque huic etiam inniti convenit, ratione deficiente ac repugnante.

experta & ratione approbata hactenus tradebantur, accuratiori examini exponendo. *Kyperus* equidem repugnantibus ſibi his, ei fidendum aſſerit, quod evidens maxime eſt: per evidentiam vero hanc, quam utrique horum concedit, normam valde dubiam conſtituit, & obſcurum ſatis promittit deciſum. Longe ingenuiorem ſe præſtat *Sennertus*, qui non tantum deficienté, ſed repugnante quoque, ratione in remediorum inveſtigatione experientiæ inſiſtendum ait, cum, advertente *Galeno*, pro potioribus habenda nihilque ambigui relinquant, quæ ipſis oculis uſurpamus, ſeu ſub ſenſus cadunt, & nulla ratio adeo ſcientifica dici queat, cui experientia repugnet. In indicatione quidem therapevtica primaria formanda, ſeu, in, quid agendum, determinando, plus forſan aliquando valet ratio, v. g. viſcidum incidendum, detergendum, acre temperandum, cruditates ventriculi corrigendæ, dolor mitigandus, calculus exturbandus: quia indicationes tamen hæ non ſemper genuinæ ſunt, & ex falſo promanant aliquando indicante, ſeu ex fallacia ſecundum non cauſam, ut cauſam, v. g. ex putredine in febribus, ex exuperantia bilis in tertiana, humoris melancholici cumulatione in quartana & hypochondriaca paſſione, ex ſanguine fervidiore in inflammatione, qualia ipſa experientia & juvantis habitudo atque vis ambiguum reddunt, v. g. abſinthii, taraxaci, utpote amarorum, reſolventium, hinc bilioſos humores non tam temperantium, quam exaltantium, item terreorum, v. g. Corallorum, Martialium, hypochondriacis & quartanariis ſalutarium, Spiritus vini & camphoræ ad inflammabilitatem usque calefacientium, miſſis de humore tenui ſeu calido & ſicco in Tertiana v. g. de craſſo & terreo in Quartana & Melancholia hypochondriaca, de æſtuante ſanguine in tumore phlegmonode, hypotheſibus hincque petitis ætiologiis, remediis illis per experientiam obſervatis & comprobatis inhæremus, illaque vitia per hæc emendamus. Quia ratio aliquando fallit.

Attendit hoc *Scriptor Anglus recens* in ſcripto ſatis ſatyrico, *de arte curandi morbos expectatione c. 26.* quod idem olim jam dum in *the Conclave of Phyſitians* innuerat, qui quod remediorum applicandorum rationem methodus implicet, neceſſario eorum peritiam notitiamque præhabendas aſſerit, adeo ut horum ignorantia omnes Experientia magis prodeſt.

tam generales, quam ſpeciales, methodi canones illudat. Hinc nihil aut parum momentoſi detergendi indicationem in phthiſi adferre, ni de medicamento ejuſmodi detergente vero conſtet, ac tali ſimilive ignorato in ulceribus viſcerum omnia ad medicandi methodum facientia, hujusve regulas, imo morbi & hujus cauſæ notitiam, & quicquid in cunctis medicinæ partibus continetur, pro nihili, quoad phthiſin, ducenda. *Ut verbo protulerim*, inquit, *quemnam morbo curando magis putabis idoneum, num remedium expertum callentem, medendique methodi neſcium, an hujus gnarum, remedii autem ignarum? Næ, quod prior naturali methodo inſtructus ad curandum magis ſit habilis, quam poſterior, ſuæ artis methodo indutus, nemo inficias ibit: idcirco remedio apto & experto latente nihil pollet quævis medendi methodus.* Et juxta *Ariſtotelem 1. metaph. 1. ad agendum nihil videtur experientia differre ab arte ipſa, quinimo videmus expertos magis id, quod intendunt, conſequi, quam illos, qui rationem absque experientia tenent:* ac paulo poſt, *ſi quis rationem absque experientia teneat, & univerſale quidem cognoſcat, quod autem ſub eo particulare eſt, ignoret, ſæpenumero errabit a ſanando.*

Et largior equidem, chirurgicorum remediorum potiſſima per rationem eſſe primum inventa, pharmaceuticorum tamen inſtrumentorum pauca forſan rationis, plurima, ſi non cuncta, experien-

Etiam ſine ratione.

tiæ ſoboles ſunt. Camphoræ, Urticæ, Menthæ, Spicæ ſimiliumque aromaticorum & acrium efficaciam inſignem in hæmorrhagiis nulla ratio, vel a fluxus cauſis, vel a vegetabilium recenſitorum textura, petita, ſuadet, perſuadent nihilominus tot practicorum obſervata, v. g. *Rod. a Caſtro 1. de morb. mal. c. 5* in hæmorrhagia uteri, & *Riverius pr. 1. c. 8.* in narium fluore cruento menthæ decoctum deprædicant, eandem Mentham, naribus intruſam, Spicæ Nardi pulverem vero frequentius aſſumptum, eidem mederi, idem l. a. perhibet: Urticam contuſam & hujus ſuccum inter topica cunctis hæmorrhagiis evporiſton certum cenſent *Foreſtus 13. obſ. 10* & *Borellus 1. obſ. 95.* ac Camphoræ uſum, quam olim ratione ſuæ ſubſtantiæ reſinoſæ & penetrantis ſeu reſolventis deprædicabant, *Barbett. pr. 4. c. 13* atque *Deckerus eodem loco* in pari fluxu extollunt. Hinc pulverem officinarum Sperniolæ Crollii, ex Myrrha, Croco, Camphora & Thure compoſitum,

tum, hæmorrhagias compeſcere perhibent multi: cujus nihilominus effectus, ſi camphoram, myrrham & crocum potiſſimum attendas, nulla ratio reddi poterat, quod inprimis horum virtus emmenagoga, illum dubium præſtet. Equidem memini, Cinnabarim Antimonii & nativam trepida ſatis manu a quibusdam propinari, vel quod decompoſitum hoc ſub ſpecie mineralis ſuſpecti omnimode damnent, vel quod de accuratiore & genuina præparatione artificis ambigant: ſed utrique horum injuſtam habent metuendi cauſam, vel quod inſons & tutiſſimum hoc medicamen teſtentur infinitæ practicorum experientiæ, vel quod ſibi commixta tantum Mercurius & Sulphur hincque compoſitus pulvis, ſub Æthiopis mineralis nomine, poſt Anglos nunc a noſtratibus quoque exhibeantur. Et quæ ratio v. g. Rhabarbari, Hellebori nigri &c. vim catharcticam monſtraſſet, niſi eam manifeſtaſſent experimenta toties repetita.

Memoratu dignum eſt, quod de efficacia mixturæ ex Spiritu Terebinthinæ & vini in punctura nervi dolorifica pariter ac periculoſiſſima Caroli Noni, Regis Galliarum, cui loco venæ nervus inciſus fuerat, *Paræus lib. 9. cap. 38* perhibet, medicamenti ſatis acris: cum nihilominus ante Paræum Chirurgi omnes acria vulnera nervorum minime ferre tradiderint, adeoque repugnante ratione illud remedium applicatum fuerit. Equidem, dum hoc commendabat, ſalutare maxime, conſilio ſui addebat rationes, aſt tales, quas *Sylvius pr. l. 2. cap. 23* pro merito ſtringit, nemoque, cui tantillum rationis ſupereſt, alicujus momenti ſibi perſuadere poterat, experientia interim edoctum Paræum remedium hoc perite applicuiſſe conſtat. Et proin *Sylvius*, poſtquam l. a. modum applicandi recenſuerat atque comprobaverat, ætiologiam impugnarat, hunc in modum concludit: *Hoc autem idcirco pluribus oſtendi, ne quis miretur, ſi ſubinde, imo frequenter, in quorundam medicorum libris legat medicamenta uſu comprobata, quorum interim rationem ignorent practici, non ſemper in ratiocinatione ſolidiore adeo verſato, quam ipſa praxi empirica, quæ, ſi rationalis fiat, multis paraſangis ſuperabit Vulgarem. Malim autem uti Medico Empirico, i. e. ſecundum experientiam praxin exercente, quam Theoretico & ex ſuis ratiociniis & figmentis medicinam faciente: docuit enim jam pridem omnes accuratos eorum, quæ circa artem noſtram accidunt,*

Uſus ſpiritus vini & terebinthinæ in vulneribus nervorum paradoxus.

cidunt, obſervatores, longe feliciores eſſe in praxi medicos empiricos, quam theoreticos, quique ex libris medici fiunt, aut ſuis ſpeculationibus; homines in ſua dementia tanto miſeriores, quod tam multos ſecure reddant miſeros &c. Sicut etiam *Fr. Hofmannum*, poſtquam *meth. med. lib. 1. c. 5* de conjungendis ratione & experientia prolixe diſſeruerat, demum concludit, ubi ratio refragatur, experientiæ potius inhærendum eſſe, medici nempe periti, certæ & indubitatæ. Et *Zwingerus comment. in præcept. Hipp.* hortatur medicos per ſalutem ægri, ex conſilio ejusdem Hippocratis, ut in morbis difficilioribus illorum τριβὸν ſeu experientiam non negligant. Utut enim methodum dogmaticam, ex hiſtoriis ſingularium deprompṭam, non haberent, habere tamen experientiam ſingularium, & curare aliquando morbos empirico analogiſmo, licet therapeiæ ſuæ rationem per epilogiſmum dogmaticum reddere nequeant; Imo purum empiricum, vel *Ariſtotelis* teſtimonio, mere dogmatico, quod ille aliquos, licet ſine arte, hic nullos unquam, ſanet, anteponit.

Uſus ſpiritus terebinthinæ in hæmorrhagiis.

Occaſione ſpiritus ſeu olei terebinthinæ in vulneribus nervorum adeo proficui experti, non poſſum non meminiſſe effectus ejusdem, quem nulla ratiocinatione quis ſibi promiſiſſet, liquoris inflammabilis ac ratione ſubtilitatis & penetrandi virtutis ætherei nuncupati, declarat tamen ac multis experimentis comprobat Chirurgus Anglus recens, *James Jonge* in *Curr. triumphal. e Terebintho*, in hæmorrhagiis vaſorum etiam ſatis ingentium reſtringendis. Nimirum ſi vulneribus horum linteola tantum oleo illo, probe calefacto, imbutã, imponatur, & pars ſauciata rite deligetur, brevi hoc omnem fluxum ſanguinis inhibere, membrum ab inflammatione, ſpaſmis ſimilibusque ſymptomatis defendere, vulnerisque digeſtionem notabiliter facilitare. Simile præſtare ſpiritum vini, quod nulla ſibi poterat perſuadere ratio, olim aliquando narravi, hæmorrhagias hunc pariter ad ſtuporem ſiſtere, cum plumaceolis ſub moderata vaſis vulnerati compreſſione, applicatum, liquorem ſalino-ſulphureis, volatilibus atque alterantibus & ſolventibus, quibus ſanguinem potius exagitet & ad turgeſcentiam diſponat, non terreis, non fixis, non adſtrictoriis, particulis ſcatentem.

Inſuper experientia hodierna & quotidiana ſuperiorum ſeculorum

lorum euporiſta &, pro infallibilibus hactenus decantata, morborum præſidia inutilia, fallacia & doloſa deprehendit, & ſic in plura inquirere jubet. Sanguinis miſſiones indicatum febrium & cauſæ febrilis crediditantiquitas, propugnare hactenus ad ſanguinem usque allaborarunt ſcholæ, adeo ut ad curationem cujuscunque illarum generis phlebotomiam adminiſtrare non dubitarint Medici non ſuperiorum tantum ſeculorum, ſed modernorum quoque multi, decepti ſine dubio a *Galeno 11. meth. med. cap. 15*, ubi ſcribit: *Saluberrimum autem eſt in febribus venam incidere, non in continentibus modo, verum etiam aliis omnibus, quas putreſcens humor concitat.* Quibus nihilominus opponere licet exempla plus, quam quotidiana, illorum nempe, qui a febre non tantum per venæſectionem non reconvaluerint, ſed gravioribus periculis ac morti mancipati fuerint, qualia *Joh. Franciſcus de Franciſco* hinc inde, inprimis *cap. 2. & 4. de Venæſect.* recenſet, & perinde, ac *Jacob. Ponz de nimis licentioſa ac liberali intempeſtivaque ſangv. miſſ.* eam in febre, ut tali, diſſuadet. Quale quid in ſpecie de febribus intermittentibus aſſerit *Sylvius prax. append. 9. §. 177. 178. &c. app. 10. §. 677. 678. ſeq.* ubi etiam argumentis pro contraria ſententia allatis diſerte reſpondet, tandemq; per experientiam infert, ſanguinis miſſionem intermittenti febri, qua tali, minime, ſed certis tantum hujus aliquando ſymptomatis, competere, aliquando in harum medela nocere, quemadmodum pariter in plerisque continuarum: ut taceam aliorum modernorum experimenta, theoriis ejuſmodi hæmatizantium contraria.

Venæ-ſectio in febribus ſuſpecta.

Porro, aliquando theoriam circa unum idemque negotium ita hæſitare contingit, ut contradicentium argumenta æquiponderent, v. g. circa eandem Venæſectionem in variolis ſimilibusque exantematis, quam ex Veteribus *Fracaſtorius*, *Amat. Luſit.* & *Nicol. Fontanus &c.* ex Modernis *Riverius* & *Menjotius* aliique ideo propugnant, quod natura per ſanguinis eductionem ab onere levetur, ſicque ad feliciorem heterogeneitatum incongruarum ſecretionem ac metaſtaſin diſponatur. Contra argumentis non minoris ponderis ſummum phlebotomiæ in Variolis periculum innuunt alii, v. g. *Sydenham obſ. med. circa morb. acut. hiſt. ſ. 3. c. 2*, quod nimirum per eandem ebullitio ſanguinis deſpumatoria & ſecretoria turbetur, ſimulque id

In variolis pariter, niſi rariſſime.

ſubdu-

ſubducatur, quod inchoatæ ſecretioni quaſi pabulum & impetum continenter ſuppeditare debebat. Quales lites praxis ſatis funeſta ac mortes illorum dirimunt, intempeſtive ſatis & juſto tardius, adeoque ſine digladiantium præmio ac gloria: aliquando quamvis ſalutare hoc varioloſis remedium teſtetur eadem experientia, non, niſi a practico peritiore aliis caſibus applicanda, ſub cautela a *Riverio* & *Sydenham* ſuggeſta, ſeu accuratiore dignotione ſanguinis plus minus ebullientis.

Experientia etiam methodum mutat.

Imo obſervationes atque experimenta practica ſolertiora non remedia tantum inveniunt ab indicantibus indicata, v. g. catharcticum in primarum viarum cruditate, ſed per horum inventionem methodum quoque & indicantis atque indicati connexionem, ſatis firmam hactenus viſam, aliquando dubiam reddunt, ſi non omnimode evertunt: v. g. uſus Corticis Peruviani in febribus intermittentibus ſalutaris, methodo cujusvis hypotheſeos de natura & cauſa febrium legibus ſuperior. Nec adjicere vereor, eandem experientiam remedium non tantum hujusque ſucceſſum innuere, v. g. venæſectionem modo ſalutarem, modo exitioſam varioloſis evenire, calvariæ perforationem percuſſis modo prodeſſe, modo ſecus, folia Sennæ modo cum torminibus, modo blandius, alvum ſubducere; verum rationem quoque diſparium ejuſmodi unius remedii effectuum reddere; ſalutarem eſſe phlebotomiam illam, ſub ebullitione ſanguinis exquiſitiore, noxiam ſub minore ac fatiſcente; fruſtra adhiberi modiolum, ſi cruor e Calvaria educendus profundius hæreat, ejusve grumus Duræ matri tenacius agglutinetur; folia Sennæ tormina concitare per viſcoſitatem inteſtinam, quam decoctio eorum evolvit, corrigunt additamenta ſalina, Cryſtalli v. g. Tartari. Neque tandem, quæ ab analyſi chymica horum illorumve concretorum medicamentoſorum eorumve textura petuntur, rationes in determinando morbi remedio hujusque agendi modo adæquate exhauriendo ſemper quadrant: cum per illas hypotheſes nec per experientiam jam dum obſervatæ eorum facultates ſemper commode ſatis explicari queant. Ita per artem quamvis ex hoc illove eorum educantur ſalia, olea &c. ambiguum tamen relinquitur, an per hæc in corpus noſtrum agant, hujusque ataxias corrigant: poſtquam nonnullorum

Remediorum ſucceſſuum rariorum etiam rationes ſuggerit.

Quod non ſemper præſtat ratio.

nullorum ſalia volatilia & fixa, v. g. mandibulæ Lucii, Cornu Cervi, abſinthii &c. aliis partibus conſtitutivis eousque involuta ſint, ut ab his in corpore, quod talia aſſumpſit, & ubi tantus ignis calor, quantus ad evolvenda illa neceſſarius, concipi nequit, educi haud valeant; adeoque nec medicamina hæc vim ſudoriferam & antifebrilem exerant, pleuritidem non diſcutiant, per ſal volatile aut alcali, licet effectus ejuſmodi præſtare, experientia conſtet. Neque ex concretis medicamentoſis educta ſemper agunt, quod totum, v. g. Sal abſinthii nullius valoris in lumbricis pellendis aut febribus expugnandis præ integra herba.

Quemadmodum nec in negotio hoc analogiſmus ſufficit, ſi v. g. concludamus, ſal volatile ſuccini urinam pellit, E. Aſelli idem agunt ratione ſalis volatilis; quatenus in cineres quoque redactus bufo diuretica potentia gaudet. Aut ſi a præcipitationibus variis, quas per experimenta mechanica edocemur, ad morborum medelam argumentemur: v. g. Martialia abſorbent acida. E. dum ictero medentur, acidum morbificum abſorbendo agunt. Adeo ut, quamvis ratiocinatione ſeu conjecturando aliquando inveniantur hujus vel illius affectus præternaturalis præſidia, v. g. *a Galeno de ſimpl. med. facult. lib. 10. c. 9.* articulorum tophi caſeus acris in cruris ſuilli ſalſi decocto maceratus, fatetur tamen hic, hoc a ſe excogitatum remedium experientiam demum comprobaſſe: perinde ac ab *Avicenna, Paulo* aliisque potu data oſſa humana arthritidem ſolvere, non tam per rationem, quod eadem digerendi atque exſiccandi vim habeant, qualem huic experimento affingit *Zacutus Luſit. 3. de med. Princ. hiſt. 36.* quam per ſuccedaneas obſervationes, firmatur.

Nec ab analogia petita

per experimenta demum confirmatur ratio.

Aſtrorum, Solis inprimis, Lunæ & cæterorum planetarum ortus ac occaſus, ſitus, motus & coitiones tam inter ſe, quam cum aliis ſideribus, potiſſimum Zodiaci, in curatione morborum attendere jubebant Aſtrologorum olim plurimi, una cum Medicis nonnullis: quorum tamen poſteriorum paucos admodum ex doctioribus invenies, ſed rudiores plerumque tantum ac imperitos, qui ſuam in arte ignorantiam ejuſmodi extraneis futilibus incruſtare, opinionem, quam neutiquam demerentur, ſibi acquirere ac negligentiam diſſimulare contendunt, ſolſtitia & æquinoctia, novilunia, plenilunia, oppoſi-

Aſtrologorum præceptorum in medela morborum habent rationem multi.

tiones ac conjunctiones harum illarumve erronum ſtellarum accuſantes, ubi præpoſteræ curæ rationem reddere debebant hi errones. Commentorum ejuſmodi ab Aſtrologis hauſtorum infinita ſunt, ſc. quod Luna ſubintrante Leonem, domum Soli planetarum principi, dicatam, aut infortuniis, ut ajunt, aliis obnoxia, ſanguinem mittere metuunt, quemadmodum pariter, ubi eadem Luna Soli conjungitur. *Avicennas 1. fen. 4. c. 21.* ne ventoſa in Novilunio admoveatur, præcipit, quod humores nondum ebullierint &c. nec in ultimo ejus decremento, quaſi humores tunc ſint imminuti: quod ejusdem interpretes aliis hujus generis evacuationibus, per cauſæ conformitatem, applicant v. g. *Vigo de vuln. cap.* calvarium in plenilunio perforare detrectat. Delirant alii, in illo membro, vel ejus gratia, cujus ſignum, ſeu quod ab Aſtrologis ipſi mancipatum, Luna tunc percurrit, Venæſectione interdicentes: ſicut pariter, qui in magnis, ut ajunt, temporis mutationibus, ſc. Solſtitiis & Æquinoctiis, id faciunt. Perinde ac ſcutica dignum, quando tempora quædam præ aliis catharcticis hauriendis opportuna magis nuncupant: hæc propinare prohibentes, cum Luna alicui ex ſignis ruminantibus, Arieti, Tauro, Capricorno, inexiſtit, ne ſub his ſumptum pharmacũ vomitu rejiciatur, ſeu medicamentum dejectorium emeticum evadat; contra ſub hac Lunæ habitudine vomitoriorum uſum commendant, v. g. *Solenand. 5. conſ. 2.* Exhibent eadem vomitoria in novilunio ac ſub incremento, alvum ſubducentia ſub decremento, Lunæ, ut alias Planetariorum ejuſmodi ineptias mittam, v. g. quando Ptolomæus pharmacum exhibendum monet, dum Luna Jovi fuerit conjuncta, neutiquam, ſi maleficis Saturni vel Martis adſpectibus configuretur.

Modernorum vero plerique, *Aretæum* ſecuti, dum pleuritidis occaſione, nullum moræ dandum eſſe locum, ſcribit, quin potius valentiore remedio huic ſuccurramus, ſc. *Monardus 2. epiſt. 1. H. Cardanus meth. c. 24. Botallus de Sangu. miſſ. c. 22. Claud. Deodat. panth. hygiaſt. 3. c. 6. H. Augenius de Sangv. miſſ. l. 8. c. 19. L. Lemnius 4. de occult. nat. mirac. c. 15. Langius l. 1. epiſt. 35 & 36. Valleſ. meth. med. 1. c. 1. Amat. Luſ. cent. 3. cur. 81. Heurnius 3. meth. c. 9. Primeroſius de vulgi err. lib. 4. c. 9. & 10.* futile hoc dogma reſpuunt, ſuiq; diſſenſus varia depromunt argumenta, quæ ex iis prolixius recenſere ambigo, pauca ſufficiant.

Alii ſecus.

Et

Et quidem præfaminis loco, puto, penes pleroſque in confeſſo eſſe, dogmata hæc ſeu hypotheſes has aſtrologicas, neque a priore, neque a poſteriore, videri adhuc comprobatas: non a priore, quod eorum ratio evidens nulla detur, nec a poſteriore, quod experimentis adæquatis deſtituantur, quinimo experientiam contrariam habeant, ut ex ſeqq. conſtabit. Nec Solſtitia, nec Æquinoctia has evacuationes, vel quæcunque remedia interpellare ac comperendinare valent, cum in his haud magnæ, ut vocantur, temporum vel aëris contingant mutationes, quia hæ non evidentes: ne dicam, frigus non minus ac æſtum atmoſphæræ poſt hæc, ſeu poſtquam Sol hæc Ellipticæ loca aliquot jamdum diebus tranſiit, intendi. Et quemadmodum intuitu Æquinoctiorum ratio haud apparet, cur dies, quibus nobis ſol adhuc remotior, i. e. verni Æquinoctii punctum nondum conſcendit, aut autumnale ſuperavit & huic inferior factus, magis idonei ſint ad præſidia medica admittenda: ſic nec Solſtitia bina, quæ diſpari plane aëris habitudine gaudent, idem jubere, vel vetare, valent, poſtquam eosdem morbos non raro utrisque temporibus accidere deprehendimus; neque ſemper exceſſive æſtuoſum æſtivum, ſicut nec adeo rigidum brumale, exiſtunt. Nec conſtat, cur Luna creſcens ac declinans alium atque alium influxum in pharmacorum operationes præſtet, dum, quicquid lucis augeſcentis vel decreſcentis habet, non ſibi proprium tenet, ſed Soli tanquam mutuum, in acceptis refert, adeoque eadem lux, ratione intenſionis atque extenſionis, hinc vis extra ſe agendi, ipſi eſt in prima ac in ultima ejus quadra. Imo ſi lux originalis in Sole cunctis menſis diebus eadem eſt & pharmacorum uſum atque ſanguinis miſſionem toto menſis ambitu concedit: quomodo eodem tempore, quacunque ratione in Lunæ orbe modificata, alios atque alios effectus præſtet, non video; cum huic nihil hinc accedat, ſed multum virtutis, dum ab opaco ejus corpore reflectitur, decedat.

Nec ſine ratione.

Solſtitiorum & Æquinoctiorum nulla in medendo vis.

Nec Lunæ creſcentis ac decreſcentis.

Neque frigus Saturni, aut Martis fervorem, ſi Luna his conjungatur, adeo vereri debemus, ut ſub ejuſmodi adſpectu ægros opportuno ac neceſſario auxilio deſtituamus: quippe non hic eousque inflammat corporis noſtri fluida atque ſpiritus, quin ſub eo ejus ad Lunam poſitu etiam frigidiores invaleſcant morbi, ſi brumali inprimis

Nec adſpectus aliorum planetarum.

mis tempore talis eveniat; nec ille adeo infrigidat, quin conjunctæ ipſi Luna febres quoque aliique morbi calidiores generentur. Parum quoque qui, juxta *Ptolomæum*, membro, vel membri gratia, phlebotomiam ſimileve remedium admovere formidant, cujus Zodiaci ſigna Luna tunc permeet, fundamenti habent: quod illa membrorum corporis & Signorum relatio ex mera quorundam phantaſia oriunda ſit, neque ratio appareat, cur huic membro præ altero Aries, Libra &c. præſit, quatenus vulgari huic dogmati aliorum v. g. *Meſſahalæ*, ſententia e diametro repugnat, qui curationes adornare jubent, ubi Luna ſigna, membro affecto aſſignata, ſubintravit, e. g. phreniti- dis ac anginæ, ubi Luna Arietem, Taurum &c. tranſit, per humeralis venæſectionem. Et ſupponamus, quempiam percuſſionem capitis paſſum periculoſam, an huic nulla chirurgia adminiſtranda, quamdiu intra vel extra ſigna appropriata verſatur Luna? metuendum, ne ſero nimis illa paretur.

Neque ſigna Zodiaci, his vel illis membris dicata.

Rejicitur hæc ſententia.

Aut enim nulla habita permittentium intrinſecorum, coctionis nimirum & cruditatis humorum, temporis morbi &c. ratione hujuſmodi remediorum adminiſtrationem hæc ſyderum phœnomena moderari, aut utrumque ſimul attendi, malunt: Si poſterius, frequentius continget, morbum ejusque circumſtantias urgere evacuationem, quam hæc non permittunt; aut minus poſtulare, quam hæc innuunt, quod utrumque cum ægri damno fieret. Corripitur v. g. pleuritide plethoricus, Luna Leonem ſubintrante, huicne venam incides? quod urget morbus & ſub hoc latens plenitudo, vetat idem Lunæ motus: differ hanc evacuationem biduum vel triduum, donec Luna domum illam exiverit, ac intra dictum tempus ita augebitur inflammatio, ut nec reſolvi, nec maturari, queat, hinc in peripnevmoniam, phthiſin ac mortem ipſam conjiciet infirmum, tempeſtivo ac adæquato præſidio deſtitutum. Et cur non in ejusmodi caſibus normam agendi vel remedium differendi præſtat regula generaliſſima atque inviolabilis: Ex duobus malis minus eligendum, ſeu ad id, quod magis urget, conſilium dirigendum? Sic enim major & evidentior noxa minori anteponenda foret, qualis ſine dubio in urgente morbo ex remediorum generoſiorum dilatione magis impendet, quamque ſi ſub quocunque ſide-

Propter diverſas ſui difficultates.

rum

rum poſitu ſeu adſpectu ſanguinis miſſio vel catharſis adminiſtretur, hæc avertent: & in reſpectu ad Lunæ phaſes, oppoſitiones &c. vix tantum poterat exurgere periculum ex remediorum genuina applicatione, quam ex præpoſtera ac neglecta, minime ex aſtrorum adſpectibus his vel illis.

Præterea cautelarum harum aſtronomicarum totidem obſervantur, earumque magna latitudo eſt, quarum una nihilominus alteri videtur derogare, aut derogare poſſet: v. g. ut Luna inexiſtat ſigno cuidam ruminantium, ſit ſimul in ultima ſui quadra & Jovi vicina, it. in incremento, ubi deſiderabatur decrementum, cui uſui tunc foret catharcticum ἄνω ſive κάτω evacuans? Aut, ſi omnes hæ obſervationes veritati reſponderent, hinc ſingulis Æquinoctiis, Solſtitiis, circa ortum & occaſum Plejadum, Sirii, Noviluniis, Pleniluniis, oppoſitionibus, conjunctionibus ſimilibusque infinitis cœli phœnomenis ſuperſtitioſe abſtinendum foret ab his vel illis evacuationibus, imo propter latitudinem harum influentiarum aliquot dies ante & poſt, nullus remediis concederetur locus, nec tempus, ſi forſan plura horum prohibentium aſtrologicorum ſe ſucceſſive & per plures dies, haud interpolata ſerie, excipere, ſeu ſuccedere ſibi, contingat. Accedit, quod iidem Aſtrologo-Medici hinc inde tradant, illum, qui pharmacum ſumpſerit, aut ſanguinem miſerit, dum Luna ſextæ aut octavæ domus Natalis ejus occupet, difficulter evaſurum: qualis tamen Horoſcopus cum non omnibus ſit communis, ſed cuilibet proprius, non poteſt non inferri, quosdam dies ad præſidiorum ejuſmodi uſum aliis eſſe ſalubres, qui aliis exitioſi & emortuales.

Una harum cautelarum alteri derogat.

Equidem eorum plerique, qui nugas has, vel eas propugnando, vel iis connivendo, ſequuntur, quo Labyrintho hoc ſe extricent, inter morbos breviores & acutos valde, & inter longiores, ſeu qui inducias ferunt, judicioſe ſatis ſe diſtinguere putant, & præcepta hæc aſtrologica in poſterioribus tantum, non in prioribus, attendenda eſſe ajunt: Ex quo tamen illud abſurdi progreditur, morbos acutos cautelis eisdem ſuperſedere poſſe, ſecus, qui mitiores & tardioris motus: Cum tamen ſine dubio majore opus circumſpectione illi præ his, utpote valde periculoſi, habeant; vel ſi ſine hac mederi licet periculoſioribus, cur non minus talibus, ſeu non adeo præcipitis occaſionis? Pro-

Nec valet hic diſtinctio inter morbos acutos & chronicos.

fecto in febribus acutis, pleuritide, angina, apoplexia &c. periculoſum eſt, propter cœli hanc vel illam diſpoſitionem, neceſſaria remedia omittere, vel procraſtinare, ubi nimirum morbi tempora naturæque motus potius ſpectare oportet, & ſecundum ejusdem indicantia remedia varia, illi adæquata, præſcribere. Vel ſi in morbis acutis, & qui cum ſummo periculo moventur ac in quibus levius erratum grande damnum præſtat, nihil refert in ipſo adſpectus & influxus ſiderum incongrui tempore applicare, & exin metuendum damnum poſtponitur: quare in minus periculoſis ſeu ſalutaribus hoc adeo pertimeſcendum, talibus nimirum, in qualibus nec remediorum procraſtinatio, nec alia leviora errata, præjudicant? Sane in quibuscunque morbis occaſionem & opportunum agendi tempus prætermittere, nunquam ſine graviore damno fit, & niſi morbi principio obſtes, ægrum perdis: utpote quo tempore futuræ morbi magnitudinis ſumus ignari, & qui in initio ſatis mitis apparet, brevi truculentiores ungues monſtrat, ſeu ancipitia maxime ſymptomata alit. Exempla ejuſmodi primo ſatis abblandientium, & quales minus periculoſos judicaſſet quilibet prudentiorum, morborum expectatione frequentiora nos praxis docet, & *Galenum* tale quod aliquando decepiſſe, *4. de loc. c. 8.* ipſemet fatetur, in quodam, quem in morbi initio leviter tantum & absque periculo ægrotare opinatus erat, paulo poſt vero peſſime ſe habere agnovit. Si proin tale periculum ab initio haud compareat, & ex improviſo poſtmodum ſe ingerat, accidit non raro, ut principio ejuſmodi morbi absque remediis neceſſariis tranſacto, ubi hic incrementa graviora capit, omnibus etiam remediis in principio applicandis, nunc ſuperior, hæc vero irrita, evadant. *Miſeri profecto*, ſcribit *Amatus Luſit.* l. a. *reputandi ſunt Medici, qui ad Lunæ conjunctiones & oppoſitiones, ægris male habentibus, animadvertunt, ſanguinis miſſionem vel per pharmacum purgationem neceſſariam intermittentes.*

Nec experientia, pro ſententia hac allata. Provocant ad experientiam, in rebus dubiis æquiſſimum atque genuinum Arbitrum, v. g. refert de quodam Illuſtri Hiſpanorum Medico *Dilectus Luſitanus de venæſect. cap. 7. ſect. 2. art. 2.* qui cuidam ægrotanti medicamentum die conjunctionis inconſideratius propinaſſet, quo eodem die e vivis hic diſceſſerit, cum ingente quidem illius

lius infamia, quam nec clandeſtina & furtiva fuga expiare poterat. Quale tamen unicum, ac hujus generis plura, haud ſufficiunt pro aſſerto illo triviali propugnando aut comprobando: poſt aſſumptum conjunctionis die pharmacum hunc mortuum concedi debet, an vero adſpectus ille aſtrologicus, an medicamentum, an error alius quidam, an latens malignitas, aut viſceris cujusdam occulta corruptio, triſtiori huic eventui anſam dederit, ambiguum manet; niſi forſan ex præjudicio ſuperſtitioſo hoc decidatur & *Dilecto* illo ejusque hypotheſi præter modum aſſentiamur. Majoris fidei, quia evidentiores, ſunt obſervationes, teſtantes, ſub æquinoctiis & ſolſtitiis, in novilunio, plenilunio &c. ſalutariter adminiſtrata fuiſſe ægris generoſiora remedia, quæque ſi omiſſa, forſan hi periiſſent: adeo ut aſtrorum, inprimis Lunæ, tot configurationes & adſpectus ſuſpecti timorem ſupervacaneum nobis incutere videantur, qui miſeros in majora ſemper pericula conjicit, quam commodi unquam attulit. Memorabile hujus rei exemplum ſuggerit *Amatus Luſ. cent. 3. curat. 81.* de quodam juvene, qui ex febre continua delirabat, cujus medicus, propter Lunæ oppoſitionem, ſanguinem per venæſectionem ipſi educere metuerat, hinc in ſummum vitæ periculum, quod poſt diem decimum quartum difficulter demum eluctabatur, conjecerat. Conſpectius & funeſtum magis, quod *Langius l. 1. epiſt. 36* commemorat, quendam ſc. juvenem, pleuritidi graviori expoſitum, cui medicus venam ſecare præceperat, Monachus autem apoſtata, qui ex medicinæ impoſturis quæſtum parabat, ſuperveniens, quod in ephemeridibus cujusdam aſtrologi diem illum nullo auſpicato phlebotomiæ crucis ſigno notatum cerneret, mox exclamando, Medicum priorem multum aberraſſe, huncque diem chirurgiæ illi eſſe infeſtum, diſſuadebat & ad triduum, donec luna piſces ſubiret, differebat, altera veſpera vitam cum morte commutaſſe.

Contrarium etiam probat experientia.

Concludo igitur cum *Monardo 2. epiſt. 1.* recte ſibi & ægris conſulturos medicos, ſi, quoties evacuandum videtur, lotium magis, quam cœlum, inſpicerent, & venarum pulſationem potius, quam ſtellarum obſervarent configurationem, i. e. illa, quæ circa infirmos apparent, præ aſtronomicis obſervationibus, curarent: quatenus aſtrorum concurſus cauſa tantum videtur occaſionalis & univerſalis,

Concluſ. negat.

quæ

quæ internas demum commoveat & varie agitet, neque hoc immediate, ſed ratione virium & alterationum, quas aëri imprimit; ſicut ſub canc, ante canem & poſt canem vetat purgationes *Hippocrates*, non aliter, quam propter aëris tunc temporis fervorem. Nec *Hippocrates* nec *Galenus*, nec alius quiſpiam Medicorum princeps, indicationis hujus aſtrologicæ meminit, & illa quæ ex *Hippocr. de iter. Aquis & Loc. 1. de diæta in prognoſt. circa finem* & alibi, pro eadem comprobanda afferuntur, ſcopum vix feriunt, qui Hippocrati erat, docere, quantum aſtra aërem ambientem mutent, quidve hinc de ſubſequentis temporis conſtitutione, hominum valetudine ac morborum motu ſperandum, aut timendum, foret, ut *ſect. 3.* per multos aphoriſmos declaravit. Nullibi vero ex contextibus ejus apparet, illum evacuantium adminiſtrationem per ſiderum horum illorumque ortus & occaſus moderari voluiſſe, niſi, quando circa magnas temporum mutationes non facile evacuandum, urendum, ſecandum &c. monet: quo, ut dictum, tamen non tam cœli, quam temporis anni & habitudinis hujus, hincque mutatæ aut mutabilis corporis noſtri conſtitutionis, rationem haberi vult; cum cœteris de *aëre, aquis & loc.* conſignatis verbis addat, ideo tale quid attendendum, quod *una cum temporibus ventriculi mutationem accipiant*, i. e. calidiores frigidioresve, juxta *1. aph. 15* evadant.

Nec penes Hippocr. & Galenum de hac aſtrolog. medica aliquid legitur.

Occaſione officii medici agentis in genere porro notetur, ne, dum morbis mederi allaborat, facile & in horas mutabilis ſit, contra tamen nec pertinaciter nimius priori medelæ & de hac primum formatis conceptibus ac remediis inſiſtat: quippe quorum utrumque damno erit ægro. Sc. primo, in chronicis potiſſimum, quod ſingulis indicantibus & prohibentibus probe ponderatis mature excogitaverit, audacter & graviter exequendum curet, ne timide & invalide operari videatur: ita quidem ut, etſi nihil utilitatis aut emolumenti oppido compareat, ſtatim tamen ad alia tranſeundum, ſeu ab eo, quod rectum, recedendum, non ſit. Conſtantiæ hujus nos admonet cum *Hippocrate Avicennas, prior* quidem *1. aph. 52. Omnia ſecundum rationem facient: ſi non ſecundum rationem fiant, non tranſire poteſt ad aliud, manente eo, quod ab initio viſum eſt: poſterior* vero *1. Fen. 4. Cave, ne a rectitudine recedas, licet non appareat juvamentum.*

Medicus in agendo non ſit nimis mutabilis.

tum. Cum morborum nonnullorum horumque cauſæ non raro tanta ſit pertinacia, per quam remediis vix, niſi longius continuatis, ſuccumbunt: ne dicam, multoties ex præſidiis, ratione & experientia ſatis comprobatis, in principio horum applicationis, plus moleſtiæ ſubſequi, & malum hæc intendere videri, dum v. g. Gonorrhæa virulenta infeſtatorum fluorem uſus Mercurialium, Præcipitati inprimis viridis, auget, Luis Gallicæ nonnulla ſymptomata, v. g. dolores artuum, macularum atque exantematum cruſtoſorum eruptiones potu decoctorum ſolennium, ac colicæ pituitoſæ cruciatus a reſolventibus, exacerbari notamus. Recedendum tamen haud eſt ab his, & medendi regulis, ſed patienter potius medicus cum infirmo ferre debet has tempeſtates, ab illis concitatas, brevi ab iisdem diſcutiendas: ſecundum *Galenum* enim *1. de dieb. crit. c. 11 nihil eſt, quod ſanitatem plus impedit, quam crebra remediorum mutatio.*

Quodſi tamen ſub applicatione unius alteriusve remedii præter morem ægrotantem pejus ſe habere, i. e. immoderatior v. g. ab uſu Mercurii, quam alias ſolet, concitetur materiæ virulentæ fluxus, illa flaveſcat, virideſcat, febris, dolor, vomitus ſuperveniat priori morbo, aut per errorem te illa incongrue ac intempeſtive admoviſſe, deprehendas, hujusve ab alio admonearis, tibique & prioribus tuis cogitatis noli eousque abblandiri, quin ſententiam & conſilium mutes, cum nemo forſan mortalium inveniatur, qui in arte ejuſmodi conjecturali non fallatur. **Nec tamen contumax.**

Inprimis autem morbi diuturniores medelam & medicamenta aliquando mutare jubent, ſi potiſſimum, annotante *Valleſio 4. meth. 2.* ex acutis decidant, quod hi plerumque difformes, ex diverſis compoſiti & ſub variis ſui recidivis genium & faciem mutent: in quibus forſan haud una ſemper obſervari debet aut poteſt medendi ratio. Cum nec tota materia morbifica uno & ſimplici motu a principio ad finem gaudeat, ſed varios motus ſuſtineat, hinc nec tempora morbi ſint ſimplicia, i. e. parte quadam materiæ peccantis digeſta altera ejus portio adhuc cruda exiſtat, hæcque morbum in principio, illa in declinatione, eum verſari faciat. In quibus multiplicibus affectionibus & harum quaſi cumulo, aut, quamvis unius generis, a cauſa tamen adeo heterogenea ſi foveantur, therapeia requiritur multiplex ac difformis. **Medelam mutare jubet morbi diuturnitas & cauſarum varietas.**

It. ſymptomata ſupervenientia.

Poſtulat parem ſeu variam medelam ſymptomatum variorum ingruentia, utpote quæ, ſi non peculiarem ſibi indicationem formant, certe quominus primæ & primariæ ſatisfieri queat, impediunt ſeu prohibent: quod idem fit, ubi de affectu morboſo nondum ſufficienter conſtat, & ubi medela tentativa, de qua ſuperius dictum, opus fuerit, ut aliquando, advertente eodem *Valleſio 3. meth. c. 7.* curationem totam in contrarium deferamus, ac in uno morbo diverſimode procedamus, donec ejus ſpeciem, cauſam ac denique omne, de quo dubitatur, a poſteriore dignoſcamus, ſeu monſtret congrua magis ſanandi ratio, quam varia tentando tandem, caſu propitio, offendimus.

Non tamen mox mutetur therapeia.

Sed varient tantum remedia.

Neque tamen ſemper & mox ipſa medendi ratio mutanda, quod imperitiam hujusque prolem genuinam, timiditatem ac præcipitationem innueret; ſed ſufficit aliquando remedia tantum variare, modo cuncta hæc idem indicatum ſeu ſcopum reſpiciant, v. g. evacuationem per alvum, ſudoremve, viſcidi reſolutionem, flatuum diſcuſſionem, adſtrictionem &c. juxta illud *Hippocratis, medicamento uno non conferente tranſeundum ad aliud:* atque hoc non tantum, quod unum altero in ſuo genere efficacius ſit, unius alteriusve craſi individuali plus minus reſpondeat, palato magis minusve arrideat; ſed forſan quoque, quod affectui combinato prius haud quadret, eumve intendat, pluribus indicatis ſimul ſatisfaciat aliud, v. g. aloëtica & ſcammoniata in his, quibus fluor hæmorrhoidum moleſtus, cum aliis laxantibus permutantur, volatilia & aromatica ſudorifera, quod viſcido inſimul incidendo & ſolvendo miniſtrentur, fixioribus ſurrogantur, diuretica amara, ubi præter urinæ ſuppreſſionem cachexia ſubeſt, cæteris ſubſtituuntur, aut cum his alternant.

Juvantium ac lædentium potiſſimum habeatur ratio.

Potiſſimum vero ubi de morbi indole nondum penitus conſtat, indicatio a juvantibus ac lædentibus nobis ſufficere poteſt, a *Galeno, de loc. aff. c. 4,* ſcite ac prudenter commendata & colici exemplo declarata, quam plerique practicorum etiam communi ore amplectuntur, niſi paucis forſan ex præjudicio contradicentibus. Inter illos ex modernis deprehendimus *Sylvium 1. meth. med. 3.* & diverſis praxeos ſui locis, una cum *Sydenhamo obſ. de morb. acut. ſect. 6. cap. 6.* in eo conſentientes, uſurpanda, quæ ſanos & ægros juvare, ab iis vero, qui iisdem nocere, depre-

deprehenduntur, abſtinendum eſſe; hincque juvantia & nocentia præ cæteris indicantibus potiſſimas & certiſſimas promere indicationes. Adeo ut indicationis hujus ope viam paulatim prætentantes ægrum in tuto poſſimus eousque collocare, donec aliis porro ſubminiſtratis remediis in medela morbi plus ultra progredi concedatur.

Circa generoſiorum & ancipitum valde uſum monendum, ne, quamvis cum ægro atque adſtantibus de remediis non facile conſultandum ſit, nec, quæ hi renuunt, intermittenda, illa nihilominus, ſine unius alteriusve propinquorum aut adſtantium præſcitu, adminiſtrentur, inprimis chirurgica, v. g. paracenteſis thoracis ac abdominis, extractio calculi, modioli applicatio, tanquam plus minus ancipitia: ſimul hoc eorum periculum præſens ac grave exponendo & de ambiguitate eventus, ac quod eorum hoc vel illud ſolitaria via ad ſalutem ſit, proteſtando, atque conteſtando. Quod poſterius de cœteris etiam minusque ancipitibus præſidiis advertendum, ut, ſi ægrum & aſſidentes ea reluctari contingat, morbi gravitatem & omiſſionis ſeu dilationis præſidii noxam illis explicet, ac hinc ſecuturum damnum moroſitati eorum acceptum referat Medicus, quo forſan hinc territi mali futuri metu obtemperent & commendata promptius admittant.

Generoſiora remedia non uſurpanda, niſi cum adſtantium præſcitu.

Periculum morbi exponendo.

Atque hoc præceptum tanti momenti *Sylvius* declarat, ut, qui hoc negligat, medicum non tantum ægros ſed ſeipſum quoque negligere, aſſerat: ægros, quod dolorem ac moleſtiam leviorem detrectantes, non majore damno urgeat, & ad obſequium ipſis neceſſarium ſerio magis compellat; ſemetipſum autem, quod re poſtmodum male cedente culpa in eum omnis devolvatur, arguaturque aut imperitiæ, quod damna futura non prævideril, aut negligentiæ, quod non majore fervore atque contentione ad officium tempeſtive revocarit ægrotantes, ob ferendam moleſtiam ſemper excuſabiles. Hinc multo minus laudari poteſt in Medico, ſi ſolius calumniæ devitandæ cauſa aliquod generoſiorum remediorum intermittat, & majoris efficaciæ præſidium ſeu cujus agendi ratio in ſenſus magis incurrit, non præſcribat: propriam exiſtimationem pluris faciens, quam ægrotantis ſalutem, ac ne forſan, ſi poſt talis adminiſtratio-

Nihil intermittat medicus metu calumniæ.

ſtrationem aliquid mali contingat, culpa in illud deferatur, licet alia fortaſſe cauſa ſubſit; v. g. ſi uſum vomitorii neceſſarii metuat, purgans non propinet, ſanguinem parcius juſto educat, calvariæ perforationem hæſitet. Qua quidem medendi ratione Medicus ejuſmodi ſibi ipſi ac fortunæ ſuæ circumſpecte ſatis proſpicit, miſerum vero ægrum ſanitatis ac vitæ diſcrimini exponit; quod pietas chriſtiana vix ſuadet, imo inhumanum videtur.

Non in uno remedio medicus omnē ſpem collocet, ſi alia ſuppetant.

Quamvis ſibi etiam cavere debeat Medicus, ne in hoc vel illo præſidio ſolitario omnem ſalutis ſpem ſine ratione collocet, quod æger & adſtantes contentioſe recuſant, v. g. in vomitorio, venæſectione, clyſtere ſimilibusque, qualia nonnulli prorſus averſantur; ſi nimirum ſine iis ac per alia idem agere & præſtare liceat: ne ille citra hæc ſanatus medicum cavillet, dicatque, ſi id admiſiſſet, ſe aut mortem, aut gravius ſaltem malum, obiiſſe.

Nunquam a proportione virium recedat.

Demum quæcunque horum ſimiliumque adminiſtranda ſuſcipiat, & per quæcunque inſtrumenta, a modo ſeu mediocritate non facile ſecedat medicus: aut ſi ob gravitatem ac pertinaciam morbi in his excedere urgeatur, fiat tamen & hoc cum moderamine, i. e. in proportione ad vires, & ne ex remedio gravius, ac a morbo, malum eveniat. Hoc eſt, quod *Hippocr. 2. aph. 51* inculcat, his verbis: *Multum & repente evacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigefacere, aut omnino quomodocunq; corpus movere periculoſum eſt, & omnis multitudo naturæ contraria eſt, &c.* Rationem hujus moniti ex *Sylvio* repetere licet, ſuperius ſub cautela, *feſtina lente*, allegato, & evacuantium atque alterantium ſucceſſivam & parciorem adminiſtrationem commendante: paucis eam tradit *Galenus in comm. ad aph. all. Nimium omne commoderationem deſtruit & ſubſtantiam animalis diſſolvit.*

Jucunde quomodo curet?

Quippe etiam hoc ad tutam medelam exigitur, quam jucundam inſimul præſtabit Medicus, ſi, quamvis non cum oblectamento poſitivo hoc fieri queat, fiat tamen declinando & temperando, quantum poſſibile, moleſtias, quas vel ipſe morbus per ſymptomata vehementiora, quietem & ſomnum interturbantia, vel remediorum applicatio, communiter & frequentius parere ſolent. Prioris agendi rationem *caput ſeq.* tradet: poſterioris vero in eo inprimis conſiſtit, diætam ſtrictiorem laxando ſeu ægris in hoc, ſecundum deſideria,

deria, aliquando gratificando, medicamenta ſuaviora præ nauſeabundis atque ingratioribus exhibendo, a chirurgiis dolorificis valde abſtinendo, aut harum crudelitatem mitigando, denique ſuavitate ſermonis, comitate & promptitudine quavis miſeriam infirmi levando, de quibus ſuperius prolixius actum.

Caput X.

De *Indicationibus formandis atque obſervandis.*

Agere, i. e. curare pariter ac præſervare, dicitur medicus, ſi Indicationes ex phœnomenis ſeu circumſtantiis, penes ſanos & ægros obviis, decenter formet, ſeu ex illis, tanquam totidem Indicantibus Indicata, quæ alias auxilia, juvantia & *Kypero* agenda appellantur, eliciat, hisquė per materiam auxiliorum ſeu remedia adæquata ſatisfaciat. Et Indicationes nihil aliud ſunt, niſi admonitiones & demonſtrationes agendorum, quas præſtant Indicantia communiter dicta, i. e. quæ agenda innuunt ſeu monſtrant: ſuntque ſemper aliquid corpori inexiſtens & ſui correctionem ſeu ſublationem aut conſervationem poſtulans. Hinc methodus medendi eſt ars per indicationes inveniendi & applicandi remedia, conſervandæ ac reſtituendæ valetudini adæquata; ac obſervatur in commentariis medicis tam generalis, quam ſpecialis: illa involvit morborum partium ſolidarum ſc. tumoris, inflammationis, luxationis, vulneris, obſtructionis &c. humorum viſcidiorum, acrimoniæ, ſtagnationis &c. correctionem ac ſublationem; hæc pleuritidis, tumoris crurum œdematoſi, vulneris & fracturæ capitis, ulceris veſicæ, conſtipatorum inteſtinorum, ſcorbuti, luis venereæ, obſtructionis urethræ a calculo &c. medelam moderatur.

Quid ſit curare? *Indicationes quid?* *Methodus medendi quid?* *Generalis & ſpecialis.*

Innititur hæc indicationis doctrina tribus potiſſimum axiomatis, quorum primum, quod ſ. n. conſervandum, quod p. n. tollendum: alterum, contraria ſeu p. n. contrariis tolluntur, ſimilia ſeu naturalia ſimilibus conſervantur: ac tertium, inter duo mala minus eligendum.

Axiomata ejus tria.

 Ra-

Indicatio triplex.

Ratione prioris axiomatis, quæ ſecundum & præter naturam ſint, ex phyſiologicis & pathologicis ſupponendum: interim ex eo fluit diſtinctio inter indicationem vitalem, curatoriam & præſervatoriam; quarum prior conſervanda, (ideo a *Sylvio* conſervatoria dicta) cœteræ tollenda, reſpiciunt, juxta *Hippocr. de flat. t. 3. Medicina eſt appoſitio eorum, quæ deficiunt, & ablatio eorum, quæ abundant.* Conſervanda & indicationi vitali ſubjecta vires ſunt, vitalitatem immediate præſtantes: quæ, quamdiu integræ, nihil aliud, quam perfectior ſanitatis gradus ſunt, ſin debiliores evadunt, remiſſior; & dependent non tantum, ut vulgo credunt, a ſpirituum ſeu motus vitalis vigore majore minoreve, ſed fluidorum quoque animalium ac ſolidarum partium textura ſeu tono & craſi diſpari. Quorum conſervatio modo proprie talis eſt, qua nimirum cavetur, ne per evacuationes, diſſipationes & oppreſſiones fluidarum ac impetum facientium ſolidarumve partium refrigerationem, contuſiones & vulnera vires perdantur, ſed integræ maneant: modo improprie talis dicitur, ut perditi etiam reſtaurationem involvat, fluidis nimirum vitalibus atque ſpiritibus materiam ſubminiſtrando, eorum motus torpidiores excitando & organa digeſtoria roborando. Rerum autem præternaturalium quia tres obſervantur, morbus nempe cum cauſa ſui conjuncta ſeu formali, cauſa antecedens cum occaſionali, & ſymptoma; quodlibet horum ſeorſim indicat, cuncta tamen ſui remotionem: ut curatoriam præſtet morbus cum cauſa conjuncta, præſervatoriam cauſa antecedens ſeu procatarctica & occaſionalis, & mitigatoriam, quæ urgens quoque audit, ſymptoma urgens, v. g. dolor, hæmoptoſis, animi deliquium &c.

Indicationis vitalis objectum vires ſunt.

Quid vires?

Duplici ratione conſervari dicuntur.

Indicatio curatoria.

Præſervatoria

& urgens.

Alterum axioma prophylactico-therapevticum inſtrumenta conſervatoria & exturbatoria concernit, ita quidem ut, quod affectus corporis p. n. tollit, & conſtitutionem ejus naturalem conſervat, horum remedium dicatur: hinc, quicquid naturæ moleſtum ſeu p. n. præſens, ſui imminutionem, ſublationem, attenuationem, temperationem &c. tanquam ſibi contraria, poſtulet, imminens ſui per eadem remedia averſionem ſeu præcautionem; habitudo partium & functionum naturalis ſeu vires ſimilia exigant, i. e. habitudini naturali perpetuandæ adæquata. Et quando circa theorema hoc a quibusdam

buſdam commentatoribus controverſia movetur, quaſi interdum per ſimilia quoque morborum medela fiat, eamque prolixe explicare & ſolvere conatur *Sennertus de conſ. & diſſ. cap. 18. & Inſtit. lib. 5. part. 2. ſ. 1. c. 1.* vix tamen negotium penetrare videtur, aut brevius ſe illi extricare potuiſſet. Quæſtio ſc. non eſt de morbo & materia auxilii, quaſi hæc ſibi ſint contraria; ſed de morbo hujusve cauſa, ut indicante ac indicato, ſeu hoc, quod ab illo tanquam indicante, agendum monſtratur: quæ duo ſibi ſemper ſunt contraria, refrigeratio æſtui, temperatio acrimoniæ, reſeratio obſtructioni &c. licet idem calor, ratione cauſæ continentis, v. g. ſanguinis congrumati & ſtagnantis nonnunquam per calida, v. g. Spiritus vini camphorati, vini calidi &c. applicationem, tanquam materiam auxilii, corrigatur, i. e. hæc, quamvis non morbo, cauſæ tamen morbificæ immediatæ, ſit contraria. Pariter hæmorrhagiæ per ſanguinis miſſionem medemur, quæ, ut materia auxilii, illi equidem ſanguinis profuſioni p. n. non eſt contraria, ſed ſimilis potius: contraria nihilominus evacuatio hæc chirurgica deprehenditur cauſæ illius conjunctæ ſeu plethoræ ac motui ſanguinis pravo, quatenus utrumque horum corrigit.

Medela ſemper per contraria fit.

Sicut tertium demum axioma medico cynoſuræ eſt, cujus ductu in caſibus dubiis, & ubi indicantium quædam repugnantia, procedat: i. e. in medendo & præſervando rationem ſemper habendam eſſe tutioris, ſeu a quo plus ſalutis ſperandum, minus periculi metuendum. Atque hoc quidem 1. ratione affectuum complicatorum, ubi minor negligendus ſeu permittendus, ſi ſc. ſine alterius neglectu neutri medela fieri queat; quo graviori & periculoſiori ſuccurratur, v. g. dum pleuritidis cauſa ſanguinis miſſio adminiſtratur, quam imprægnatio aut vires debiliores videbantur prohibere. 2. Intuitu affectus & remedii, v. g. dum anginæ præfocatoriæ, ut mali ancipitis valde, gratia vulnus, pariter non omnis periculi expers, aſperæ arteriæ, nomine trachæotomiæ, infligimus, in empyico paracenteſin thoracis adminiſtramus: ac 3. ratione remediorum invicem, ſi horum periculoſiori, v. g. arteriotomiæ, ſecurius, venæſectionem, anteponamus.

Quotupliciter malum aliquod majus, aliud minus, dicitur.

Neque tamen omnium, quæ ſuperius recenſitæ, indicationum

Non omnium ſemper indicantium habenda ratio.

ſingulæ in ſingulis ſemper affectibus a medico attendi poſtulant: quatenus aliquando non morbi primarii, ſed ſymptomatis tantum, curam gerit, v. g. doloris nephritici, non calculi majoris & minus curabilis; deficit proin hic curatoria indicatio, aut huic minus ſatisfit aut ſatisfieri poteſt. Deinde nec antecedentis cauſæ ſemper medelam præſtare tenetur, in paroxyſmo v.g. epileptico, arthritico &c. inprimis ſi talis non præexiſtat, v. g. in cardialgia a ventriculi repletione, vulnere, peſte, quæ corpori æque ſano ac valetudinario contingunt. Multo minus tertio ſymptomata ſemper ſeorſim urgent, ſed affectu primario, tanquam cauſa, ceſſante, utplurimum evaneſcunt, v. g. evulſo dente carioſo dolor, educto per expectorantia pulmonum muco dyſpnæa. Nec peculiaribus denique ubivis opus eſt remediis conſervatoriis, v.g. virium, digeſtionis ventriculi, excretionis alvi; ſi nempe hæc mediocriter adhuc valeant.

Non ſemper primo mederi licet cauſæ primariæ.

Interim quicquid cauſæ in quocunque affectu p. n. rationem gerit, ejus remotioni ante omnia vacandum erit, quamvis aliquando interpellare hoc & hujus generis remedia videantur ſymptomata. Inculcat inter alios hoc ſtrenue *Valleſius 7. epid. p. 841. ubi Hippocratem* & cœteros præclariores medicos indicationem cauſæ multo audacius ſequi conſueviſſe perhibet, quam vulgares medicos, qui ſupervenientibus ſymptomatis territi, hisque occurrentes morbos plerumque contumaciores reddant, eorumve non, niſi leviores, perſanent. Quod idem agit *3. meth. med. c. 1.* ubi curationem, quæ a cauſæ ſublatione incipit, & ad id procedit, quod ab ea fit, usque ad ipſum morbum, ordinem curationis maxime legitimum ait; ſicut coactum atque irregularem, ubi huic, quod urget, primum occurrendum; & inter hos medium, ſiquidem nihil urgendo methodum & ordinem curationis pervertat, aliquid tamen penes ægrum occurrat, quod alterius, v. g. principalioris cauſæ, curationi obſtet, ut, niſi hoc ſublato, alteri commode mederi haud liceat, adeoque huic obveniendum prius ſit v. g. ſi venæſectionem in febre continua, propter ventriculi cruditates, donec hæ exturbatæ, differre cogimur. Et *4. meth. med. c. 2* ſcribit, multa in arte eſſe, in quibus ab arte, urgentiæ cauſa, recedere ars ſit, ſeu, quamvis multa in ea reperiantur præcepta legitima & regularia, perpetua tamen nulla exiſtere: & qui eorum ulla haberent

Sed alia quandoq; hoc poſtulant.

berent pro perpetuis & inviolabilibus, methodicum dici poſſe, rationalem autem minime. Quatenus rationalis non ex libris ſeu commentariis ſanet, ſed ut in re quavis occaſio dictet, & nullis ſe legibus, tanquam pragmaticis, obliget. Hinc usque adeo nihil inutilius, neque periculoſius eſſe, quam unam ſemper ſtatamque formulam obſervare, quam parum circumſpecti & plurimum ignari methodum vocent; quæ tamen ideo ſolum methodus videtur, quod brevis exiſtat, ars vero in tam anguſto contineri nequeat, & ratione ſeu prudentia opus ſit, quæ perluſtret & attendat cuncta, quod caſuum magna varietas deprehendatur. Quibus paulo poſt addit, morbos diverſos aliquando complicari, qui medelam non uniformem admittant, quod tamen medici, qui in artis operibus parum exercitati, quique eam, quam ex libris aut præceptoribus olim mente conceperunt, ideam in omnibus ægrotis ad amuſſim videre expectant, haud perſpiciant, hinc in plerisque fallantur, eorumque remedia opportunum locum minus inveniant.

In ſpecie ratione indicationis urgentis ſeu mitigatoriæ, quam nonnulli illatam medelam, *Valleſius* coactam, ajunt, præmonendum, plerosq; veterum v. g. *Trincavellum*, *Joubertum* & *Sanctorium*, nullam omnimode indicandi vim ſymptomatis concedere: quosdam ſub præſervatoria indicatione hanc ſymptomatum urgentium indicationem complecti. Illis adſtipulantur multi ex modernis, graviter ſimul in eos invehentes, qui ſub medela affectuum p. n. mox in principio dolorum ſimiliumque ſymptomatum mitigatoria applicant, acſi præter & contra omnem rationem ſeu methodi medendi præcepta agerent. Quod nimirum per ſe nullam ſubſiſtentiam habeant ſymptomata, ſed morbo demum, ut effectus & productum, ſuperveniant, hoc ſublato igitur mox, ſine peculiaribus remediis evaneſcant, neque niſi morbo primario ceſſante ulli arti cedant. Aſt poſteriores, ſymptomata aliquando, per ſui vehementiam cauſæ rationem induere, hinc vires magis dejicere, putant. Quorum Scriptorum autoritati opponere licebit non tantum ex modernis quosdam, v. g. *Mœbium inſtit. l. 5. part. 1. ſect. 3. c. 1. Sylvium meth. med. lib. 1. c. 16.* & *Charletonum de ſcorb. c. 3. & 16*, ſed antiquioribus quoque, v. g. *Mercatum de morb. 3. part. 3. quæſt. 207. Valleſ. 3. meth. med. 1.* & *Foreſtum*

An ſymptoma indicet?

Neg.

Affirm.

ſtum 16. obſ. 4. in ſchol. omnes in eo conſentientes, ſymptomata etiam aliquando, ſi vires ægrorum valde dejiciant, medelam peculiarem urgere, ſeu inter præternaturalia, a Therapevtico demenda, ſymptomata etiam exiſtere. *Sicut Navarchis*, ſcribit *Charleton l. a. ita perinde & medicis, ſummæ loco prudentiæ eſt, ſinus obliquare, ubi per ſævitiam tempeſtatis non licet rectum tenere curſum: id quod in multorum morborum curatione ſæpius contingit. Quippe in infido hoc & æſtuoſo utique mari navigantibus tot tantæque interdum procellæ ſymptomatum ex improviſo ingruunt, ut amiſſo gubernaculo velorumque & acus magneticæ uſu, nec curſum corrigere poſſint, nec ſiſtere navigia, ſed fluctuum impetu abrepti incumbentibus ventis, quantum licet, indulgere cogantur, hocque ut nauclero artis ſuæ honos conſtet & vectoribus vita. Ubi igitur incrudeſcentibus ex inopinato accidentibus ægroti cujuſpiam ſalus in extremum deducta eſt diſcrimen, medico eſt, curam ſuam a deſtinato morbi ipſius in totum profligandi curſu prudenter deflectere ad maturius compeſcendum intervenientium furorem ſymptomatum, ne his intempeſtive neglectis, deficientibusque ægrorum viribus, oportunitas inceptum opus perficiendi a fato præcidatur.*

Non omne ſymptoma a morbo.

Si cum refractariis ejuſmodi ex propria eorum agerem hypotheſi, qua a ſolo morbo omne ſymptoma evenire contendunt, erroneam hanc dicere fas foret. Quatenus non tantum ſymptoma ex ſymptomate prodit, ſed aliquando a cauſa morbifica immediate, ſeu morbo haud evidenter interveniente, propullulat, v. g. a ſanguinis circa pulmones ſtagnatione dyſpnæa & præfocatio, ab acrimonia humorum dolor, dyſuria, prurigo, a ſpirituum motu incongruo vertigo, convulſiones &c. dum nihilominus humores ac ſpiritus morborum ſubjectum haud volunt, nec tales pati hinc inde aſſerunt vulgo. Et quamvis etiam commune illud ſuppoſitum concederem, ſive cum modernis humorum ac ſpirituum habitudinem p. n. quoque morbos, & ad ſymptomata formanda aptam pronunciarem: minime tamen adeo generaliter hinc inferre liceret, E. ſymptomata ex morbis enata nulla peculiari indigere medela.

Symptomata aliquando urgent ſui medelam.

Ipſa ſiquidem experientia quotidiana edocemur, non raro adeo gravia urgere ac conficere ægros ſymptomata, quibus niſi ſuccurratur quantocyus, neglecta etiam primarii morbi hujusq; cauſarum medi-

cation,

catione, pereundum prius ſit iis, antequam vincatur ille, aliquando omnino non curabilis. Quod advertentes peritiores medici, ſymptomatis vehementioribus ſine mora medendum eſſe rati, hinc inde in commentariis ſuis practicis indicationum illarum meminerunt, hisque remedia appropriata ſedulo conſignarunt. Et utut ipſe aliquando morbus cum cauſa ſua conjuncta cedat, ſi modo cauſa procatarctica removeatur, ſeu indicationi præſervatoriæ ſatisfiat, v.g. remotis ventriculi cruditatibus ceſſet nonnunquam febris; adeoque morbus peculiaria ſibi auxilia haud ſemper exigat: contingit tamen hoc non ſemper, ſed pertinacius crebro inhæret morbus, etſi cauſa illius antecedens fuerit deleta: ſimili modo nec ſymptomata omnia ſemper propria ſibi urgent remedia, neque tamen protinus ad morbi, utut cauſæ immediatæ, medelam evaneſcunt, obſervante hoc jamdum *Argenterio de offic. med. cap. 11.* Hinc, quemadmodum in priore caſu alia eſt indicatio præſervatoria cauſæ antecedentis, & alia morbi ſeu curatoria: ita quoque, utut morbus vel ſponte, vel remediis indicatis, cedat, ſymptomati tamen urgenti aliquando peculiaris ſeu propria manet indicatio, v.g. indicat morbus catharſin, dolor ac tuſſis narcoſeos introductionem, hæmorrhagia adſtrictionem &c.

Quia non ſemper cedunt ceſſante morbo.

Præterea nec cunctorum morborum ſolutionem adeo brevi & facile ſperare valemus, quin interim quædam eorum ſymptomata adeo graviter & periculoſe affligant, ut illorum medelam ſine ægrotantis interitu expectare haud valeamus, v.g. dolor, hæmorragia & ſtrangulatio anginoſorum. Quorum poſteriori v.g. non medemur reſolvendo aut ad ſuppurationem deducendo inflammationem, hincque apoſtema maturando, rumpendo ac evacuando, ſed trachæotomiam adminiſtrando, i.e. neglecta morbi hujusque cauſæ medela: cum præfocatio hinc citius metuenda, antequam inflammatio faucium, quamvis acutiſſimus affectus, tempora ſua percurrat & ſanetur. Perinde cum tuſſi aliquando, juxta *Foreſtum l. a.* ſe res habet, ſi ab hac ruptura vaſis pnevmonici, ab ejus cauſa ſeu, ſeri acrimonia, eroſio pulmonum, & ab inſpiratione conturbata ſtrangulatio, timenda; quæ, antequam cauſa ejus tollatur, præſentaneum auxilium poſtulat, a papaverinis & opiatis ſperandum. Quemad-

Et quia contumaciores juſto aliquando morbi.

modum denique iſchuria ex calculo citius ſæpe enecaret, utpote quam ultra ſeptimum diem raro ſalutarem *P. Sal. Diverſus de affect. particular. c. 14. Rodius cent. 3. obſ. 26. Foreſtus 25. obſ. 16. Sennertus pr. l. 3. part. 8. ſect. 2. c. 2. Fonſeca tom. 1. conſult. 87. & tom. 2. conſ. 96. & Jer. Martius obſ. 4*, imo citius perimere, *Höchſtetterus dec. 6. caſ. 1. Panarolus pentec. 5. obſ. 17.* ac *Tulpius 2. obſ. 45.* perhibent, antequam ille tollatur. Cujus etiam generis ſunt animi deliquia, multorum affectuum comites: qualium tamen medelam nullus unquam medicorum prudentum horum medelæ poſtpoſuit, ſeu illorum evaneſcentiam ab horum cura expectavit.

Interdum plane incurabiles. Qualis in quibusdam nunquam etiam expectanda, quod indicatione curatoria aliquando omnimode deſtituantur, aut hæc a variis prohibentibus infringatur, vel ipſi non ſuppetant remedia ac inſtrumenta adæquata. Dum v.g. cancro, morbo per ſe incurabili, nulla aut fruſtranea eſt indicatio curatoria, cum deficiant remedia adæquata, illi ſatisfacientia: leniri nihilominus ac compeſci urgent dolor, fœtor, hæmorrhagia, exulcerationi & putrefactioni ejus ſupervenientia ſymptomata. Similiter calculus renum vel veſicæ, propter ſui molem, figuram, tenaciorem adhæſionem ſimilemve circumſtantiam removeri nequit: mederi tamen interim convenit dolori, urinæ ſuppresſioni, convulſionibus, exitium brevi minitantibus. Quemadmodum tumores, collum veſicæ conſtipantes, qualium *Hildanus cent. 2. obſ. 65. & de lithot. veſ. c. 3. Riolanus antropogr. l. 2. c. 24. Bartholinus cent. 2. hiſt. 52.* aliique meminerunt, moleſtam ac periculoſam iſchuriam parere conſtat: quos quamvis nulla arte tollere liceat, hanc tamen maxime urgentem negligere, ſana ratio & pietas vetat.

Quædam ſymptomata morbi primarii medelam turbant. Quibus accedit, quædam ſymptomata morbi primarii medelam frequenter turbare, imo morbum novum patrare, adeoque ſui mitigationem mox & omnium primo urgere: quod ex variis caſibus & practicorum pariter multorum conſenſu conſtat. In calculi renum paroxyſmo dolorifico nonne inter omnes convenit, præmittere cæteris remediis anodyna atque narcotica, quæ nimirum dolori atrociſſimo opem ferant? & huic demum indicato mitigatorio poſtquam ſatisfactum, calculum pellentia propinantur, perſeverando ſimul in illorum paregoricorum uſu; imo rariſſime, niſi dolore ſopito,

pito, calculus & ſabulum ejicitur. Cujus quidem rei ratio hæc eſt, quod criſpaturæ illæ fibrarum ſpaſmodicæ, quas doloris formalitatem conſtituere, nunc ex pathologicis ſuppono, meatus, per quos, vel natura, vel ars, expellere enitebatur calculum & ſabulum, præter modum conſtringant: & quidem non tantum laceſſitis villis renum ſeu pelvis, quæ incongruum & dolorificum illorum impetum immediate ſuſtinent, ſed per conſenſum ureterum quoque veſicæ, peritonæi &c. membranis, ut per harum constrictionem calculi non tantum, ſed ſanguinis & lymphæ quoque, motus interpellετur, ſicque non una ratione eliminatio illius turbetur; donec remittente & laxata illa tenſione laxiores atque flaccidiores reddantur canales, & per hanc laxitatem promptius cedant calculo & arenulis, tranſitum molientibus: cui accedit, quod per eadem narcotica ſomnus inducatur, hinc vires redeant, calculi enixum juvantes.

Pariter Iſchuria, a calculo, orificium veſicæ aut canalem urinarium obſtruente, ejusdem urinæ excretionem nonnunquam moratur, & per conſequens peculiaria ſibi remedia, antequam calculus exturbetur, urget. Nimirum dum meatui huic firmius impactus ille urinæ tranſitum denegat, & ab hujus congeſtione præter modum extenditur veſicæ fundus, fieri idem poteſt, quod a voluntaria urinæ cohibitione aliquando accidiſſe, *Galenus 6. de loc. affect. cap. 4. Foreſtus 25. obſ. 12. & 14. in ſemetipſo, Paræus 16. cap. 48. Riolanus enchirid. anat. pathol. 2. cap. 30.* aliique perhibent, ac experientia loquitur: ut tono nempe veſicæ præter modum laxato ad priſtinam ſui contractionem ſe hæc recipere nequeat; hinc remoto quamvis calculo iſchuria tamen non protinus ſolvatur. Imo & ſimul, quo magis extenditur veſicæ ambitus, eo plus conſtringitur ſeu arctatur ejusdem cervix; & ſic hac ratione quoque lotium intercipitur.

Symptoma aliquando ſui met cauſa evadit.

v. g. Iſchuria iſchuriæ.

Porro tuſſis, ſicut interdum ferina ſatis & ſymptoma moleſtiſſimum deprehenditur, ita ante morbi primarii, infarctus nimirum ſeu ſtagnationis lymphæ in organis pnevmonicis, ſublationem, ſui mitigationem exigit: non tantum moleſtiæ propriæ intuitu, qua corpus enormius concutit, reſpirationem ac ſomnum turbat, ſed quod excretionem quoque cauſæ morbificæ & morbi ſolutionem impediat. Exploſiones ſiquidem hæ expiratoriæ inordinatæ & violentiores,

Tuſſis excretionem materiæ peccantis aliquando moratur.

tiores, quia tonum tubulorum trachealium, veſicularum pulmonalium & muſculorum expiratoriorum laxant, ut expuendis ejuſmodi heterogeneitatibus pulmonũ minus pares, hinc, quo crebriores illæ, eo inaniores, evadant: contra ubi vel per lenientia vel papaverina eadem temperantur, ut a motu hoc expiratorio depravato organa pnevmonica ad aliqualem quietem componantur, cum euphoria aliqua tuſſis poſtmodum repetit & excretionem tabi muciq; pulmonalis facile præſtat. Hæmoptoë ſicut interdum cum tuſſi vehementiore fit, ita in ejuſmodi caſu primum ſine dubio indicans conſtituit hæc, quod cruorem ex vaſis pulmonalibus quaſi exprimat, ac rupturæ horum cauſa evidens & aliquando ſolitaria exiſtat. Adeoque ante omnia & quovis ſtudio eo elaborandum, ut ad quietem componatur pectus, ſeu ab hoc tuſſis laceratoriæ concuſſiones avertantur, antequam rupturæ vaſis, ſanguinem fundentis, ſucceſſive mederi liceat: imo frequentius, modo tuſſis ſedata, ſponte ceſſat expuitio cruenta.

Symptoma unum alterius aliquando exiſtit cauſa. V. g. tuſſis hæmoptoës.

In vulneribus ſane ante omnia hæmorrhagiæ cujusvis habetur ratio, ſymptomatis, ſc. non morbi: quod vulneris ipſius indicationi, nec primariæ ſc, coalitioni, nec ſubordinatæ, quam adductionem labiorum ajunt, ſatisfieri queat, niſi poſtquam illi, tanquam indicantium ſubordinatorum haud ultimo, obicem poſuerit Chirurgia: i. e. labia vulneris ſibi adducere, nec convenit, nec licet, niſi cruoris profluvium ſiſtatur, nullaque vel ſymphyſis vel digeſtio, in medela vulneris ſperanda, quamdiu hæmorrhagia illam adhuc turbat, commoda deligatione & congruis remediis hinc primum compeſcenda. Cum ſpaſmis, qui vulneribus interdum superveniunt, pariter res ſe habet, periculoſis admodum ſymptomatis; vel ut illorum productis, vel ut aliorum ſymptomatum genitoribus, v. g. in vulneribus temporum alimentorum aſſumptionis, vel ut ipſa vulnerum medela mediate aut immediate hinc turbatur: quibus ſane, vel ex hoc poſteriore tantum capite, celeriter ſuccurrendum, antequam per eos temperies, ut loquuntur, partis vulneratæ deſtruatur, ſynoviæ affluxus augeatur &c.

Hæmorrhagiæ medemur ante vulnus.

Item ſpasmis ante vulnus.

Aſt quædam ſymptomata novum etiam morbum patrare, adeoque hoc nomine quoque potiſſimum medicationis in ſe convertere, diverſis

Symptomata aliquando

diverſis pariter exemplis comprobare poſſem, prolixitatis tamen vitandæ cauſa bina horum tantum adducam. Tuſſim v. g. vaſorum pulmonalium rupturam aliquando concitare, modo dictum; hernias vero & abortus pariter hinc & ex vehementiore vomendi conatu fieri, experientia loquitur. Dolori inflammationem ſupervenire, quid frequentius eſt? non equidem, quaſi, ſecundum Scholarum communem traditionem, vitioſi humores ex reliquo corpore parti dolenti affluant, aut a dolore attrahantur; ſed quod per criſpaturas forſan fibrarum ſenſibilium dolorificas vehementiores ac diuturniores circulatio ſanguinis in parte dolente plus minus turbetur: ut taceam, dolorem ejuſmodi ſynoviam in articulorum vulneribus producere.

morbos novos faciunt.

Quibus accedit, nonnunquam ſymptomata morbo equidem evidentiori combinari, hunc tamen non ſemper pro cauſa, aut ſaltem non immediata, agnoſcere, ſed ab alia, præter illum, foveri, adeoque illorum mitigationem de morbi medela minime participare: ſive cauſam habeant cum morbi ipſius cauſa communem, ſive omnino alienam. Prioris caſus exemplum ſiſtit *Sylvius meth. med. c. 16* inquiens: *Superveniat ægro, febre ardente laboranti, hæmorrhagia, non mediocris & critica, quæ ipſum levet & curet, ſed ſymptomatica & larga, quæ ipſum valde debilitet, quin in vitæ diſcrimen conjiciat, perſeverante ipſa febre. Tunc certe hæmorrhagia illa ortum habebit a bile valde acri, febrem ardentem quidem producente ac fovente, ſed inſuper ſanguinem attenuante ac diſſolvente, adeo ut viam quærat & inveniat in vaſis ad nares tendentibus, ibidemque facile patentibus, vel in utero, vel in hæmorrhoidibus, vel in renibus, vel alibi. Unde ſanguis copioſe affluens vires vitales extreme debilitat, & in præſens vitæ periculum conjicit ægrum, adeo, ut, niſi brevi compeſcatur ſanguinis effluxus, moriendum ſit ægro. In tali caſu quamvis affectus primarius ſit febris ardens, a bile acriore producta, producitur tamen ab eadem quoque notata hæmorrhagia, extreme periculoſa, & ad ſui medelam medicum vocans & urgens, licet neglecta tantillum ipſa febre.* Quemadmodum pariter alvi fluxus, item dolores partium diverſarum, v. g. capitis, febribus complicati, non ab his, ſed acrimonia humorum, alvi aliorumque membrorum ſenſibilitate exquiſitiore &c. ſæpius emergunt; hinc remediis antifebrilibus minime, ſed peculiaribus aliis demum, cedunt.

Symptomata non ſemper a morbo primario, ſed interdum aliunde.

Febrilia v. g.

Etiam ſine febribus evenientia.

Nec tales caſus in febribus tantum, ſed aliis quoque affectibus, non ſolummodo fingere, ſed vere obſervare, datur: quibus nimirum ejuſmodi ſuperveniunt ſymptomata, quæ nihilominus illos non pro cauſa immediata agnoſcunt, per conſequens aliquid, præter morbi ſublationem, poſtulant. Sic v. g. diarrhæa, phthiſeos conſummatæ pediſſequa, non ab ulcere pulmonum tabifico immediate emergit, ſed ab acrimonia v. g. ſibi & huic communi parente: E. peculiaria quoque ab eodem remedia innuit. Sicut itidem vomica pulmonum decumbentem ſi corripiat colica, ſymptoma ab illa minime derivabile aut promanans, niſi in conſenſu ſatis prolixo, pulmones & abdominis contenta intermedio, quis acquieſcere velit: quid mitigationis ſperare poterit ille torminum, vomituum, teneſmi &c. colicum ejuſmodi paroxyſmum conſtituentium a remediis apoſtemati expurgando deſtinatis? niſi ad anticolica appropriata tempeſtive, poſthabito interim morbo primario ſeu unitate in pulmone ſoluta, confugiat.

Symptomata quædam turbant morbi curationem, cujus productum haud ſunt.

Neque poſterioris generis exempla deſunt, ubi nempe morbo evidentiori ſymptomata ſuperveniunt aut combinantur, non hujus ſed alterius cujusdam cauſæ, producta, ita ſe tamen habentia, ut morbi primarii, etiam in ſe periculoſiſſimi, medelam plus minus evidenter turbent, v. g. tuſſis ac ſternutatio, frequentior in hernioſis repoſitionem inteſtinorum: quales proin pectoris & abdominis concuſſiones, quia taxi huic chirurgicæ renituntur, omni modo & prius reprimere decet artificem, antequam inteſtini prolapſi feliciorem reſtitutionem ſibi polliceatur.

Quædam ſymptomata ſanato quamvis morbo non ceſſant.

Ut mittam denique nonnulla ſymptomata, ſanato & ſublato quamvis morbo, unde dependere videbantur, diu ſatis interdum adhuc affligere: qualia ſane ideo peculiarem præter morbum indicationem formare ratio & experientia ſuadet. Experimur ſc. frequentius, partibus, quæ olim aliquando graviora vulnera perpeſſæ fuerant, enormius refrigeratis, inprimis capiti, item huic ab ebrietate & crapula frequentiore &c. tantam imprimi infirmitatem ſeu imbecillitatem, quæ percuſſionibus illis ſanatis & erroribus in diæta abrogatis atque emendatis membra nihilominus in dolores, vertiginem &c. moleſtiſſimos conjicit; eaque aut ſolitaria, aut a levi occaſione, aëris v. g. aliquali mutatione, actuata.

Spe-

Spectat huc dolor ille ſympatheticus membri per chirurgiam extirpati, qualis multos ejuſmodi miſeros moleſtiſſime & per longum ſatis tempus infeſtat: ut nempe de dolore brachii, manus, tibiæ &c. detruncatæ, longius a corpore ſenſitivo remotæ & forſan jamdum ſepultæ, conquerantur, urgeantque a Chirurgo illius mitigationem. Commemorant ejuſmodi obſervationes *Paræus lib. 11. cap. 17. Hildanus de gangr. & ſphacel. cap. 2. & 10.* ac *Scultet. armam. Chir. part. 1. tab. 54.* nec ignotæ valent eſſe iis, qui infelicioribus ejusmodi hominibus præſto ſunt: qualem tamen dolorem non per meram tantum phantaſiæ corruptionem fingi, & medelam vere admittere, teſtatur illa Chirurgi cujusdam Angli, quam *James Jonge in epiſtola quadam ad amicum*, ejus *Currui triumphali e terebinthina*, ante viginti jamdum & quod excurrit, annos edito, adnexa & *Amſtelodamenſis*, *Petri Hadriani Ferduin* cura paradoxa membrorum detruncatorum per ſymphyſin ſeu inſitionem. Quæ inter alios fructus & beneficia etiam hoc gaudet, ut, dum a communi & hactenus ſolenni operandi modo dolores illi poſt detruncationem perſeverant, adhibito hoc modernorum, nihil omnimode moleſtiæ hujus poſthac perſentiſcant mutilati. Quod evidente exemplo comprobat Amſtelodamenſis in viro quodam, bis eadem tibia truncato, primo nimirum modo vulgari, ubi hoc ſympathetico dolore valde infeſtabatur; poſtmodum genu propius, & per inſitionem ſanato, hinc nihil unquam illius moleſtæ ſenſationis percipiente.

Dolor membri extirpati.

Nova artus extirpandi ratio.

Differt autem hæc ἀκρωτηριασμὸν adminiſtrandi ratio a priſtina & conſueta in hoc, quod, dum communiter in extirpationis loco omnes muſculi transverſim reſecantur, nunc ab eodem loco juxta longitudinem cruris v. g. pone oſſa deorſum abſcindatur cum cute ſuræ caro, quam muſculi gaſtrocnemii conſtituunt, tantæ longitudinis, qua ad interiora reclinata truncus membri mutilati obtegi queat: reliquum vero cutis & carnis, ut moris, transverſim inciditur, hocque ob læſuræ ſerræ metum retroducto os amputatur. Quo facto caro illa mox antrorſum reflectitur, mutilatæ parti coaptanda & agglutinanda: quod commoda deligatione, itidem prolixe deſcripta, ab *Amſtelodamenſe* maximam partem feliciter peragitur.

Ex quibus cunctis abunde ſatis eluceſcere puto, non omne

ſymptoma a morbo primario ita dependere, ut ejus mitigatio & ceſſatio hujus medelam neceſſario & ſemper vel ſequatur, vel, donec hæc contigerit, expectari nequeat; ſed peculiari gaudere eorum quædam indicatione atque peculiaria poſtulare auxilia, hisque demum feliciter cedere: colligere etiam hinc licet, quam vanæ ac evanidæ ſint rationes, ſeu ſophiſmata potius logica, quibus *Sanctorius* inprimis urgentem hanc ſymptomatum indicationem evertere annifus fuit. Eo ipſo enim, dum ſymptoma cum morbo venit, venit morbus pariter cum ſymptomate, i. e. etiam hic in fieri eſt, & quando morbus generatur, ſymptoma quoque hinc emergens fit; dum vero ille factus & permanens, ſymptoma etiam ſtabile & firmum ſatis, imo juſto pertinacius, deprehenditur. Nec, quod hac ratione in fieri eſſe dicitur, omni entitate poſitiva deſtituitur, v. g. motus ſanguinis præternaturalis in hæmorrhagia, motus ventriculi perverſus in vomitu: E. & eo ipſo contrarium ſibi indicant hæc ſymptomata, motus nempe naturalis in ſanguine perinde, ac in ventriculo reſtitutionem. Neque, ut *Sanctorius* ſibi perſuadet, contradictoria ſunt, innuere ſymptoma morbum, ut cauſam, & innuere, vel (technice magis loquendo) indicare remedium: ſicut nec ideo ſymptoma, quod ſit res per accidens, minus indicare valet, quam morbus, pariter accidentale quid. Evitabit vero in curatione ſymptomatum facile fallaciam non cauſæ, ut cauſæ, Medicus peritus ac prudens, modo inter ſymptomata & motus criticos diſcernere norit: i.e. evacuationes præternaturales ita demum ſiſtere annitatur, ne cauſa ejus, unde plus damni in corpus redundat, retineatur ac cumuletur. Brevi, non aſſero, ſymptomatum therapeiæ ſemper & ubique vacandum eſſe, bene tamen eorum urgentiora, cœteris paribus, ſui mitigationem poſtulare. Ejusdem, i. e. nullius roboris, reliqua *Sanctorii* argumentula ſeu micrologiæ comparebunt ſagacius has ponderantibus.

Reſp. argumentis Sanctorii.

Majoris forſan momenti videri poterat hoc, nunquam poſſe tolli ſeu ſedari ſymptoma, niſi remoto vel ceſſante ſimul morbo, ut cauſa proxima, vel in totum, vel in tantum: quod nihilominus præjudicium diſcutiet crebrior praxis, dum, ſi non per anodyna, certe per narcotica, levatur v. g. dolor nephriticus, calculo adhuc in loco ſuo

Etiam aliquando ſolvitur aut mitigatur ſymptoma.

ſuo hærente; ſtrangulationis metum temperat ſeu avertit in angi-noſis bronchotomia, cruda adhuc exiſtente faucium harumque muſculorum inflammatione. Olim equidem, calculo, veſicæ cervici adeo arcte impacto, ut catheteriſmo haud cederet, vel ab eodem inflammata & chirurgiam hanc minus admittente, increſcente nihilominus ad rupturam usque iſchuria, prognoſtico linquebantur ægri, quod, cauſa non mobili, nec poſſit tolli affectus: donec puncturam peritonæi ſuſcipiebant Galli, & per hanc, non calculum quidem, non inflammationem, urinam nihilominus, in ſolatium ejuſmodi miſerorum feliciter educebant, ſymptomati ſine morbo medentes. *perſiſtente adhuc morbo.*

Si urgeas, effectum nihilominus & cauſam adeo arcte ſibi cohæreſcere, ut ille ſine hujus declinatione averti nequeat: regero, non tollitur equidem cum ſymptomate ſemper morbus primarius & evidens magis, qui non raro cauſa ſymptomatum remotior tantum obſervatur; tollitur tamen ſemper ſimul cauſa illorum proxima. Ita v. g. non expellitur calculus, laxantur nihilominus & emolliuntur fibræ canalium p. n. tenſæ ſeu rigidiores a lenientium atque anodynorum applicatione, ut a criſpatura & tenſione ſua dolorifica aliquantulum, ſimulque ipſe dolor, remittant: ſtupeſcunt eædem, ſeu ſpiritus potius intra has irritati, ab uſu opiatorum, ut impetus calculi tortoris minus ſenſibilis iisdem evadat. Quadrat huc caſus, a *Sylvio l. a.* annotatus, de febricantium hæmorrhagia, cephalalgia, & agrypnia: quibus ſymptomatis medicari licet, non extinguendo febrem ardentem, temperando nihilominus eorum cauſam proximam & continentem, humorum nempe acrimoniam ſanguinisve turgeſcentiam nimiam compeſcendo. Cui plura exempla addenda forent; v. g. obſervantur ex continuis non tantum, ſed intermittentibus quoque, febribus quædam aſthmaticæ, ſtrangulatoriæ ſeu ſuffocatoriæ, qualis dyſpnæa urgens a ſtagnatione cruoris intra pulmonum vaſa evenit: Venæſectione ac diaphoreticis ſolvitur illa, non ſine ſtagnationis ſanguinis ſolutione, quamvis perſeverante febre ac hujus paroxyſmo in ſtatu priſtino. Similì modo ex dentitione non unius generis & periculi infantibus contingunt ſymptomata, dolor, convulſiones, epilepſia, alvi fluxus &c. qualia nihilominus interdum feliciter ſatis delinimus, motu dentitionis haud infracto vel intercepto. **Morbus evidens non ſemper eſt cauſa proxima ſymptomatis.**

Atque ſic me dilucide ſatis comprobaſſe puto, ſymptomata quoque inter indicantia therapevtica jure optimo numerari, ſimulque ſufficienter redarguiſſe illos, qui hoc autoritatis illis denegant. Quando vero alii, mitius agentes, illis indicandi vim concedunt, ſub hac tamen conditione, ut indicationem horum ſub curatoria & præſervatoria complectantur, i. e. non, niſi ut cauſa vel continens, vel antecedens, indicent illa, v. g. *Galenus 12. meth. med. 1.* & *Capivaccius meth. med. c. 7.* quorum hic, poſtquam rerum p. n. removendarum duas tantum, morbum nempe ac cauſam, conſtituit, ita pergit: *admonentur juniores, nos negligere ſymptomata, licet ſint præter naturam, quoniam, ut ſuo loco* (cap. 25.) *cognoſcetis, ſymptomata nequaquam indicant, niſi ut habent rationem cauſæ* (& quidem loco poſt.) *vel augentis morbum, vel lædentis vires*, quibus plerique reliquorum Commentatorum ſubſcribunt, v. g. *Trincavellus loco allegato, Sennertus, Plempius, Nardus &c.* v. g. ſi dolor inflammationi occaſio exiſtat, eamve intendat, hæmorrhagia membrum ad ſphacelum diſponat, eademque, fluores alvi, vigiliæ ac tuſſis vires enormius conſumant: Eo ipſo inter indicantia peculiarem ſymptomatis locum concedunt, licet hunc modificare & limitare magno conatu annitantur.

Indicant E. ſymptomata vere. Licet ſecundum quosdam ut cauſa.

Quamvis iis, inter quos *Sylvius quoque meth. med. cap. 16*, condeſcendere in hoc nequeam, quaſi vehementiora ac vires valde dejicientia ſymptomata tantum ſui mitigationem (virium nempe conſervandarum gratia) indicent; ſed mitiora quoque aliquando & viribus parum aut nihil derogantia idem præſtant: ita quidem ut ſi his vere mederi haud liceat, palliativam tamen ad minimum curam poſtulent aut admittant, v. g. tremor artuum, vertigo levior, viſus imbecillitas, obauditio, raucedo. Quemadmodum loquela quoque depravata a defectu dentium primorum aut oſſis palati eroſione, argenteis, aureis, eburneis ſimiliſque generis machinulis, perditarum partium æmulis, corrigitur, viſus debilitas in ſeneſcentibus conſpicillis emendatur, ex crure detruncato ambulandi impotentia crure ſuppoſititio ſeu ligneo juvatur, fœtorque alarum, pedum, oris &c. ſuaveolentium geſtatione, illinitione aut maſticatione obtunditur & occultatur. Referatur huc pariter roſio lumbricorum inteſtinalium, quam ſaccharo, lacte ac ſimilibus dulcibus temperamus: item alvi

Non vehementiora tantum, ſed mitiora quoque, ſymptomata indicant.

alvi conſtipatio levior, cui in diverſis affectibus medicari convenit, utut non adeo urgeat.

Imo urgentium ſeu graviorum quoque ſymptomatum forſan experimur plura, ac hactenus penes autores communiter recenſentur: dum præter vomitum, alvi fluxus, ſitim, hæmorrhagias, dolores, ſuffocationem, inquietudinem, vigilias, deliria, animi deliquia & convulſiones, urinæ ſuppreſſio, tuſſis, rigor & æſtus febrilis enormior corpus maxime defatigant. Quorum quamvis pleraque aliquando obſerventur blandiora, vixque medici opem implorent, eadem tamen interdum ad altius ferocitatis faſtigium evehuntur illamque valde urgent, v.g. parcior & uberior hæmorrhagia, tuſſis lenior & magis ferina, horripilatio levior & rigor oſſa conquaſſans. Ut taceam, eadem plus minus urgentia deprehendi pro ſubjectorum varietate, dum v.g. vomitus etiam frequentior prægnantibus minus nocet & tantum non naturalis eſt, præ non gravidis, tuſſis majore cum periculo affligit hæmoptoicos, hernioſos & gravidas, quam alterius aut ſanæ magis conſtitutionis homines, ſpaſmi ſcorbuticis non æque, ac febribus acutis decumbentibus, periculoſi obſervantur, atque dolores v.g. nephritici, animadvertente *Panarolo pentec. 3. obſ. 8.* prægnantibus præ aliis fœminis magis exitioſi exiſtunt.

Urgentium ſymptomatum plura, ac communiter recenſentur.

Quibus ita ſe habentibus aſſerere licet, indicare quædam illorum quoque ſymptomatum, quæ nec vires dejiciunt, nec morbum augent, adeoque neutra, ut cauſa, vim habent ſui medicationem poſtulandi. Neque tamen ideo urgentium magis ſymptomatum indicatio mox omnis curatoriæ & præſervatoriæ ſubordinanda, quod illa aliquando cauſæ formalitatem induant. Dum ſuppoſito ſeu conceſſo hoc, calculus frequentius forſan non curatorie ſed præſervatorie tantum indicaret, ratione inflammationis renum aut veſicæ, obſtructionis ureterum & urethræ, iſchuriæ ac convulſionum, hinc metuendarum, vel quæ ſingulare inde capere poſſent argumentum: ſc. quod cauſæ antecedentis enarratorum morborum & ſymptomatum rationem habeat, vel habere poſſit. Porro ſi ſymptoma nullam, niſi ſub cauſæ ſpecie, ſui medelam urgeret; nec morbus, v.g. fractura, quam excipit membri fracti inflammatio, curatorie, ſed præſervatorie tantum, nimirum ut cruris v.g. inflammatio præcaveatur,

Neque ſemper, ut cauſa, indicant.

indicaret: cum tamen propria etiam ſeu curatoria illam gaudere indicatione, in propatulo ſit. Et ex eodem fundamento indicatio cauſæ antecedentis, nimirum ut peculiaris morbi generis, v. g. plethoræ, indicatio curatoria appellari jure poſſet, quam alias & communiter præſervatoriam ajunt: ſi nimirum diverſæ ſaltem habitudines rerum præternaturalium ad ſe invicem indicandi formalitatem determinarent.

Symptomatũ etiam indicatio virium conſervatoria quodammodo dici valet.

Aut ſi hæ ſimilesve relationes diverſæ diverſi aut unius generis formarent indicationes, quid obſtat, quominus ſymptomata, quod vires immediate magis proſternant, virium conſervationem innuant: eodem nimirum fundamento ac intuitu morbi præſervatorie aut curatorie eas indicare communiter malunt; per conſequens vitalis potius hinc indicatio emergat. Sicut e contrario, dum non adeo infrequens eſt, virium defectum morbos generare, v. g. ex hypotheſi communi, renum imbecillitatem ſeu robur eorum deficiens calculum: ita ob relationem hanc virium in renibus deficientium ad calculum tanquam morbum, non vitalis ſeu virium, ſed curatoria aut ad minimum præſervatoria, hæc indicatio nuncupari deberet; ſicque omnis his, per ſe, indicandi vis denegaretur, quod abſurdum.

Aliquando etiam curatoria, manet tamen virium indicatio integra.

Imbecillitas partium idem eſt cum virium defectu.

Neque enim omnimode paradoxum cenſeri poterat, quod imbecillitatem renum, quam vulgo inter ſymptomata actionis læſæ numerant, virium defectui adſcribam: jubet enim hoc vel ipſe imbecillitatis terminus, vel ipſa ejus formalitas, quam in tono renum compagis laxato fractove concipere decet. Deficiunt quippe non tantum vires vitales & animales toti communes ſeu publicæ, ſed particulares quoque horum vel illorum organorum labaſcunt, ſive has ſub determinata humorum ac ſpirituum influentium craſi, ſive ſpirituum quorundam inſitorum ſpecifica habitudine, ſive ſub textura partium ſeu fibrillarum, compagem illorum conſtituentium, certo mechaniſmo, tono &c. concipiamus. Quod ne proprio auſu aſſerere mihi præſumam, provoco ad autoritatem & commentarios totidem medicorum magnæ eruditionis & famæ, ſingulis membris aut calorem congenitum, aut ſpiritum inſitum, & quaſi particularem concedentium, aut fermenta ſpecifica, aut ſtructuræ intrinſecæ mechani-

chanicam pro rectore & opifice vitali illarum actionum adſcribentium. Per conſequens & perinde, ac partium cunctarum functionum integritas vires earum integras innuit, fatiſcentia easdem fractas credere jubet, v. g. actio imminuta & abolita renum &c. minime quoque, quia hic virium defectus morbo ſeu calculo producendo occaſioni exiſtit, mox præſervatoria ſeu curatoria, quam in therapeia ſui præſtant, indicatio appellatur, ſed conſervatoria manet. Par exemplum concedet crurum imbecillitas, a frigore, vulnere &c. contracta & tumorum œdematoſorum cauſam antecedentem conſtituens: quam nihilominus minime hujus effectus cauſa præſervatorie, ſed per naturam & formalitatem ſuam conſervatorie, indicare, omnes fatentur. Vires ſemper conſervatorie indicant.

Sed ne prolixius in ejuſmodi abſurdis, quæ ex doctrina illa de ſymptomatum indicatione præſervatoria fluunt, recenſendis digrediar, ſicut rerum præternaturalium tres diſtinctæ ſunt, quæ ſui remotionem per methodum medendi poſtulant, eæque revera & formaliter differunt: ſic cunctæ illæ per ſe & diſtinctim indicant. Aut quamvis cum illis adeo acriter litigare nolim, quibus ſymptomatum indicationem ſub intuitu vel ad præſentem vel ad futurum morbum, vel ad vires, præſervatoriam appellare lubet: diverſa tamen hæc eſt & manet indicatio ab illa, quam cauſa ſuppeditat, modo confuſionem declinare velimus. Indicant ſymptomata per ſe.

Præterea dum indicantium plura aliquando in uno ſubjecto concurrunt, quæ pro varia ſui ad ſe invicem habitudine peculiaria ſortita fuerunt nomina, ſc. coindicantium ſeu conſentientium, permittentium & contradicentium ſeu repugnantium, evidens fit, non unius tantum, ſed cœterorum quoque indicantium, in medela rationem eſſe habendam: imo, antequam illi, quod primum apparet, ſatisfacere ſatagat Medicus, ſollicite, num forſan eorum plura ſubſint, disquirere debet, ne agat, quod minus agere opportunum & conſultum erat, neque intermittat aliquid eorum, quæ neceſſaria maxime, ſeu a ſuo indicante poſtulabantur. Adeoque ſi illa conſentiant, iis utique fit ſatisfaciendum: ſin diſſentiant, ex paritate & imparitate illorum dignitatis & numeri demum, utrum illorum præ altero attendendum, judicare debet hunc in modum. Si paria fuerint indi- Plura in uno morbo aliquando concurrentia dicuntur. Cuncta in medela attendenda.

cantia

cantia virtute, imparia numero pluralitati obtemperandum, ſin imparia virtute, potentiori litetur; v.g. vires debiliores morbum non raro & cauſam morbi indicando ſuperant, ſeu horum indicata poſtponere jubent: quemadmodum ubi numero & virtute paria, ſingulis eorum condeſcendendum erit, v.g. viribus reparandis & cruditatibus ventriculi evacuandis.

Differunt indicata & materia auxiliorum.

Tandem a practicis trivialibus non raro confundi audire tædet Indicata ſeu auxilia & remedia cum materia auxiliorum ſ. remediorum, qualis ignorantia craſſa admodum etiam occaſioni extitit, quominus quæſtionem, an contraria contrariis, an ſimilia ſimilibus curentur, apte decidere haud potuerint? ut ſuperius innui. Quatenus indicatum ſeu auxilium proprie eſt, quod ab indicante agendum præcipitur, v.g. eductio ſanguinis a plethora; ſemperque unum eſt: materia autem remedii ſeu auxilii dicenda, qua, quod indicans poſtulat, exequimur ſeu inſtrumentum indicati, v.g. venæſectio eductionis ſanguinis, Tartarus emeticus vomitus inſtituendi, pro ventriculi cruditatibus rejiciendis; ex fonte diætetico, pharmacevtico & chirurgico hauriendum.

Caput XI.

De
Auxiliorum & horum inſtrumentorum adminiſtratione in genere.

Indicatum ſemper unum.

Indicati, Auxilii ac Remedii nomine medicis idem venire, ex *cap. præced.* repeto, illud nempe, quod, tanquam juvans, ab Indicante agendum inſinuatur, & ex rei, quæ medelam exigit, natura invenitur, unicum ſemper: dum Materia ſeu Inſtrumentum, per quod Indicatum exequimur, multiplex frequentius deprehenditur. Sit Indicans ventriculi cruditas acida, Indicatum hujus remotio, fieri hæc poteſt modo per catharctica æque *ἄνω* ac *κάτω*, per Tartarum pariter emeticum ac Mercurium vitæ, per helleborum nigrum & folia Sennæ, per pilulas aloëticas &c. modo per abſorbentia, hæcque pariter diverſa, v.g. limaturam Martis, Corallia, oſſa Sœpiæ, Tincturam

Materia ſeu inſtrumentum ejus quamvis multiplex interdum.

Tartari

Tartari &c. Involvit E. officium medici in facienda medela, ut norit, 1. quid agendum, ſeu indicatum: 2. quibus inſtrumentis ſeu qua materia; ac 3. conditiones ſeu circumſtantias, in auxiliis exequendis, horumque materia vel inſtrumentis applicandis, attendendas. *Officium medentis tria involvit.*

Quid agendum, ex axiomatis illis generalioribus methodi medendi conſtat, illud, quod ſecundum naturam, nempe vires, conſervandum; quod præter naturam, nempe morbus, cauſa morbi & ſymptomata, tollendum: & quidem ſub directorio Indicationis præſervatoriæ, curatoriæ, vitalis & mitigatoriæ. In tollendis rebus præternaturalibus remedium ſemper iis contrarium poſtulari, ex *cap. antec.* pariter conſtat; liceat vero mihi hic, ratione virium, occaſione illius, quod eodem loco de duplici earum conſervatione monui, ſimul animadvertere, non adeo ſimpliciter admitti valere, eas ſimilibus conſervari ac reſtaurari. Quadrat ſiquidem huc quoque, quod de rei præternaturalis exterminandæ & remedii exterminantis contrarietate ibidem diſſerebam, ſemper indicans & indicatum ſeu auxilium adverſa fronte pugnare, non ſemper indicans ac remedii inſtrumentum; ſed hæc non raro, ut ſimilia, concordare: quippe de conſervandis per ſimilia viribus idem forſan dici poterat, inprimis ſi per perditarum reſtitutionem hoc fieri poſtuletur. Sub quali hypotheſi vires perditæ & reſtituendæ non ſimilia, ſed ex conſenſu omnium contraria, ſibi exiſtunt, quorum illud indicans, hoc indicatum: aſt materia ſeu inſtrumentum, quo huic ſatisfit, ſeu illæ reparantur, alimenta nimirum ſucci laudabilis & generoſiora analeptica quævis, viribus perditis non contraria, ſed adæquata magis & ſimilia, videntur. Inſtrumenta auxiliorum, quibus agendum, triplicis ſcaturiginis inferius recenſebo, quantum quidem therapeia morborum generalis poſtulabit. Quoad modum autem ac genuinam adminiſtrationem Auxiliorum & eorum inſtrumentorum, habet utrumque communes tres inprimis conditiones: gradum nimirum aut quantitatem indicanti congruam ſeu proportionatam, applicationis tempus atque locum; ex remediorum vero materia medicamenta adhuc ſibi peculiarem poſtulant formam, quam alii modum κατ' ἐξοχὴν ajunt. *Quid agendum? Vires non ſemper conſervantur per ſimilia. Inſtrumenta & modus agendi.*

Sc. primo valde neceſſarium eſt noſſe & obſervare proportio-

Inter indicans & agendum requiritur proportio.

nem inter rem naturalem ſeu vires integras conſervandas ac remedium, quod huic conſervationi aut reſtaurationi miniſtratur; ac inter rem præternaturalem e corpore exterminandam atque auxilium & inſtrumentum exterminans, ſeu quo illam debellare molimur: ne in priore caſu remedium deficiat ac operi minus par ſit, nec, in poſteriore, illa hoc ſuperet, ſed ab hoc potius ſuperetur, ac ſanitas integra reſtituatur; neque tamen hoc corpus nimis alterando alium morbum inducat, nec in periculum novum, qui opem deſiderat, conjiciat. Perinde ſiquidem ac *Hippocrates 1. aph. 6.* extremis morbis extrema remedia adhibere jubet, ejus alteri etiam conſilio ex *2. aph. 51.* quod *cap. 9.* commendabatur, auſcultare convenit, quo præcipitantiam & omne nimium diſſuadet. Qualis proportio dependet partim a virtute ſeu gradu majore minoreve operis vel remedii, partim a quantitate ejus extenſiva.

Quantitas quid involvat.

Virtutem ſeu quantitatem intenſivam auxilii hujusque inſtrumenti moderatur virtus rei conſervandæ & exturbandæ, per quam vires exiliores inſtauratione potentiore indigent, præ robuſtioribus, his ſufficit diæta tenuior, v. g. juſcula, illæ pleniorem ac generoſiorem requirunt, carnes aliaque alimenta evchyma, vinum &c. quemadmodum magnæ humorum abundantiæ non frictiones, ſed ſanguinis miſſio, non lenior alvi ſubductio, ſed catharſis potentior, non ſcarificatio, ſed venæſectio, non aloë, manna &c. ſed helleborus, colocynthis &c. quadrant. Sicut pariter extenſivam remedii quantitatem determinat indicantis vis diverſa, paſtum frugaliorem aut uberiorem, catharſin plus minus repetitam, eductionem ſanguinis copioſiorem parcioremve &c. quo quantitati indicantis ac indicati majori minorive reſpondeant; hæc vero quantitatem proprie ſic dictam, ſimul tamen operationis quoque terminum ſeu longitudinem, complectatur. I. e. ut ratione prioris catharcticorum & hydroticorum major minorve propinanda ſit doſis, multum vel parum evacuandum: ratione poſterioris frequentius purgandum, ſudandum veniat, uſui incidentium, temperantium, abſorbentium &c. eousque inſiſtendum, donec medicamina ſufficienter eduxerint, attenuarint, mitigarint materiam morbificam, & remedium præſtiterit hoc, quod deſideratur, non tamen lædat.

Tempus

Tempus agendi per inſtrumenta adæquata innuit occaſio ſeu indicantis præſentia, uno verbo, ubi vires deficiunt, morbus & ſymptomata urgent: quod tamen minime excludit, ſed commendat potius, ordinem, ubi indicantium plura concurrunt, quale quid frequentius fieri, *cap. 10* dictum: in quo caſu non ſufficit noſſe, quod remedium cuivis eorum appropriatum, ſed videndum pariter ac ponderandum, a cujusnam adminiſtratione inchoandum, & quodnam eorum alteri commode poſtponi queat. Hinc prius agendum contra hoc, quod maxime urget, ordinarie prius contra cauſam, quam morbum, pugnandum, contra illud, quod reliquæ medelæ impedimento eſt: ante omnia vero ſuccurrendum illi, a quo majus metuendum diſcrimen, ſive morbi, ſive cauſæ, ſive ſymptomatis, nomine veniat, hinc removendum præ cœteris, ſi occaſio poſtulet, quod quocunque modo urgentium horum ſublationem moratur. Primum educantur cruditates febrem inducentes, hinc propinentur eam cum ſymptomatis compeſcentia: qualem ordinem invertere jubet in nephritide dolor, prius ſui mitigationem per anodyna, hinc demum calculum pellentia, poſtulans: exigit febris ſeu ſtagnatio ſanguinis venæſectionem, interpellat hanc eousque alvi obſtructio, donec enemate fuerit ſoluta: neceſſaria eſt vulneris conſolidatio & labiorum ejus adductio, quam præſtare vix licet, niſi telum, globulus &c. relicta prius extrahuntur. Quibus aliquando ejuſmodi quid ſupervenit, quod remedii hujusve materiæ vim modo intendit, modo inhibet, adeoque illius adminiſtrationem modo accelerare, modo differre, jubet. Ita victus tenuis ſeu abſtinentia cruditatibus ventriculi removendis inſervit, haud nihilominus ſufficit, ubi illæ ſubitanea ſui remotione opus habent: victu pleniore vires reſtauramus, quod ille tamen minus præſtat ſub ventriculi digeſtione difficiliore; catharſin urget morbus & cauſa, in paroxyſmo tamen & cruditate febrili eam procraſtinare, ratio ſuadet: ſanguinis miſſionem poſtulat plethora, accelerat eam metaſtaſis humorum ad habitum imminens, retardari vult paroxyſmus convulſivus, fluxus menſium ſimiliaque.

Tempus agendi innuit indicantium præſentia.

Complectitur tempus ordinem quoque.

Ordinis ratio.

Quædam ſupervenientia remedii & hujus inſtrumenti uſum morantur & maturant.

Locum applicandi remedium obſervamus quadruplicem, in quo, ex quo, per quem ac ad quem. Sc. ſi alterandum, cauſæ æque

Locus, in quo.

ac morbi inhærentia ſeu ſubjectum immediatum locum, in quo, monſtrat, qui præcipue attendendus: & quidem in affectu univerſali per remedia interna potiſſimum, aut talia quoque externa, quæ in totam humorum maſſam agunt, v. g. venæſectionem, balnea; in particulari per topica & operationes chirurgicas diverſas, v. g. abſceſſum incidendo, os luxatum articulo ſuo reſtituendo; Locum, e quo, ſeu ubi evacuandum, ejusdem indicantis ſeu materiæ evacuandæ ſedes, v. g. abſceſſus, aſcitis, determinat: per quem, habitudo materiæ ad organum excretorium ſeu ad meatum, per quem commode evacuare licet, innuit, v. g. mucum pulmonum per aſperam arteriam ſeu expectorationem, primarum viarum cruditates per gulam ac alvum: quemadmodum denique locum, ad quem, in metaſtaſi humorum artificiali partium nobilitas atque ignobilitas, modo pars affecta cum hac communicet, determinat, v. g. defluxiones & ſtagnationes ſeri a capite, oculis &c. per veſicatorium, fonticulum ad cervicem vel humerum avertendo; &, ſi ſolidior aliqua pars ſedem naturalem deſeruerit, ipſe ejus ſitus naturalis, v. g. ut hernioſi inteſtina reponantur ad abdomen, os luxatum articulo ſuo adaptetur.

Locus, e quo, per quem, ad quem.

Forma medicamentorum variat.

Inprimis ratione ſubjectorum.

Sed quoad medicamentorum formam hæc varii admodum generis eſt, tam internorum quam externorum, ſecundum partis affectæ, ægri naturam, palatum &c. immutanda; dum præter *Sylvium prax. app. tr. 6. §. 247.* praxi quotidiana edocemur, in uno homine non tantum unum medicamentum, ſed ſub una forma propinatum, felicius operari, quam aliud, vel forma alia: quod Medicum ſollicite obſervare oportet, quo & ſuis ægris placeat, & felicius faciliusque hos curet. Imo ratione materiæ quoque ſelectus inter medicamenta obſervandus, cum offendamus eorum quædam indicato primario maxime reſpondere, ſimul nihilominus per texturam ſingularem unum eorum præ altero, modo ſine, mod cum, moleſtia & noxa admitti, v. g. Aloen in his, qui hæmorrhoidibus dolori ac fluxui obnoxii, Caſſiam, Scammonium in iis, qui per idiocraſiam ſingularem hæc abhorrent, de quibus *cap. 7. & 9* dictum; item Vitriolata & Saturnina, v. g. Tinctura antiphthiſica noſtratium in hæmoptoſi, vomitu cruento ſimilibusque ſanguinis profuſionibus magnarum virium, ventriculis tamen debilioribus ac ad vomitum inclinantibus minus ſuaden-

ſuadenda. Quo ſpectat in medicamentis topicis partis diverſa textura, per quam vulnera & ulcera tendinum aliarumque partium nervoſarum præ carnoſis exſiccantia magis, oculi minus acria, admittunt. Item ſuo modo huc referri poteſt ſanguinis miſſio, quibusdam individuis lipothymias inferens: quemadmodum uſus quoque vomitoriorum in hæmopticis, hernioſis &c. prout pariter ex ſuperioribus ſuppono, non ſine evidente periculo commendabilis.

Imo per diſpoſitionem ejuſmodi individualem quidam non tam hæc vel illa medicamenta abhorrent, & eorum uſum moleſte ferunt, ſed inter plura ejusdem generis quædam minoris efficaciæ, aliquando etiam alterius & contrariæ virtutis, viſa, paradoxe ſatis, proficua magis præ cœteris deprehenduntur, his proin anteferenda. Sic v. g. penes *Bartholin. 4. hiſt. 39* legimus, præ aperientibus multis fruſtra in fœmina menſium ſuppreſſione laborante tentatis, cortices tandem Granatorum, evidenter adſtringentes, fluxum concitaſſe; quale quid in aliis quoque Subjectis pariter ſe obſervaſſe, *Langelot* perhibet in *Bartholini cent. 3. epiſt. 63*, ubi & cum eodem *Tachenius Hipp. chym. c. 17* effectus illius hanc rationem reddit, quod ſale ſeu alcali volatili reſolvente hæc putamina cum particulis adſtringentibus gaudeant, quamvis hoc ſal ſimul vitriolicum pronunciet nominatus *Langelot*. Fructus & Spongiam Cynosbati virtute ſtiptica pollere, urinam tamen & calculum quoque, interdum præ aliis Lithontripticis, pellere, conſtat: an per eandem virtutem adſtrictoriam, qua renes, ad feliciorem heterogeneitatum ejuſmodi exturbationem, roborare *Simon Pauli Quadrip. Bot. p. 57* putat, haud diſquiram; hoc ſaltem dum innuere volo, non omnia remedia omnibus quadrare, ſeu illorum morbis ad expectationem mederi. Non de illis verba faciam, quibus alvus obſtinata citius a mitioribus ac lenientibus, v. g. juſculis pinguioribus, manna &c. movetur, quam a purgantibus potentioribus: nec de ejuſmodi individuis, quorum pariter unum alterumve novi, cujus ventriculum non Tartarus emeticus, non Mercurius vitæ ſimileve potentius, aqua tamen tepida, mirum in modum evacuat.

Quem in finem ex Medici quoque re erit, ut mox in principio medelæ ipſi conſtet, an medicaminibus, & qualibus, hactenus uſus fuerit **Noſſe convenit, an, & quibus,**

jam uſus fuerit medicamentis æger.

fuerit æger: ne prolixiore demum, frequentiore & huic maxime moleſto tentamine, quæ conſtitutioni ejus ac morbo magis minusve quadrent, explorare opus habeat, moxque ab irritis ad efficaciora forſan ſe convertere queat. Quippe cum plebei vel quicunque infimi methodum medendi ignorent, hinc minus curent, a multitudine vero remediorum abhorreant & prolixiorem medelam detrectent; mox ejuſmodi medicamenta offerri debent, quæ cauſam mali, vel ſaltem ejus majorem partem, ſi fieri poteſt, auferant: alias, niſi res ex animi ſententia ſucceſſerit, empiricos, ſagas ſimilisque generis homines accedunt, vel advocant, quorum promiſſis fallacibus longe attentius, quam peritiſſimorum medicorum auxiliis, auſcultant. Ita diſſerit *Gabelchoverus cent.* 11 *obſ.* 49. teſtatur miſera ac tædioſa praxis.

Doſis medicamentorum ſit congrua.

Commendo hac occaſione Medico juſtam quoque medicamentorum doſin, obſervatu neceſſariam, ſi ſcopum præfixum attingere velit: quo indicato hæc ſit adæquata, non exuperet aut deficiat, priore ratione lædant, poſteriore haud agant, quod agere deſiderabantur illa. Sub evacuantium uſu in exceſſu æque ac defectu peccari ſolet ab imperitioribus, & damnum hujus erroris evidens maxime deprehenditur, ut vel nimis, ad virium usque proſtrationem viarumque & locorum, per quæ, labefactionem ac eroſionem, operentur, vel non evacuent, quod evacuari nihilominus debebant, ac tormina ſimilesve moleſtias corpori fruſtraneas parent. Alterantium vero doſeos minus adæquatæ effectus, quamvis non ita in ſenſus incurrant, rationi tamen conſentaneum videtur, nimiam, diutius inprimis continuatam, aliquando nocere, v. g. ſanguinem præter modum inſpiſſare, diſſolvere, ſpiritus vehementius exagitare, ſtupefacere, ventriculi activitatem obtundere & quæ ſimilia. Hoc loco non poſſum non advertere errorem noſtræ praxeos frequentem, quem circa pleraque alterantium per refractam ac exiliorem juſto eorum doſin committunt tantum non omnes moderni, ut non improbabile ſit, veteres in morbis curandis ideo feliciores extitiſſe nobis, quod pleniore doſi ſua medicamina præſcripſerint; plus etiam in hoc negotio præſtent hodie empirici, ex illorum Scriptis ſua remedia depromentes. Si evolvamus *Fernelii*, *Foreſti*, *Sennerti*, *Gabelchoveri*,

In alterantium doſi hodie ſumus juſto parciores.

Riverii

Riverii opera practica, ſub quanta doſi non præſcribunt ſua apozemata, Electuaria, potiones, morſulos, pulveres &c? ut ſi comparetur cum earundem formularum quantitate nobis uſualis, duplo, nedum triplo, illa noſtratem frequentius exuperare deprehenditur. Imo *Zwelferum* obſervamus in *animadverſ. ad confect. ſeu ſpecier. aromatic. formulas* mirari & irridere exiguam adeo in prolixis veterum compoſitionibus unius vel alterius ingredientis doſin, drachmæ nempe unius aut duarum, cujus tamen vel libra a quovis homine comeſta vix ullam qualitatum vitioſarum alteraret.

Poterat ac debebat drachma dimidia ad minimum propinari Margaritarum, lapidis Bezoar, Cinnabaris, Bezoardici Solaris, Unicornu marini ſimiliumque, quorum nihilominus grana tantum ſex, duodecim ad ſummum, ordinarie præſcribi deprehendimus. Gelatinam Cornu Cervi, Eboris &c. ultra drachmas duas vix concedunt communiter, ne, ut credunt, nimis refrigerent: juſcula tamen & gelatinas aliorum oſſium ac carnium glutinoſarum, quibus virtute refrigeratoria forſan illæ non potiores, ad uncias totidem ac fortaſſe plures, ſine ullo refrigerationis ſenſu, deglutiunt calore minus æſtuantes. Theriacæ & Mithridatii compoſitionem triplum mellis, & quarta pars ſpecierum conſtituit; unde ſi, ut communiter fieri ſolet, harum antidotorum drachma pro doſi exhibeatur, non, niſi quindecim grana cœterorum ſeu activorum magis ingredientium capiet æger: *Zwelferus* tamen loco allegato ad Unciam dimidiam illas dare non dubitat, non ſine ratione, quod mellis quoque craſſamentum lentum reliquarum ſpecierum activitatem obtundat. Eſſentiam Menthæ, Cinnamomi, Zedoariæ, Abſinthii &c. ad guttulas quadraginta vel quinquaginta communiter præſcribimus, ſpiritus vero ſeu aquas vitæ & Elixiria horum ſimiliumque plus minus compoſita ad uncias haurimus, v. g. Elixir Menthæ, Citri, Vitæ, Matthioli, Aquam aſthmaticam, Liliorum convallium, Maſtichinam &c. ſine notabili corporis alteratione, aut, quam timent, ſanguinis inflammatione. Pariter in Confectionis Alkermes præſcriptione pro pluribus doſibus raro drachmam unam tranſcendimus, cum tamen ſpecies ejus vix decimam quintam aut vigeſimam partem ſachari & ſuccorum excipientium conſtituant. Ac potiunculæ alterantes atque confortantes

tantes dictæ ad cochlearia bina vel trina libantur; efficaciore forſan ſucceſſu ad uncias tres vel quatuor ſingulis ad minimum quadrihoriis haurirentur.

Hujus erroris triplex ratio.

Cujus quidem erroris triplicem agnoſco occaſionem, nempe vel meticuloſitatem medici ineptam, vel ægrorum palatum delicatius, vel pretium majus medicamenti: neutram tamen ſufficientem, pro imminuenda doſi ad auxilium indicatum ferendum neceſſaria, & derogando virtuti medicamenti. Non habere medicum, cur a pleniore alterantium doſi metuat, ex ſuperioribus conſtare puto, & pluribus adhuc exemplis comprobari poſſet: ſi v.g. Tinctura Roſarum, Papaveris erratici &c. non ad guttas triginta vel quadraginta, ſed ad drachmas tres vel unciam dimidiam propinaretur, præter aquam acidulatam & tantillum rubedinis florum illorum, cum nihil involvat. Cochleatim aſſumuntur Emulſiones, commodius ad cyathos aliquot hauriendæ, cum voluptatis gratia a guloſis non raro ad libram, ac quod excurrit, potentur: & quid periculi aut detrimenti ab Oculis cancrorum, Oſſe Cordis Cervi, Coralliis, Margaritis, Cryſtallo montano ſimilibusque fixioribus abſorbentibus, aut quacunque demum ratione alterantibus, expectandum, ſi ad drachmam integram potius, quam grana pauca, vel ſcrupulum ad ſummum, præſcribantur? Neque acrium, niſi enormiter cauſticorum, (utpote omnimode potius fugiendorum) major quantitas formidanda, v.g. Salium & Spirituum urinoſorum, ac alcaliſatorum ſalium: cum per activitatem illam, qua inter aſſumendum nares, fauces atque gulam afficiunt, non ventriculum, multo minus cœtera interanea, moleſtent; utrisque etiam ſuccurrere illamque delinire liceat, vehiculo largiore illa diluendo, aut viſcoſiore, v.g. Lacte aut Emulſione quadam, temperando.

Nihil metuendum a doſi alterantium majore.

Nec palato per minorem doſin abblandiendum.

Nec palato ægri plus, quam indicati conditio permittit, aſſentiri fas eſt, cum jucunde curare τῷ cito ac tuto curare poſtponere ſana ratio dictitet. Quemadmodum penes opulentiores ſumptibus parcere ſupervacaneum videtur, minorum vero fortunarum hominibus pretio viliora ſufficiunt: quamvis pretioſioribus ditiores quoque ſuperſedere forſan poſſe, non dubito, modo medicaminibus cum illis fruantur efficacibus ſatis & virtute æſtimatis, ut inferius dicetur.

Nec ſumptibus parcendum.

Demum,

Demum, quamvis morbus forſan ex illorum genere ſit, cui ſola diæta mederi liceat, aliquid tamen medicamentorum ſimul præſcribere, non incongruum erit, eorum nempe, quæ nullas moleſtias moveant, & diætam juvent: vel ne morbum minoris æſtimet languens, a medico minoris æſtimatum, hinc regimen quoque ab hoc commendatum flocci pendat; vel ne hunc negligentem aut inertem, quaſi remedia ignorarit, naturam vero morbum curaſſe, affirmet. Quod penes illos magis obſervandum, quibus cum medicamentis ſemper res eſſe ſolet, quique valetudinis adeo ſolliciti ſunt, ut, niſi pharmacis frequentius utantur, de ſalute ſua actum eſſe putent. Quamvis nec illi Medicorum bene agant, qui, quo nunquam otioſi ſemperque aliquid agere videantur, nunquam non medicamenta porrigunt, lucro ſuo aut pharmacopolæ potius intenti, & quod norint, reconvaleſcentes in illos liberaliores eſſe, per quorum medicamenta ſe reſtitutos credunt: haud penſitantes, non minus elucere prudentiam Medici ac Ducis bellici, eo temporis, cum vident, hoſtis vires ex ſe diſſolutum iri, ut ſe in caſtris contineant & naturæ motus ſpectent, quam dubia pugna hunc & morbum aggrediantur. Maneatq; regula illi, qui ſalutem ægrotantis cupit, ut, ſi ſine medicamentis eum æque commode ac cum iis, reſtitui poſſe, deprehendat, ab his potius abſtineat, præſertim illis, quæ evidentius movent atq; alterant: tum, ut ſumptibus parcat; tum, ne naturæ conatus interpellet eamque debilitet; tum, quia multa commota nocent, quæ, quieta ſi manſiſſent, minime nocerent, juxta illud:

Quos natura domat, fruſtra medicina fatigat.

Multo minus unquam duo medicamina ſimul præſcribat & horum electionem ægro concedat Medicus: confunditur ſiquidem hinc ille, ac neutri propoſitorum fidit, hunc vero inconſtantiæ ac hæſitantiæ accuſat: unum igitur potius ad unum finem duntaxat proponat, quaſi ab hoc ſolo ſub benedictione divina ſalus expectanda.

Juxta diætam etiam medicamentis utendum.

Non nimius tamen in iis propinandis ſit Medicus.

Inter alia artificia, quæ infirmis ſalutem, medico confidentiam, parant, non ultimum eſt, illis opportune inducere ſomnum, cujus beneficia complexus eſt vetus Scriptor Græcus, *Syneſius de inſomniis*, ubi *Somnum Medicum* ait. Id eſt, licet graviſſime illi decumbant & variis ſymptomatis angantur, ſi modo ſomno quietiore frui detur,

Somnum ægro inducere convenit.

 præſen-

præſentiſſimum & exoptatiſſimum levamen exin percipere ſolent. *Medicus*, inquit *Rolfincius de febr. cap.* 133, *ſomnus eſt morborum animi & corporis, ſive ſit ſpontaneus, ſive arte factus: ſomnus enim arte citus medico magnam fert exiſtimationem. Perſpectum id habuit*, pergit, *Georg. Palma, Medicus olim Norimbergenſis, quem dixiſſe ferunt, ſe hanc gratiam ambire apud ægros ſuos, ut noctem illam, quæ exciperet ſuam vocationem, haberent quam quietiſſimam &c. Stratagemate hoc & nos delectati ſæpe de ægris bene meremur, propinato magiſterio anodyno.* Idem commendat *Crollius Baſilic. chym. p.* 198 his verbis: *Multi ſunt morbi, qui absque anodynis ſanari non poſſunt. Ergo in omnium morborum curationibus, ubi dolorum comites vigiliæ viriumque reſolutiones adfuerint, anodyna intrinſeca appropriata poſſunt adminiſtrari, ut ablatis ſymptomatum ipſis radicibus pernicioſorum cruciatibus, amica quies naturæ reddatur. Somnus enim eſt arcanum in medicina, ſupra omnes gemmas & lapides pretioſos, & qui arcanum ſomniferum poteſt naturæ egenti commode applicare, magnifaciendus eſt apud ægrotum medicus.* Cui etiam aſſentiuntur *Sylvius* & modernorum Practicorum tantum non omnes, dolorum delirii ac vigiliarum mitigandorum gratia ſomnum per anodyna atque opiata conciliare ſummopere injungentes: injungunt tamen omnes horum æſtimatores ſimul prudentiam, ad temporis exhibendi, doſeos ſimiliumque circumſtantiarum, diſcretionem neceſſariam, ſine qua narcotica ejuſmodi gladius nuncupari poterunt in manu furioſi.

CAPUT XII.

De *Indicatione Vitali Curatoria & Præſervatoria.*

Quibus de indicatis horumque inſtrumentis in genere præmiſſis ſecundum quatuor indicationes primarias therapeiam adornare & enarrata his applicare convenit: inchoando

Indicationi vitali

forſan quam congrue ab Indicatione Conſervatoria, utpote ſine dubio omnium principaliſſima atque univerſaliſſima. Quatenus non tantum

tantum in ſanitate tuenda, ſed in ſtatu quoque præternaturali, & ubi illa per morbi expulſionem recuperanda, ſeu quo reliquiæ valetudinis ſecundæ, quæ virium nomine morbis renituntur, conſerventur, neceſſarium eſt ejus moderamen: ac in illis quoque pathematis, quæ vel, quod lateant, vel in ſe, incurabilia ſunt, ſolis viribus proſpicere juvat; donec forſan natura morbum ſuperet, aut ne adeo ſubito vincatur hæc. Per conſequens τὸ conſervare haud in adeo ſtricto ſenſu, ſed quatenus perditi quoque reſtitutionem involvit, ut ſuperius dictum, hic venit, neque, ut vulgo traditur, vires tantum vitales audiunt, quas ſolo victu integras tueri ſtudent: ſed omnium actionum illud robur, quod a partium habitudinis naturalis, quam morbus nondum fregit, remanentia aliquali dependet, ita appellare fas erit. ante omnia ſatisfaciendum.

Hæc virium integritas ſeu robur corporis ſicut dependet vel a motu humorum vitali duplici, vel a ſpirituum animalium activitate & influxu congruo, vel a ſolidarum partium textura ac tono adæquato: ita Indicatio Vitalis trium horum conſervationi ac reſtaurationi incumbit. Vires & harum Indicatio quid? Inſtrumenta E. hoc præſtantia non diæta, multo minus victus, tantum, ut communiter ſentiunt, obſervantur: quatenus ipſa alimenta medicamentoſa, huic negotio miniſtrantia, non ut alimenta, ſed ut medicamenta ſimul, conſervationem hanc præſtant; medicamenta quoque roborantia dicta, v. g. aromatica, ſpirituoſa, prægnantibus, ſenibus & morbo oppreſſis, virium perpetuandarum ac reſtituendarum gratia, commendantur; neque facultas ventriculi digeſtrix integra conſervari valet, niſi per medicamenta congrua, id eſt, quæ tonum ejus priſtinum reſtituant, ſeu laxatum firment; virium etiam vitalium diſpendium aliquando modo a bilis defectu aut inertia, modo lymphæ viſciditate præternaturali &c. eſt: qualia vitia non, niſi medicamentis aut alimentis medicamentoſis, corrigere valemus; ne addam, partium externarum particulari virium imbecillitati topicis ſubveniri mere medicamentoſis. Inſtrumenta viribus proſpicientia.

Singularum partium ſolidarum virium conſervationem praxis ſpecialis docet, de humorum vero vitiis emendandis poſthac dicetur. Ratione victus tantum, cujus adminiſtrationem diætam ajunt, hanc in craſſam, mediocrem & tenuem, dividunt, ejusque claſſes deter- In viribus debilioribus victus

 minatis

craſſior non ſemper conducit.

minatis alimentorum generibus circumſcribunt, equidem penes omnes in confeſſo eſt, viribus debilioribus pleniorem victum competere, i. e. alimentorum evchymorum ſufficientiam, robuſtioribus tenuiorem & parciorem: cavendum tamen erit maxime, ne uberior ſeu craſſior digeſtiones lædat, dum a debiliore ventriculo is non adeo prompte digeritur, nec a maſſa ſanguinea ſubigitur, hinc v. g. ventriculi gravitatem, ſudores copioſos, tumores crurum œdematoſos, parit, ut experientia in reconvaleſcentibus puerperis, & inediam diutius perpeſſis, docet, a victu mox pleniore male ſe habentibus; contra vero prudentius agunt, qui a tenuiore victu non immediate & per ſaltum, ſed per gradus demum, ad pleniorem tranſeunt. Præterea victum pleniorem frequentius ipſe morbus prohibet, in ſpecie febris, vel per ſe, vel ratione cruditatum primarum viarum combinatarum: & quidem maxime in ejus ſtatu, in quo, juxta *1. aph. 8*, tenuiſſimo victu utendum, & in paroxyſmis, in quibus, ſecundum *1. aph. 11*, cibum, tanquam noxium, ſubtrahere oportet. Contra victum pleniorem coindicat atque permittit ætas, eaque vel puerilis ac adoleſcentia, dum juxta *1. aph. 13. & 14.* qui creſcunt, multo alimento opus habent; ſc. quod in his partes alendæ ſimul atque augendæ plus alimenti admittunt ſeu poſtulant, hoc in iis non adeo inſpiſſetur, hinc facile denuo atteratur ac deliqueſcat, ac denique propter accretionem potiorem plus chyli a ſanguine ſecedat, ſine quo nihilominus fatiſcit motus hujus vitalis inteſtinus: vel ſenilis, ob vires per ætatem etiam debileſcentes, ut facilius hinc ſub morbo delinquant. Plenior autem victus dicitur, qui uberior, generoſior ac boni & multi ſucci, evpeptus tamen ſimul: ſicut contra tenuior parcior & qui parum ſucci alibilis continet, etſi facilioris digeſtionis. Quantitatem ejus ſenſus determinat, quemadmodum digeſtibilitatem faciliorem ac difficiliorem ſucculentiam plus minus generoſam ac alibilem diætetica diſcernere docet.

Ætas puerilis & ſenilis pleniorem victum coindicat.

Quid victus plenior?

Quoad Indicationem autem Curatoriam atque Præſervatoriam monendum, quod, ſicut morbi cuncti & horum cauſæ conjunctæ, ſi ſeorſim eos contemplemur, vix ita diſcrepant, quin unus morbus alterius cauſa exiſtere, & quod alterius affectus cauſa, in ſe conſideratum, morbus vocari queat, v. g. dum plethora & ſtagnatio, morbi ſanguinis

ſanguinis, cauſæ hujus excandeſcentiæ, hæmorrhagiæ ac inflammationis exiſtunt, calculus, morbus ſeu coagulum morboſum, in meatibus urinariis obſtructionem parit: ita utrumque hoc rerum præternaturalium genus ſub una partium corporis habitudine ſeu conſtitutione præternaturali concipere eorumque ſublationem ſub uno ſchemate tractare licebit. Id eſt, vix opus, plethoram modo ut morbum ſanguinis, modo ut cauſam æſtus febrilis, hæmorrhagiæ & inflammationis, ac calculum, modo ut rem toto genere præter naturam, modo ut anguſtiæ ureterum ac urethræ præternaturalis autorem, concipere, & ſic indicans quaſi duplex formare. Ac forſan magis e re fuiſſet, in prima & generaliſſima illa indicationum differentia, petita a rerum naturalium & præternaturalium diſparitate, quam *Hippocrates de flatib. 3.* ſubminiſtrat, conſervatoriæ & ſublatoriæ, acquieſcere, ſeu ut, quod ſecundum naturam, conſervetur, quod præter naturam extermninetur.

Cauſæ & morbi eadem vis eſt indicandi.

Imo hoc ſuppoſito, & quia nec cauſa conjuncta ſeu continens & antecedens ſeu procatarctica, in ſe conſideratæ, differunt, id eſt relative tantum diſcernuntur, v. g. dum cacochymia ſcorbutica eadem ſpecie ac natura eſt, antequam dentes atque gingivas erodit, nervos debilitat, tumores crurum format, ac poſtquam recenſita mala actu præſtat; virulentia venerea, quæ ulcera palati & faucium, grumata in artubus, cariem oſſium &c. producit, gradu equidem, non ſpecie tamen, diſcrepat ab illa, cujus activitas adhuc latet & morbos hos antecedit: horum diſparitas relativa nullam indicati diſparitatem facit, ſed unum idemque indicans dum conſtituunt ambæ, idem quoque ac unum auxilium poſtulant; i. e. curatoria atque præſervatoria indicatio una eademque erit.

Et ſic etiam cauſæ procatarctica ac conjuncta idem indicant.

Vocare mihi integrum ſit hoc indicans commune corporis vitia, quæ ſecundum ſubjecti diverſitatem triplicis generis erunt, humorum nempe, ſpirituum ac partium ſolidarum, his addendo quartum, de rebus toto genere præter naturam tollendis: quorum ſingulorum indicata ſeu auxilia & horum materia contemplanda.

CAPUT XIII.

De

Quantitatis humorum vitioſæ indicatis, horumque inſtrumentis.

HUmorum laudabilium quantitas naturalis cum modo imminuatur, modo cum pravis augeatur, illa defectus reſtitutionem ſeu ſupplementum, hæc acceſſorii ſubtractionem ſeu evacuationem indicat. Prius fit alimentorum evchymorum ſeu victus plenioris ſubminiſtratione, & organorum, illorum digeſtioni vacantium, roboratione horumque vitiorum emendatione. Alimenta hujus generis qualia ſint, pars medicinæ diætetica monſtrat, & ſpectat huc ſuo modo cura, ſeu diæta lactis dicta: quemadmodum, qua ratione viſcerum morbi & atonia curanda, ex praxi ſpeciali petendum.

Defectus humorum laudabilium quomodo reſtituatur.

Contra humorum naturalium ſeu laudabilium exuperantia imminuitur ac pravorum collectioni derogatur per evacuationes tam univerſales, quam particulares. Pravorum equidem humorum congeſtio, cacochymia dicta, ut talis, evacuationem innuere minime videtur, dum hoc tantum, quod illam format, removeri poſtulat, viſciditas nempe, acrimonia &c. per incidentia, temperantia, abſorbentia, non catharctica. Illi tamen humores vitioſi etiam evacuari debent, qui aut in primis viis congeruntur, & de quibus metus eſt, ne ad canalem ſanguinis delati hujus maſſam inquinent & corrumpant; aut qui in hac evidentius præpollent, & quibus corrigendis alterantia haud ſufficiunt: quamvis in ſpecie viſcidis reſolvendis quædam evacuantium, v. g. ſudorifera, diuretica & ſalivantia, appropriata ſimul obſerventur; neque evacuationes has unquam ſine ſeri naturalis eductione ac perditione fieri, vel exin, quod ſemper plus minus debilitent, & in totam humorum maſſam agant, probabile fiat.

Cacochymia ut talis non tam evacuantia, quam alterantia, poſtulat. Niſi in primis viis exiſtens, aut nimia.

Inſtrumenta hæc evacuatoria duplicis generis ſunt, univerſalia ac particularia. Evacuationes univerſales, quæ totum commovent, communiter diſtinguunt in inſenſibiles, ac in evidentiores: quemadmodum

Evacuationes quotuplices?

admodum particulares quoque, quales quamvis mediate & per conſequens totum corpus onere ſuo levent; pari forte ratione, ac febris nonnunquam per abſceſſum, & catarrhus per aſperam arteriam ac nares ſolvitur, immediate tamen humores ad hanc vel illam partem vergentes tantum i. e. ex toto non immediate, trahendo aut urgendo, educunt. Evacuationes univerſales inſenſibiles creduntur diaphoreſis & frictiones, particularis vero diſcuſſio. **Univerſales ſunt, vel inſenſibiles.**

Diaphoreſis ſeu diſcuſſio univerſalis evacuationibus medicis hujus generis accenſetur, perinde ac alias evacuationibus naturalibus annumeratur, eadem, gradu & evidentia a ſudore diſtincta. Hac ſiquidem educi creditur materia in habitu corporis peccans per medicamenta diaphoretica communiter appellata, i. e. attenuantia, reſolventia ſeu ſudorifera blandiora, aut in minore doſi propinata: & locum habet in morbis, quos a tranſpiratione inſenſibili cohibita vulgo ajunt, v. g. catarrhis atque febribus, a poris conſtipatis oriundis. Quamvis vel ex natura horum ſimiliumve pathematum dubitare integrum ſit, an diaphoreſis hæc remediũ vere evacuatorium exiſtat, i. e. humores non tam extra, quam intra, vaſa capillaria ſtagnantes ſolvat, iisque motum priſtinum tantum reſtituat, adeoque nihil ad extra propellat; aut certe non tantum evacuando, ſed motum ſanguinis circa vaſa capillaria torpidiorem ſimul reſuſcitando proſit, ſimili ratione, ac de diſcuſſione particulari inferius dicetur. Quam diaphoreticorum ætiologiam vel febris lactea puerperarum probabilem reddit, ubi vitium non in habitu, ſed ſanguinis cruditate, conſiſtit, per diaphoreſin ſolubile. Pariter frictiones calorem cuti imprimendo humores conſumere ac diſcutere dicuntur: aliis, cutem rarefaciendo diſponere, ut ad eam ſanguis copioſius feratur, ſicque heterogeneitates ſibi intertextas per poros dimittat. Sed probabilius videtur ſucceſſiva cutis preſſione frictiones ſanguinis motum retrogradum accelerare, ſicque habitum humore præternaturali turgeſcentem quaſi deplere, uno verbo huic circulationem liberiorem reſtituere. **Diaphoreſis.** **Vix evacuat.** **Sed motum tantum humoribus torpidioribus reſtituit.** **Frictiones motum humorum retrogradum juvant.**

Evacuationes evidentiores itidem humores vel immediate ex vaſis ſub cruoris forma educunt, vel intervenientibus demum colatoriis diverſis hoc agunt. Prius fit per eorum aperturas modo naturales, ſub menſium & hæmorrhoidum excitatis fluoribus; modo **Vel ſenſibiles.**

artefa-

artefactas, ſc. arteriotomiam, venæſectionem, ſcarificationem atque hirudines: poſterius itidem per vias naturales aut arte paratas: Illud per catharſin, ſudorem, diureſin & ſalivationem; hoc per veſicatoria & fonticulos. Simili modo res ſe habet cum particularibus, quarum una videtur inſenſibilis magis, nempe diſcuſſio particularis, cœteræ ſenſibiliores & his vel illis membris propriæ, faucibus, naribus, thoraci, ſeu ventriculo, inteſtinis, utero; quibus accedunt cavitates corporis & abſceſſus ſimilesve tumores præternaturales, per vias arte factas evacuandi.

Etiam evacuationes particulares ſunt inſenſibiles & evidentes magis.

Sanguinis miſſionis indicans primarium eſt plethora, ſecundarium ejus motus vitioſus ſeu conturbatus, tam inteſtinus auctus, quam localis. Communiter in quavis ſanguinis depletione ante omnia vires, vel ut permittens, vel ut prohibens, attendendas monent, prius robuſtiores, poſterius infirmiores: utrasque dignoſcendas ex morbo antecedaneo, aut non antecedaneo, aut præſentis principio ac progreſſu; ex actionum vitalium majore minoreve conturbatione, in ſpecie pulſus robore ac parvitate ſeu raritate; ex habitu ſeu textura corporis ſolidiore ac laxiore ſeu molliore, quo individualis quoque ſyncraſia refertur; ex vitæ genere diverſo; ex cœli conſtitutione, conſuetudine, ex ætatis ac ſexus diſparitate. Qualem nihilominus cautelam, ſive plethoræ ſive motus ſanguinis perverſi, aut cujuscunque urgentis gratia ejus miſſione opus fuerit, intempeſtivam atque ineptam judico: quod vires in plethora non facile deficiant, aut ſi debiliores deprehendantur, videantur potius oppreſſæ, quam diſſipatæ, adeoque ſanguinis miſſionem non tam prohibentes, quam coindicantes. Præterea nec evacuatio hæc, qualis quidem a nobis adornatur, adeo ſenſibiliter debilitat, cum libram integram vix unquam conſcendat, intra uncias ſex vel octo utplurimum maneat, ſanguis eductus; licet veteres liberiores fuerint in ſanguine profundendo: ita ut qui hanc ſuſtinuerit, ſive validus, ſive morbo decumbens, de fracto magis ab ea robore conqueratur vix unquam. Et ſuppono, illum tantum affectum arte ſuperabilem eſſe, cui vires prævalent, aut ad minimum, pares obſervantur, contra, qui his ſuperior exiſtit, i. e. ubi vires minores: per conſequens illum quoque tantum, tanquam curabilem, indicare, ſeu indicata cum ſuis inſtrumen-

Sanguinis miſſionem quæ indicent.

Vires raro eam prohibent.

ſtrumentis monſtrare; virtute autem vitali potiorem morbum ſeu ſymptoma, prout incurabilem, ſi nec ſanguinis miſſionem, innuere, quam virium infirmitas prohibet, quod deficiente indicante nec prohibenti locus ſit. Aut quodcunq; etiam ſanguinis miſſionis indicans præſto ſit, ſive abundantia, ſive motus perverſus, ſanguinis, hæ cauſæ morbificæ tamen, ſeu morbi, utut vires primo adhuc integras ſibi combinatas gerant, ſingulis momentis has tractu temporis magis magisque infringunt: quo majus proin harum diſpendium ab illis metuendum, aut præſto eſt, eo potentius indicant, i.e. prohibentis etiam illius diſpendii vim indicando ſuperant. Nec vel ideo virium imbecillitas ſanguinis evacuationem univerſaliter morari poterit, quod eadem plerumque, v.g. in caſibus indigitatis, non a ſanguinis penuria eveniat, adeoque per hujus eductionem moderatam & opportunam illæ non magis labefactentur, excitentur potius tantum, quantũ morbo per illam derogatur. Imo nonne per communem Practicorum conſenſum, optimo cum ſucceſſu, pro immoderatioribus hæmorrhagiis, a quibus virium reſolutionem aut metuimus, aut experimur, compeſcendis, venæſectione ſanguis educitur? viribus ſc. fatiſcentibus haud diſſuadentibus, ſed inſtantius urgentibus. E. vitalis facultas debilior vix unquam, aut rarius, ſanguinis miſſionem ab affectu præternaturali hujusve cauſa indicatam, interpellat. Quibus accedit, quod circumſtantiæ recenſitæ non æque univerſaliter de robore ac imbecillitate virium teſtentur: dum v. g. pueri a frequentiore narium hæmorrhagia non adeo facile defatigantur; ſexus intuitu fœmineus majoribus potius ſanguinis depletionibus videtur par, utpote tempore catameniis intercalari ſemper plethoricus dicendus; nec actionum, in ſpecie pulſus, conturbatio ſemper virium diſſipatarum productum, neque cœli conſtitutio ſimilesve circumſtantiæ indicantia urgentiora ſuperant, horumve indicata prohibent. **Virium ſigna non perpetua ſunt.**

Alterum ſanguinis miſſionem prohibentium motus naturæ, ſc. menſium & hæmorrhoidum fluxus, paroxyſmi febriles & effloreſcentiæ atque abſceſſus in habitu dicuntur; niſi forſan motus hi naturæ errantis vel nimii fuerint, aut a plethora inhibeantur. Verum ſi praxin conſulamus, ante omnia dubitatur, an ſub fluore actuali menſium aut hæmorrhoidum plethora, quæ evacuationem poſtulet, **Fluxus menſium venæſectionem vix prohibet.**

& quæ non ipſa hac excretione imminuatur ſeu tollatur, concipi queat? cum inter ſanguinem evacuantia inſtrumenta menſium fluor, arte concitatus, referatur. Si regeras, fluxum hunc non eſſe ſufficientem, reſpondeo, E. non prohibet, ſed permittit potius ac coindicat. Paroxyſmi febriles aut temporarium & brevioris moræ tantum ſunt indicans, & elapſi non habent rationem prohibentis: aut ſi a plethora ſanguinisve ſtagnatione metuendum fuerit in paroxyſmo ſymptoma vehemens, ille non prohibentis, ſed coindicantis, vim nanciſcitur. Metaſtaſes ad habitum, ſi bene ſuccedant, plethoræ vis corpori nocendi hincque indicandi ceſſat; ſi non ſuccedant, ubi expectantur, culpa plethoræ, hæc imminuenda: ante eruptionis autem tempus, ſi plethora adfuerit, aut ejus ſymptomata urgeant, metaſtaſis ſanguinis eductionem haud prohibet, utpote futura demum.

Nec paroxyſmi febriles ſemper.

Nec metaſtaſes criticæ ad habitum.

Tertium ſanguinis eductionem prohibens humorum malignitatem ajunt: quamvis aſſerto huic vulgari duo pariter obſtare videantur. Primo experientia communis, qua non omnem malignitatem evacuationem illam inhibere, gallica v. g. innuit, in qua venæſectio frequentius, ſi non ſemper cum ſenſibili emolumento, certe ſine evidente damno, adminiſtratur. Nec apparet, cur in cœteris morbis, etiam acutis magis, ſi plethora vel ſtagnatio urgeat, eorum malignitas ſanguinis eductionem moretur: quin potius, ne malignitatis ſymptomatis plethora aut ſtagnationis ſymptomata ſuperveniant ſeu combinentur, utriusque ſolutionem in principio mox urgeant hæc; annuentibus pariter plerisque Practicis, qui in febribus malignis & contagioſis ſanguinis miſſionem commendant.

Nec humorum malignitas ſemper.

Nollem tamen illum communem errorem cum pluribus errare, qui naturam ſpontaneas hæmorrhagias, in his vel illis morbis moventem, undique imitari, hinc per artem quoque evacuare cruorem, contendunt, quaſi illa digito hoc monſtrarit. Quippe primo non omnis ſanguinis profuſio ſpontanea ſui plenitudinem, excandeſcentiam & modum rapidiorem ſimileve, cui phlebotomia v. g. medelæ ſit, teſtatur: utpote qualis aliquando natura omnimode dejecta & proſtrata ſit, ut in febribus malignis aliisque caſibus experimur. Deinde ipſamet etiam vaſa ſanguifera male ſe habentia hæmorrhagiarum cauſæ exiſtunt, vel quatenus eorum quædam alicubi ex quacunque

Hæmorrhagiæ ſpontaneæ in febribus acutis non ſemper ſanguinis miſſionem innuunt.

cunque cauſa anguſtantur, vel p. n. dilatantur. Utriusque exemplum in obſtructione menſium aut hæmorrhoidum ſolenniorum, obſervamus: ſub quali ſtatu cruor per cœtera vaſa inordinate ac impetuoſius fertur, & tandem, qua data porta, prorumpit, ſub hæmorrhagiæ narium, vomitus cruenti aut hæmoptoſeos ſpecie. Imo vaſorum extrema in ſcorbuticis aliisque cachecticis, ob fibras carneas, quibus ſtipantur, aliquando aut reſolutas ſeu laxatas, aut ſpaſmodice contractas, ad ſanguinem extraordinarie tranſmittendum diſponuntur, arteriarum oſculis p. n. hiantibus, venarum conſtrictis. Recte *Fernelius 2. method. 4* ſcribit: *Neque imperitorum more, ſi vel nares ſtillant ſanguine, vel urinæ rubicundæ ſeſe offerunt, protinus imperanda venæſectio: etenim facile ſanguis prorumpit non ex plenitudine ſolum, quodque eam vacuationem moliatur natura; quibus enim exeſa ſunt vaſorum oſcula, quibus etiam viſcera, inprimis jecur imbecillum vel ſcirrhoſum evaſit, iis ſanguis ſæpe fluit e naribus, haud ſecus atque hydropicis.* Nec rationi, multo minus experientiæ, refragatur, per ſanguinis eductionem, quam ars molitur, naturam aliquando in opere ſuo evacuatorio turbari; hinc imitationem illam huic præjudicare ac intempeſtive fieri, quod diſcernere difficillimum.

Quoad ſanguinis miſſionis tempus & locum, inepte itidem ſuper hæc diſputari ſolet. Priori quia *cap. 9* me ſatisfeciſſe puto, ex iis tantum hoc loco infero, cum quovis tempore anni, menſis &c. plethoram & ſtagnationem ſanguinis morbificam evenire poſſe, experientia edoceamur, quolibet etiam tempore ſanguinem educendum eſſe. Et eo ipſo, dum ob ſanguinem verno tempore turgeſcentem *Hippocr. 2. aph. 53* evacuationem hanc etiam tunc temporis commendat, ſanguis vero in plethoricis, & ſi ſtagnet, etiam quovis alio tempore turgeſcit: vernum in ejuſmodi caſibus haud expectandum, cum contradictoria videantur ſanguinem in his non turgeſcere. In ſpecie hæc tempora ſolenniora non obſervare licebit in hæmorrhoidum & menſium fluxu concitando, utpote quales evacuationes pro lubitu adornare haud licet, aut convenit, ſed ſecundum naturæ demum directorium atque ordinem: ita quidem, ut in morbis, ubi ſponte, aſt intempeſtive, i. e. haud conſueta periodo, ejuſmodi contingit evacuatio, minus ſalutaris hæc deprehendatur; imo talis quo-

In ſanguinis miſſione vix temporis ratio habenda.

libet anni, menſis ac diei tempore, cœteris bene ſe habentibus, ſalutaris exiſtit.

Nec loci ſeu vaſorum.

Sicut in parte quoque, ex qua, determinanda anxie, fruſtra tamen, laborare obſervamus multos, & quidem eos, qui evacuandi tantum cauſa hoc remedio utuntur, cum abundantia ſanguinis malum toti canali ejus commune exiſtat, adeoque per cujuslibet ramuli vulnuſculum imminui queat; & ipſa natura diverſis locis ac vaſis utatur, per quæ ſe cruore exoneret: niſi forſan eadem hunc locum determinet, v. g. hæmorrhoides vel uterum, ubi etiam illud *Hippocratis* attendendum: *quo natura vergit, eo ducenda.*

Quantitatem ſanguinis educendi quæ determinent?

Quantitatem ſanguinis educendi indicantis vis ſeu quantitas innuit, ubi multum abundat, ſeu major turgeſcentia ac pertinacior ſtagnatio, v. g. in pleuritide ac peripnevmonia, ibi multum evacuandum; advertendo ſimul tolerantiam languentis, ex pulſu adhuc conſtante æſtimandam: ita quidem ut, ſi conferentia ſeu effectus deſideratus non protinus appareat, reiterare tamen idem remedium conveniat, modo hoc vires concedant. Tolerantiam equidem hanc veterum nonnulli neglexerunt, negligunt etiamnum Hiſpani & Galli, ad animi deliquium ſanguinem aliquando mittentes: quibus tamen illud Galeni occinimus, tutius eſſe infra exiſtere, quam exquiſite evacuare, præprimis cum reiterata ſanguinis miſſio, quod ejus evacuandum reſtat, ſubtrahere poſſit, monentibus *Sennerto Inſt. l. 5. part. 2. ſect. 1. cap. 17. Plempio fundam. med. p. 343. Walæo meth. med. p. 78. & Sylvio pr. l. 1. c. 20. §. 27.* Caveat nihilominus ſibi medicus, ne præ timiditate intempeſtiva parciore juſto manu ſanguinem emittat, v. g. in febribus ardentibus, inflammationibus internis, apoplexia ſimilibusque affectibus gravioribus, a ſanguinis copia, turgeſcentia & ſtagnatione oriundis: in qualibus caſibus diminuta venæſectio ſane plus noxæ, quam levaminis, præſtat; quatenus hæc plenitudinem cruoris non tollit, eamque ad impetuoſiorem orgaſmum ſtimulat; adeo ut, quemadmodum ſtatim poſt quamcunque phlebotomiam pleroſque magis incaleſcere, ita, ſi illa larga ſatis fuerit, eosdem brevi ad naturalem magis temperiem redire, obſervemus. Inprimis, advertente *Martiano 6. epid. 5*, ubi revulſione opus, major & ſubitanea cruoris evacuatio prodeſt, quod hæc ratione vacui fiat, i. e. per

Non ad animi deliquium ſanguis mittendus.

Sufficienter tamen.

Copioſius evacuan-

per illam vaſis aut totius, aut partium vicinarum, ſufficienter exinanitis, ad hæc ex loco ſtagnationis promptior fluxio contingit: contra qui tribus vel quatuor tantum unciis ſanguinis extractis ſtagnationem, ſeu juxta veteres affluxum, avertere putant, & eo efficacius id fieri credunt, ſi ejuſmodi evacuatio vicibus iteratis fiat, minus feliciter operantur; a tali nempe quod non eveniat vacuum evidens, cujus gratia nihilominus affluxus ad partem affectam, ut ajunt, inhibeatur, ſeu ſtagnatio in hac ſolvatur. Et quamvis ſub effluxu ſanguinis, ſi lipothymia urgeat, ſuadente *Botallo curat. per ſangv. miſſ. c.38.* & *Sylvio l.a.* vulnus ad tempuſculum digito comprimere conveniat, extra hunc caſum tamen effluxum ſanguinis interpellare non adeo congruum videtur: quod per moram hanc repreſſus ſanguis, ſi liberior denuo fluor ipſi concedatur, aliam & ſplendidiorem faciem oſtendat priſtino, nobiſque imponat, quaſi impurior jamdum omnis emanarit; cum nihilominus vitioſus remaneat, & qui ſeceſſum de ſtagnationis loco moliebatur cruor, denuo ac de novo cum alia ſui portione eidem incumbetur. Ætiologiam hujus damni *Williſius Pharm. Rat. ſect. 1. c. 8.* & *ſect. 3. c. 1* ſuggerere conatur, qualem tamen, quia non capio, hujus loci facere nolo, experientiam ſecuriorem, præ theoria fallaci, amplectens.

dum ubi revellendum.

Nec evacuatio, niſi deliquium animi urgeat, interpellanda.

Nec hoc loco prætermittendum, quod a nonnullis, Gallis inprimis modernis, inculcatur, vulnus venæ latius anguſtiori eſſe præferendum, & *Botallus l. a. c. 39*, ſi in alterutra parte, i. e. vulnuſculo vel anguſtiore, vel largiore, peccandum fuerit, præſtare ſcribit, inclinare potius in majus. Non quod ex tali ſanguis craſſior cum tenuiore promptius erumpat, ut pleriſque perſuaſum; cum craſſiori etiam anguſtior apertura ſufficiat, perinde ac per vaſorum capillarium extremitates tranſitus liber ipſi conceditur: ſed quod per largius foramen ſubito & ſub integra ſua compage magis prodeat, hinc certius ſubſideat ejus effervescentia, remittat calor & ſolvatur ſtagnatio, liberiore ipſi conceſſo effluxu & omni remora ſublata, confirmante hoc pariter experientia.

Confert latius venæ vulnuſculum præ anguſtiore.

De regimine poſt peractam ſanguinis eductionem, inprimis chirurgia celebrata, nihil monendum habeo, niſi ut rerum non naturalium uſus moderatus exiſtat: adeoque nec victus mediocris,

Victus mox poſt ſanguinis

miſſionem conceden-dus.

Quemad-modum ſomnus quoque.

etiam paulo poſt eam, denegandus, qui viribus refocillandis par, nec ventriculum gravet: quamvis *Galenus* poſt bihorium demum paſtum conceſſerit, ſine dubio, quod ſanguinem copioſius & ad animi deliquium emiſerit, hinc viribus exhauſtum ventriculum alimentis gravare noluerit. Multo minus poſt cruoris eductionem ſomno languentibus interdicendum, ut cum plebe multi medicorum contendunt, cum omni ratione hoc præceptum deſtituatur: & in febribus cum ſopore profundiore aliisque affectibus ſoporoſis ſanguinem mittere minime veremur, utile ac neceſſarium. Dum vero metuunt, ne, ſi ſomnus permittatur, cruor ſub hoc confeſtim nimis ad cor abripiatur, hocque periculoſe opprimat, nullius momenti eſt: cum tale quid, niſi immodica ſanguinis quantitas educatur, & ideo vel per idiocraſian aut timiditatem ſingularem, animo delinquat æger, haud fiat: aut ſi ejuſmodi deliquium obſervemus timeamusve, (cum etiam robuſtioribus ac cordatioribus tale quid aliquantulum poſt peractam depletionem ſupervenire noverimus) arceatur ille ad quadrantis horulæ ſaltem moram a ſomno, poſtmodum vero haud interpelletur. Sane quid ægro & medico gratius contingere poteſt, quam ſi ſomnus ſuavis obrepat, hactenus a doloribus, deliriis, æſtu febrili &c. valde interruptus, adeoque maxime deſideratus, & qui peculiaria ſibi exigebat remedia: qualis reſtitutus, naturam hactenus oppreſſam ſpiritusque in ataxias redactas ad priſtinum vigorem & motus æquabiles ſe denuo recipere, monſtrat, materiæ etiam morbificæ penitus digerendæ opitulatur, ac morbum domat. Vinculi reſolutionem, hincque novum ſanguinis ad lipothymiam usque effluxum, quem inter dormiendum accidere aliquando poſſe, haud inficior, commode prohibebit adſtantium ſolertior cura: adeoque nec hujus intuitu ſomnus amicus vitandus erit. Atque hæc præcepta ac præcautiones omnibus ſanguinis evacuationum generibus communes ſunt, phlebotomiæ vero, utpote frequentiori, maxime applicandæ: quæ ſpecialiora de cœteris monenda forent, ex praxi ſpeciali, quæ de arteriotomia, ex chirurgicis, petantur.

CAPUT

Caput XIV.
De Purgatione.

SErum naturale & quosvis humores p. n. ipſi intertextos ex toto evacuant catharctica, tam κάτω quam ἄνω agentia. Vomitoria equidem blandiora ventriculi tantum contenta exagitare videntur, aſt potentiora, ſeu κατ' ἐξοχὴν ſic dicta, etiam in ſecundam corporis regionem ſive canalem ſanguinis vim ſuam exerere, adeoque evacuantium univerſalium nomen mereri, probabile fit, quod eorum cuncta vim ſimul per inferiora evacuandi habeant; de purgantibus vero per alvum, nemo dubitet, quin horum vis per vaſa lactea & venas meſaraicas toti communicetur; quod pari facilitate per venas gaſtricas fieri, probabile ac neceſſe eſt. Accedit, quod infantes lactentes, ſi lactans vomitorium aſſumpſerit, pariter ad vomitum ſtimulentur: ac vomitus, qui gravidis, febricitantibus &c. eveniunt, ex totius maſſæ ſanguineæ peculiari anomalia ſeu dyſcraſia contingant. Et poſito, non ſemper ex canali ſanguinis immediate aliquid per vomitoria educi, ſufficiet nihilominus, ſi pancreas, folliculum biliarium & glandulas ventriculi ſuccutiant, utpote qua ratione humores vitioſi ex his emulgentur, a quibus alias chyli, ſeri atque ſanguinis textura notabiliter vitiatur, ſi ad fluida hæc ſub labe quadam redeant. Purgantia vero proprie ſic dicta ſeu per ſeceſſus moventia, totum evacuare, nullus unquam ambigit, dum obſervant, urinæ colorem atque odorem a quibusdam mutari, v. g. a caſſia, rhabarbaro, lac nutricis, quæ purgans aſſumpſit, infantem evacuare, catharcticorum quædam aquas hydropicorum educere, imo eadem in febris declinatione propinata materiam febrilem, per præparantia demum maturatam, & ad ſecretionem aptam, felicius, quam non præparatam, elicere: quatenus ſine dubio non tantum in fibras nerveas glandulas & extrema arteriolarum, hæc peculiari ratione vellicando, ac irritando, agunt, ſed eorundem quoque particulæ cum chylo ſeu lympha inteſtinali a vaſis lacteis pariter ac venis meſaraicis reſorberi & intervenientibus canalibus his in ſanguinem devehi, huncque certo modo commovere, probabile eſt. Qua ratione ſecernunt & elimi-

Emetica etiam e toto evacuant.

Purgantia quomodo totum evacuent?

eliminant ſerum tam naturale, quam præternaturale, ſeu quicquid heterogeneitatis morboſæ huic intertextum: adeo ut, dum purgationis indicans cacochymia ſeu humorum pravitas communiter dicitur, non intuitu qualitatum vitioſarum hoc concipiendum, ſed ipſius ſubſtantiæ incongruæ ac maſſæ humorum pravitatem inducentis, quæ per alterantia adeo prompte corrigi nequit. Extra quem conceptum cacochymiæ, quia qualitatum vitia tantum innuit, lentorem nempe, acrimoniam &c. nullam per ſe evacuationem, ſed qualitatum tantum illarum ſublationem ſeu correctionem per alterantia appropriata, poſtulat. Quibus minus ponderatis plura ægris a catharcticorum uſu contingunt damna, quam levamina.

Quomodo cacochymia purgationem indicet?

Revellunt etiam purgantia.

Pariter humores motu ac loco peccantes evacuationem hanc aliquando indicant, v. g. ſi cum impetu ad habitum corporis ruant, aut ad cavitatem quandam deponantur, v. g. in ſcabie & aſcite nondum confirmato, item in catarrhoſa aut quavis ſeri ſtagnatione ſeu, ut ajunt, decubitu, v. g. ad articulos: in quibus cum exoptatiſſimo ſucceſſu catharctica non raro propinantur. Spectant huc inflammationes nonnullarum partium, v. g. pleuritis, angina, quibus multum levaminis præſtat purgantium uſus, modo per faucium anguſtiam illa aſſumere concedatur, febriſque non adeo acuta illas comitetur. Equidem nonnulli, quibus *Hippocrates* de *Veratri uſu t. 1* aurem vellicabat, in inflammationum principio ſolutiva nihil juvare, valde vero nocere, credunt: obſervantes nihilominus, eundem remedio hoc, ne facta quidem mentione ſanguinis eductionis, in pleuritidis, phrenitidis ac peripnevmoniæ medela uſum fuiſſe, v. g. *3. de morb. t. 17. de victu acut. t. 12*, ut alia loca taceam, in quibus inflammationibus diverſarum partium ſola purgatione mederi docet, in negotio hoc decernendo ac in curando ancipites evaſerunt. Donec cum *Valleſio* in Hippocratem Commendator eruditiſſimus, *Martianus*, illam deciderit diſtinctione inter inflammationes a plenitudine ſanguinis ſolitaria, & cum cacochymia intermixta ſeu hac prævalente: in illa venæſectionem, in hac purgationem, commendans. Qua ratione hanc ſuam ſententiam declaret & evacuationis hujus duplicis ſelectum determinet, recenſere nolo, poſtquam ejus diſſerendi rationem modernis hypotheſibus haud undique accommodari poſſe deprehendo:

Etiam in inflammationibus.

prehendo: hinc brevibus potius ſentio, in Inflammatione quavis catharſin prodeſſe, ut remedium revulſorium, quippe & hæc agit in ſanguinem, eundem a parte inflammata avertendo, perinde ac eum revellit a capite atque pulmonibus, in ſoporoſis aut ſtrangulatoriis affectibus, citra inflammationem, quibus ſingularem opem illam ferre, quotidiana praxi edocemur. Nec impedit, quod ſub averſione hac cruor non ex vaſis, ut a ſanguinis miſſione, educatur, ſed ſufficit, ſerum educi, quod, majorem cruoris partem conſtituens, commoveri a purgante nequit, quin commoveatur ſimul ejus portio rubicunda, exilior, exinaniantur quoque vaſa ſanguifera ſenſibiliter, pro capiendo illo cruore, qui parti inflammatæ hactenus impactus, & cujus hinc avertendi cauſa ſanguinis miſſionem revulſoriam adornamus: ac error, quaſi non in ſanguinem ac ſerum ſimul, huicque intertextas heterogeneitates, agant purgantia, æque craſſus eſt, ac ſi quis ſibi perſuadeat, venæſectione non ſerum, ſed ſanguinem tantum, depleri; hinc oriundus, quod ſeri naturam & habitudinem ad ſanguinem rubicundum ſeu κατ' ἐξοχὴν ſic dictum, veteres minime cognoverint. Quia nihilominus nunquam ſine peculiari humorum exagitatione purgatio, præ ſanguinis miſſione, revellit, ſuaſor eſſem, in omni phlegmone hanc illi præmittere, inprimis ſi febris combinata intenſior fuerit; imo illa facta hanc repetere: quin tamen, ſi craſſior mox & nebuloſa compareat urina, etiam a catharſi medelam inchoare liceat, minus dubito; non, ut communis fert opinio, quod alia tunc inflammationis conditio & parti inflammatæ minus profunde materia peccans infixa ſit, ſed quia coctionis inchoatæ ſignum hujuſmodi urinæ phœnomenon videatur.

Revellendo ſi non ſanguinem ſerum tamen.

Obſervamus nihilominus magnum hujus evacuationis abuſum & infinitos circa adminiſtrationem ejus committi errores, dum communiter nullius ægritudinis, nec leviſſimæ, curam, citra catharctica reiterata adornari ac fieri poſſe, autumant, ad ſtomachi tamen usq; appetitus dejectionem, cruditatum incrementa, morborum procraſtinationem & virium diſſipationem, illa propinantes: nulla ſc. habita ratione indicantium, prohibentium &c. nullorumq; præparantium, interdum adeo neceſſariorum, ac præmitentorũ. Graviſſime in Medicos ejuſmodi invehuntur *Helmontius*, *Poterius* & alii modernorum,

Purgantium abuſus.

& damna. rum ſtercorarios & empiricis longe pejores eos ajentes: neq; hoc ſine ratione, dum humores vitioſos in corpore, culpa coctionum p. n. ſe habentium, gigni, purgantibus etiam cunctis, proprie ſic dictis, aliquid ſubeſſe, quod naturis corporum noſtrorum adverſum & quaſi pernitioſum, obſervamus. Quorum poſterius vel ipſemet *Galenus 4. rat. vict. acut. t. 44* confirmat: *coctioni horum contrariæ ſunt purgationes, ſiquidem moventes valde corpus frangunt: talis enim virtutis omnia ſunt purgantia:* imo virulentiam hanc, qua tanquam putrefactiva & colliquativa in laudabiles æque ac vitioſos agunt humores, catharcticorum confirmant diverſa. Dum ægris pariter ac ſanis eorum uſus utplurimum valde moleſtus exiſtit & gravioribus ſymptomatis ſtipatur; tot ſordes & tantam recrementorum quantitatem illa evacuant plerumque, qualia ſine evidente corporis conturbatione ac vitæ diſcrimine eidem ineſſe haud poterant, ſed per modum cujusdam corruptivæ fuſionis ſeu præcipitationis, & vi catharctici, producta videntur, perinde ac a venenis nonnullis fieri deprehendimus. De cætero moleſta & vehementiora ab hypercatharſi, cum venenorum productis eadem, concitantur ſymptomata, v. g. cardialgiæ, ſudores frigidi, animi deliquia, convulſiones &c. contra, ſi catharctica potentiora minus evacuent, craſin humorum eousque depravant ac corrumpunt, ut in habitu varia compareant phœnomena ſuſpecta, v. g. puſtulæ, decidentia capillorum, gangræna, de qualibus inferius dicetur. Quibus etiam accedit peculiaris plane fætor, quem recrementa ſpirant, vi purgantium exturbata. Per conſequens, qui ex levi protinus occaſione, & ubi qualitate tantum peccant humores, catharſin commendant, errorem gravem & cum periculo ſanitatis conjunctum committunt, quod purgantium potentiora vix in ventriculum & inteſtina, multo minus in maſſam ſanguineam, agere queant, quin organorum illorum digeſtiones plus minus conturbent ac fluidorum craſin evertant: adeoque draſtica ejuſmodi rariſſime in uſum trahenda.

Nec catharſis præſervatoria ſemper adeo tuta.

Multo minus illis connivendum, qui corporis ſive ſani, ſive vel ab ortu, vel ex accidente, debilioris, frequentioribus delectantur purgationibus, ſanitati non minus ac vitæ exitioſis: ut præter *Hippocratem 2. aph. 36. & 37* plura funeſta exempla comprobant eorum, qui

qui ex intempeſtiva & tantum non voluptuaria catharſi peſſime ſe habuerint, imo perierint. Ita *Borellus 2. obſ. 45* Presbyteri meminit, qui ſanus purgatione uſus tantam humorum conturbationem ſuſtinuit, ut paucis ab illa diebus obierit. Simile quid *Horſtius 9. obſ. 25* refert de quodam, cui adventante vere corpus purgare volenti, ſumpto medicamento furioſe purgante, illico in pedem dextrum (jamdum ex impreſſo frigore debilem) humorum factam fuiſſe ad repentinam usque gangrænam translationem. Recordor & ego diverſorum, qui, alias ſani, a catharſi, præſervatoriam quam ajebant, ventriculi conturbationes inſignes & febres experiebantur: inter quos refero Virum maxime Reverendum in vicinia, qui ſatis bene ſe habens, Nodulo purgante, cui per aliquot annos ſe adſuetum dicebat, uſus, hinc mox altero evacuationis die febre continua comatoſa, correptus paucos poſt dies interibat. *Purgationes*, inquit *Celſus 1. c. 3. uti interdum neceſſariæ ſunt, ſic ubi frequentes, periculum adferunt; adſueſcit enim non ali corpus & ob hoc infirmum erit, cum omnibus morbis maxime obnoxia ſit infirmitas.* Sc. purgantia ejuſmodi, minus opportune adminiſtrata, ſicut aliquando, ſi humores pravi abſint, bonos perturbant, ita illos incongrue interdum commovent: ut non mirum, ſi annotante *Valleſio Epid. lib. 2. ſect. 2.* hæc, tanquam cauſa, quæ morbum, cum adeſt, augere poſſunt, nondum præſentem in corpore diſpoſito facere, apta nata ſint. Confirmat idem *Galenus 3. aph. 15*, dum ſcribit: *Si veritus quiſpiam, ne multa in corpore excrementa cumulentur, purgationem bis, aut ſemel, in menſe adhibeat, is, præterquam quod corpus in malam conſuetudinem adducit, etiam ipſum labefactabit.* Brevibus idem innuit *Avicennas*, inquiens: *Medicina purgat & inveterat*, i.e. purgantia crebriora corpus extenuant, ſenium accelerant ac inprimis alvum ſicciorem reddunt. *Nihil novi*, inquit *Epiph. Ferdin. hiſt. 36, magis periculoſum in morbis omnibus, chronicis & melancholicis inprimis, quam iteratis ſolutivis corpus expurgare, nam deſtruunt virtutum mineras: & licet prima facie primo videantur prodeſſe, (nam fortaſſe ægri, ab excrementis deonerati, hilariter vivunt) tamen temporis tractu res eſt in contrarium, nam magis ac magis corpora exſiccant, excalefaciunt, torrent humores.* Cui demum ſubſcribit *Crato Epiſt. apud. Scholz. 13* his verbis: *A purgantium uſu, etſi corpus ſit impurum,*

interdum abſtinendum; corpora enim quædam, etſi ad integrum menſem purgentur, nunquam pura fiunt &c.

Prohibent catharſin vires debiliores,

nisi ſuppreſſæ.

Quoad permittentia ac prohibentia catharſin, reſpiciendum ante omnia erit ad vires, quarum debiliores eam ſine dubio prohibent, ni potius ab abundantia ſeri pravi, hincque immediate emanantium ſymptomatum gravitate, oppreſſæ potius, quam diſſipatæ, fuerint illæ: quod quidem non pulſus ſemper, prout *Galenus de pulſu ad tyron. cap. 11. & 12.* atque *Epiph. Ferdinand. hiſt. 9* tradiderunt, ſed aliæ potius morbi circumſtantiæ, determinant, virium robur diſcernentes. Hinc attendenda eſt humorum cruditas ac coctio, res magni momenti, in febribus potiſſimum, & ab *Hippocrate 1. aph. 22* commendata: *concocta pharmacis aggredi & movere oportet, non cruda; neque in principio, ſi non turgeant. Plurima vere non turgent.*

Bene tamen cruditas humorum.

Ubi medicus naturam imitari debet, quæ, quamdiu ſibi relinquitur, non, niſi materia morbifica digeſta, excretionem molitur: vel ſi a cauſa morbifica turgeſcente, aut a quadam rerum non naturalium ad intempeſtivam evacuationem ſtimuletur, ſane hoc frequentius, non ſine periculo, & cum cacophoria fit, unde etiam excretio talis ſymptomatica audit. Pariter catharctica in cruditatis ſtatu & principio morbi oblata, aut omnino non evacuant, aut febrem ejusque ſymptomata intendunt, ſeu cum difficultate agunt. Quatenus humores crudi, propter indigeſtionem ſeu renitentiam ſuam a mitioribus minus commoventur, a potentioribus vehementius agitantur, nulla fiente ſimul eorum ſecretione: per eadem purgantia ſerum aqueum ſeu vehiculum illud, ſine quo materia morbifica nec commode digeri, nec ſecerni, valet, ſubtrahitur; ſicut acres v. g. bilioſi, freno ſeu diluente hoc ſublato, meraciores ac ferociores evadunt, ita quidem, ut, obſervante *Hippocrate de purgant. t. 4*, ejuſmodi intempeſtive evacuatis color naturalis ac vividus evertatur, eique morbi regii ſpeciem induant. Ac denique humorum cruditas cum inflammatione hoc commune habet, ut quemadmodum ex hac cruorem non digeſtum ſeu minus ſuppuratum educere impoſſibile eſt, ita nec cruda evacuare e toto liceat. Uno verbo, plerumque ſecundum *Hippocr.* l. a. æger perit.

Humores autem crudi dicuntur pravi illi, qui ſanguini adeo intime

intime & arctius commixti ac quaſi confirmati ſunt, ut facile hinc ſe-cerni nequeant, & urinam aquoſam i. e. tenuem & pallidam, præ-ſtent: prout cocti, quoties illa commiſcela arctiore ſoluta humores pravi a ſanguine laudabili ſeceſſum moliuntur, & urinam denuo craſſiorem ac plus minus tinctam reddunt. His purgationem de-cernit, illis denegat, *Hippocrates*, exceptionem tamen huic regulæ ſubnectit, niſi materia turgeat; quod rarius quidem fieri, idem *1. aph. 22. & 4. aph. 10* ait: neque omnem forſan turgeſcentiam in cruditatis ſtatu catharſin concedere ſeu exigere, ex ſequentibus evidens fiet. Quæ cuncta abſtruſa & difficultatum plena ſunt, contradicentibus in-primis tot quotidianæ praxeos experimentis & morante commenta-torum in hos *Hippocratis* textus confuſanea prolixitate ſeu concepti-bus valde crudis.

Humores crudi qui? Et cocti. Juxta Hipp. hi non illi ſunt pur-gandi, niſi turgeant.

Quibus poſthabitis puto primum, experientiæ vix omnino re-pugnare, nec plane impoſſibile videri, quin minus cocta aliquando feliciter expurgentur, perinde ſc. ac ſymptomaticos alvi fluores, qui-bus crudiora maximam eliminantur partem, aliquando utiliter & non ſine euphoria fieri, palam eſt. Quales naturæ motus ancipites imi-tari, quamvis nemini ſuaſor eſſem, haud tamen diffido, in ægris ali-quando rem ita ſe habere, ut nondum cocta quoque catharſi ſe edu-ci patiantur ac permittant, nulla etſi turgeſcentia humorum, ex *Hip-pocratis* monito, concurrente: ſi nimirum obſervemus materiæ morbificæ nimiam copiam, hujus majorem metuendam corruptio-nem, hincque graviorum ſymptomatum imminentiam, illaque ſub certis circumſtantiis ſeu conditionibus adornetur. Nempe locum habet crudiorum eductio, ſi aut nulla, aut moderatior, adfuerit fe-bris; ſecus, ſi ardentior: ſi juxta *Valleſium* aliosque ab inflamma-tione hypochondria exiſtant libera, i. e. ventriculus ac inteſtina, cum viſceribus vicinis, quibus cum illis vaſa communia; dum con-tra inflammatarum harum partium affluxu per catharſin aucto, phleg-mone intenditur. Qualis inflammatio tamen aut rarius evenit, aut coctorum non minus ac non coctorum, humorum per alvum exturbationem periculoſam reddit. Impedimentis his accedit or-ganorum pnevmaticorum & capitis æſtus immoderatior, utpote ſub quali illa facilius inflammantur, hujus intuitu delirium exquiſitum

Aliquando tamen cru-di quoque.

Sub certis conditio-nibus.

ac convulſiones, illius ſtrangulationes, metuendæ: Nunquam igitur crudiorum eductio tentetur, niſi temperatiores minusque fervidæ partes illæ compareant. Maxime attendenda quoque eſt alvi ſeu inteſtinorum habitudo, quæ, ſi ſicciora, materiam morbificam alicrſum converti innuunt, metumque ſimul incutiunt, ne commota, minus tamen educta, potioris mali cauſa evadant: inprimis ſi incidere detur in ejuſmodi ſubjecta, quibus per naturalem conſtitutionem familiare eſt, ut difficulter & non ſine inſigni moleſtia expurgentur, etiamſi per opportune hoc tentetur; dum contra alii, licet intempeſtive evacuentur, facillime & ſine ullis ſymptomatis hoc ferunt. Potiore jure crudiorum evacuatio conceditur, ſi natura ſe talem moliri, murmuribus inteſtinorum, dejectione liquidiorum, & quidem bis vel ter de die repetita, innuat: quale tamen phænomenon ſpeciem orgaſmi eſſe, paulo poſt conſtabit. Sub conditionibus videlicet diſſuadentibus naturæ negotium committendum ac cruda minus movenda erunt; ſub contrariis, etſi coctio nondum facta, vel fiat, purgans exhibere non intempeſtivum videtur; cum illi potius condeſcendendum, quod urget, ſive ut præſens, ſivet ut futurum: ſic natura, quæ ante coctionem humorem non turgentem expellere conatur, adminiculabitur evacuationi; i. e. ex duobus malis minus eligendum, conniventibus aliis corporis habitudinibus.

Contenta primarum viarum p. n. non crudis adſcribenda. Neque tamen aſſerto, de concoctis tantum educendis, repugnat *2. aph. 29*, quo incipientibus morbis, quod movendum, movere jubemur, dum non cuncta, quæ corpori languenti p. n. inexiſtunt, in ſenſu *Hippocratico*, ſub initio morbi cruda exiſtimanda, v. g. fœces alvi, cruditates ventriculi, utpote qualia febris cauſa conjuncta ſeu proxima dici haud poterant: mox nihilominus & in primo morbi inſultu ſui eliminationem indicant, dum materia febrilis in maſſa ſanguinea coctionem expectat; unde *Hippocrates* hoc loco non vocabulo φαρμακεύειν, ſed κινέειν, quod movere eſt, utitur. **Nec in principio febris materia morbifica ſanguini minus intime adhuc commixta.** Nec materia hæc febrilis ſeu quodvis præternaturale, ſanguini in principio morbi mox adeo intime permiſcetur, ſed huic leviter tantum confuſum facile, natura per purgans ſtimulata, ſecedit atque eliminatur: cum quidem tunc temporis inchoata, nondum tamen abſoluta ac inſuperabilis, exiſtat cruditas, hæcque & initium morbi non ſemper coinci-

coincidant; adeo ut urinam tunc parum adhuc a ſtatu naturali recedere interdum cernamus. Sed, ſicut in decremento morbi cruditas remittens, ſeu coctio inchoata, evacuationem concedit, concedet eandem pariter in principio, ubi inchoans cum declinante ejusdem eſt gradus atque conditionis: i. e. eadem ratione, ac non omnimodam tantum, ſed aliqualem etiam, coctionem experti humores ſeparabiles ſunt, natura per pharmacum adjuta; cur non tales erunt in principio nondum arctius combinati, ſeu non totaliter crudi, vel laxiores & liberiores adhuc? Et ideo eſt, quod citra febres in paucis morbis coctio humorum expectanda veniat, v. g. non in catarrhis, tuſſi, arthritide, affectione hypochondriaca, utpote in qualibus nullum ejuſmodi cruditatis ſtatum concipere licet, humoribus ſemper mobilibus & ad excretionem paratis.

Turgeſcentiam ſeu Orgaſmum humorum quod ſpectat, quam cruditati prohibenti, ut novum & peculiare indicans, opponit *Hippocrates*, novas illa difficultates peperit, diſſidentibus valde commentatoribus in ejus formalitate explicanda. Turgere nimirum humores in febribus tantum videntur, & quidem primo, ſi per corpus hinc inde, a parte una ad alteram, motu vagabundo, ſeu impetuoſius & cum metu in partem principem irruendi, ferantur: deinde ſi ad aliquam partem ignobiliorem & excretoriam, ventriculum & inteſtina videlicet, vergant, & in his ſui eductionem per alvi intumeſcentias, borborygmos, egerendi conatus &c. urgeant, viſcera etiam hæc ſe ab illis ſtimulari ac gravari innuant & a ſarcina hac levari poſtulent; quod cum illis, quæ ſuperius de crudis educendis, ſi nimirum ad ventrem tendant, dicta, coincidit. Turgent nempe humores potiſſimum valde acres, mobiles & ad exagitandum ſanguinem idonei, inprimis bilioſi: quod dignoſcitur, ſi ægri mox in principio morbi ſint inquietiſſimi, cum ſumma præcordiorum anguſtia, nauſea, ructibus nidoroſis, conatu vomendi ac dejiciendi, dolore vago totius corporis, præprimis capitis, frequente coloris in facie mutatione, pulſu inæquali, & rigore æſtum leviter interpellante. Quin tamen *Mercato de recto præſid. uſu libr. 1. cap. 6* concedere liceat, naturam turgere poſſe non ſolum a calidis, tenuibusque ac malignis humoribus laceſſitam, ſed a multis & frigidis quoque, non video, quid impediat; niſi ad

Qui humores turgeſcant?

ad abundantiam potius, de qua ſuperius actum, hos referre placeat: quorum excretionem non raro imperfectius molitur illa, id eſt, ab evacuationibus inchoatis deſiſtit & impotentior ab arte auxilium petit ac monſtrat.

An humores per corpus vagantes purgandi?

Prioris generis humores turgeſcentes evacuationem ſui minime expoſcere, nec hanc in iis ſub cruditatis ſtatu locum habere, putat *Martianus in comm. 1. aph. 22*, hoc innixus fundamento, quod tunc temporis exhibito purgante illi concitentur magis, cum certo decubitus in quampiam partem periculo potius, quam e corporis excluſionis ſpe: eamque ſuam ſententiam eo veriſimiliorem credit, quod a præſtantiſſimis practicis obſervatum, ejuſmodi humorum efferum motum ſanguinis miſſione potius, quam catharſi, ſedari & humores adeo conturbatos medicamentis plus irritari. Poſtquam idem *Hippocrates 4. de morb. t. 20. & 21* diebus imparibus, ſeu criſin indicantibus, utpote quibus humores maxime commoveantur, non ſine magno periculo purgari oſtendit; & ſi tale quid fiat, a medicamentis illis magis exagitatis, hypercatharſin lethalem frequentius evenire. Imo etſi nec tantum nobis hinc concipiamus periculum, eo ipſo tamen, dum ſub orgaſmo ejuſmodi vagabundo haud innoteſcit, quam partem inprimis, poſtquam pharmacum hauſtum, humores oberrantes petituri ſint, nec medicus eligere ſeu determinare poterit viam, per quam, ſecundum præceptum, *quo natura vergit, eo ducenda*, evacuatio fieri debeat, aut expectanda ſit; nec doſin purgantis definire, incertus, an naturam conſpirantem ſeu inclinantem ad alvum, aut renuentem ac aliorſum vergentem, habeat.

Et quibus cautelis?

Ob quas ſimilesve rationes, quamvis ſub turgeſcentia humorum catharſin adornare, res difficilis ſit, quoniam tamen non ſufficit periculum futurum innuere, minime præcavere; ac metuendum, ne natura ſibi ſola relicta tandem defeſſa labaſcat, aut tumultuantes humores partem nobilem irruant, a qua forſan opportuna evacuatione averti poterant: etiam hic meminiſſe juvabit illius *Hippocratici*, quemadmodum *nihil temere*, ſic *nihil timide eſſe agendum*; i. e. frivole & inconſulto equidem purgationem non antevertat, nec tamen cum languentis diſpendio illam differat, medicus. Quod quidem ſecurius aget, ſi primo ſanguinem educat, deinde ſi præmonſtratri-

cem

cem naturam habeat, quæ, quale præſidium & quem excretionis modum deſideret, indicet, (quod alterum genus turgeſcentiæ ſuperius dicebatur) quo adjuvantem illam morborum optimum medicum, habemus: ac ſi tertio per blandiora evacuationem adornet, v. g. per aurum fulminans, rhabarbarum; ne humores jamdum præter modum exagitati magis conturbentur & hypercatharſis concitetur. Licet ejuſmodi turgeſcentias non adeo crebras idem *Hippocrates* & cum hoc praxis quotidiana doceat: non quaſi humores minime turgeant, ſed quod ſub cruditatis ſignis talibus orgaſmus vix præſumendus, qui videlicet in contraria eorum diſpoſitione conſiſtit; in orgaſmo mobilibus & laxis, in cruditate conferruminatis quaſi iis. Quando *4. aph. 10* addit, in valde acutis turgeſcentes humores eodem die eſſe evacuandos, ac morari in talibus malum eſſe, non ideo dictum videtur, quaſi ex mora metuendum foret, ne in partem aliquam nobiliorem materia morbifica feratur: ſed quia in morbis, qui celeriter moventur, occaſio præceps evacuandi brevi præterlabitur & ad maſſam ſanguineam illa mox rapitur, aut laxius huic hactenus adhæreſcentes heterogeneitates morbificæ arctius implicantur, hinc purganti mitiori haud auſcultant, a potentiore vero præter modum exagitatur totum.

Porro in febribus purgationem dubiam reddit ſeu prohibet earum malignitas, & quidem hoc confirmante experientia, qua multorum cippis inſcribenda erant verba *Hipp. 5. epid.* paſſim obvia: *Mortuus eſt, quia purgatus fuit.* Quo tandem motus etiam naturæ ſpectant, per purgantia haud interpellandi ſeu conturbandi: & quidem non tantum in febribus acutis, & ubi natura criſin per alia loca molitur, ſed in chronicis quoque morbis, v. g. ſcorbuto, lue venerea, ſi bubones compareant, item in affectibus pectoris, ſi materiam peccantem natura per ſputum rejiciat. *Martianus* ex Hippocratis diverſis locis prohibere inſuper purgationem contendit iis, qui doloribus valde moleſtantur, priusquam ſedentur, aut ſaltem remittant: metuens, ne humores, per pharmacum commoti, a doloris vehementia ad partem dolentem potius trahantur, quam ad alvum detrudantur. Quod tamen præceptum vix univerſale nec omnimode inviolabile eſſe, probabile reddit, dum dolorum capitis, dentium,

Purgationem inhibet febrium malignitas.

Sicut motus naturæ quoque.

Non autem dolores.

oculorum, artuum &c. ſolvendorum gratia purgantia crebro, & quidem non ſine fructu, propinantur: quod recenti mox obſervatione comprobare poſſum cujusdam, qui, dolori iſchiadico ſatis exquiſito expoſitus, ab aſſumpto catharctico mox melius ſe habebat. Et de purgantium exagitatione non minus ſperandum, eam materiam peccantem, ſicut in toto, ita in parte quoque, commovere, & motu hoc ex hac ad inteſtina deturbare poſſe, ac eidem copioſius impellere. Secus tamen res ſe habet in doloribus abdominis, v. g. in colico, iliaco, nephritico, quibus utique præjudicat eosque exacerbat purgantium, niſi blandiorum, adminiſtratio.

Niſi abdominis.

Quoad cœteras circumſtantias, in catharſi rite inſtituenda, tanquam indicati adjuncta, advertendas, prima eſt tempus, & quidem liberum; quod in morbis chronicis eligitur vernum, juxta *6. aph. 47.* & poſt hoc autumnale: eo quod his humores ad ſecretionem magis apti judicentur, quam hyeme, ubi ſibi invicem per tenacitatem arctius utplurimum impacti; non adeo tamen exagitantur, ac in æſtate, ubi metus eſt, ne propinata purgantia ſanguinis maſſam, in motu jamdum exiſtentem, plus juſto diſſolvant, ac fundant. Quorum poſterius *Hippocrates 4. aph. 5* innuit; ubi ſub cane, mox ante & poſt, canem catharcticorum uſum diſſuadet, ac *Riverius 3. obſ. 5* exemplis triſtioribus confirmat: modo regula hæc non tam dierum numero, quam per æſtus gradum, explicetur, advertente *Hollerio comm. in alleg. aphor.* & *Primeroſio de vulgi error. l. 4. c. 11.* Cœtera, quæ de lunæ phaſibus monentur, parvi momenti ſunt, ac ſuperius diſcuſſa. Ratione vero horarum diei, aptiſſimæ ſine dubio ſunt matutinæ, ob digeſtionem ventriculi tunc abſolutam; vel quæcunque, ubi illum vacuum eſſe novimus; ne alienorum permiſtione fracta purgantia plus moleſtiæ patrent, quam evacuent: niſi forſan acceſſiones ſimiliaque phœnomena v.g. neceſſitas urgens, fuerint attendenda, meridianum ac veſpertinum etiam tempus ſuadentia. Nihil tamen impedit, quominus purgantia leniora extra hos quoque caſus paulo ante cœnam aut poſt cœnam frugaliorem aſſumantur, quæ hoc modo blandiſſime, ſufficienter tamen, evacuant, teſtantibus *H. Augenio tom. 1. p. 342. ſeq. Riolano meth. med. gen. ſect. 4. c. 3. Gabelchov. cent. 1. curat. 6. Walæo meth. med. p. 38. & 51. Heurnio Meth. med.*

Tempus purgandi annuum.

Diurnum.

Veſperi etiam purgantia aſſumenda.

med. lib. 11. c. 2. Horſtio probl. dec. 7. quæſt. 3. ac *Sylvio pr. append. tr. 4. §. 245.* ſub pilularum perinde ac quavis alia forma. Sic enim chylo combinata cum hoc maſſam ſanguineam ſubeunt, ac ſine turbis evacuant, hos præſertim, quibus alvus pertinacior contigit: & ſi forſan mane inſequente minus commoveant, dimidium tunc doſeos reiteretur, pro priore juvanda, vel tantillum potus calidi deſuper hauriatur.

Sed ratione temporis neceſſitatis, ſi morbus febris aut cum febre, quia in his cruditas & coctio humorum attendenda, ex univerſalibus principium ac declinatio tantum purgationi idonea exiſtunt, ob ſymptomata remiſſiora ac vires validiores: illud vero in ſpecie, ſi materia turgeat, hæc, quia cocta tunc eſt; in incremento autem & ſtatu motus naturæ reſpicere convenit. Aſt in morbo, qui ſine febre, ſive acutus, ſive chronicus, fuerit, quovis tempore purgare conceditur, modo vires adæquatæ extiterint, nec aliud quid evacuationem hanc moretur. Pariter pro particularibus morborum temporibus, quæ paroxyſmos horumque intermiſſiones ajunt, inter affectus, qui cum febre, ſive continua, ſive intermittente, aut ſine febre, diſtinguendum erit: ubi in continua, quia nullas apyrexias habet, quæſtio ceſſat, in paroxyſmo vero intermittentis purgare, incongruum maxime deprehenditur: non tantum, quod vires tunc magis atterantur, ſed ne motus naturæ per ſudorem, quo paroxyſmus ejuſmodi utplurimum terminatur, turbetur, nec commotis tunctemporis a paroxyſmo humoribus ſtimulus addatur, hypercatharſin aut concitans, aut febrem intendens ac contumaciorem reddens. De affectibus autem, qui per paroxyſmos, ſine febre, affligunt, v. g. apoplexia, epilepſia, inſultu hypochondriaco, non poteſt adeo exactum in genere ferri judicium: cum quorundam paroxyſmi purgationem ferant, cœterorum reſpuant & ad intervalla usque differant, ut ex praxi ſpeciali conſtabit.

In febrium principio ac declinatione.

Non in paroxyſmo febrili.

Aſt in aliorum morborum paroxyſmis.

Alterum purgationis adjunctum Locus eſt, per quem evacuandum, i. e. an per ſuperiora, an per inferiora? Qualem primo determinat pars, aut in qua materia peccans hæret, (quod quidem particularem potius evacuationem innuit) aut ad quam ex toto illa fertur. Siquidem ſi ventriculo inexiſtant, aut ad eum vergant librioſa & æruginoſa,

An ἄνω, an κάτω, purgandum?

Determinat tendentia humorum. ginoſa, hæcque oris amaritudine, nauſea, cephalalgia &c. ſe prodant, anacatharſin indicant, juxta *4. aph. 17*; it. ſi pituitoſa, quod ex appetitu proſtrato, difficultate ſpirandi, ructibus ac regionis epigaſtricæ tenſione auguramur; ac denique ſi cruditates ex alimentis relictæ aut quævis aſſumpta incongrua illum gravent. Neque tamen in ventriculo tantum fluctuantes, ſed viſcera quoque vicina infarcientes, heterogeneitates vomitu rejiciuntur, ex pancreate ſcilicet ac vaſis biliariis: per conſenſum ſcilicet illum, quem a vehementiore ex vomitu ſuccuſſione patiuntur hæc organa. Contra ſi cauſa morbifica ad inteſtina potius inclinet, quod ex gravitate lumborum ac crurum, tenſionibus, borborygmis ac torminibus abdominis dignoſcitur, aut ſi eadem nulla adhuc tendentiæ determinatæ indicia præbeat, catharſis per inferiora convenit. Porro in cerebri ac nervoſi generis, quemadmodum etiam in pectoris nonnullis, affectibus emeticorum uſus valde proficuus reperitur; ut ex praxi ſpeciali eluceſcit.

Ac conſtitutio corporis. Eandem evacuationis viam ſeu modum innuit ſecundo conſtitutio corporis naturalis æque ac præternaturalis: cujus intuitu alii facilius, alii difficilius, vomunt. Quam dignoſcimus 1. per experientiam, dum *Hipp. 4. aph. 6. & 7* facile vomentes ſurſum, difficulter vomentes deorſum, evacuare ſuadet. 2. Ex corporis conformatione ſenſibili magis: quippe quibus collum ac pectus brevius contingit, facilius vomunt, quam qui ſtatura procera magis gaudent. 3. Ex habitu graciliore ac craſſiore, quorum ille vomitum admittit, hic catharſin potius per inferiora poſtulat, ſecundum *Hipp. l. a.* 4. Ex morbis atque ſymptomatis junctis, ratione cujus circumſtantiæ gibboſis, hæmoptoicis, ulcere pulmonum laborantibus, hernioſis ac opthalmicis vomitoria minus quadrant: quo ſine dubio *Hipp. 4. aph. 8* reſpicit, ubi tabeſcentes purgationem per ſuperiora vitare jubet. 5. Ex viribus, quarum potiores requirit vomitus, pauciores evacuationi per ſeceſſum ſufficiunt. Ac 6. denique ex ſexu, ratione cujus fœminæ non adeo ſecure ſemper vomunt, quin hyſterica patiantur ſymptomata.

It. anni tempus. Pariter viam, per quam purgandum determinat tertio aliquo modo anni tempus, dum *Hippocr. 4. aph. 4* æſtate *ἄνω*, hyeme *κάτω*,

evacuare jubet, & *aph. 6. & 7* graciles ac facile vomentes per ſuperiora purgandos monet, cavendo tamen hyemem &c. Contradicere equidem his ille *de ſalubri diæta t. 3* videtur, ubi ſex menſes hybernos vomendum, æſtate vero inferne ſubducendum, ſcribit, & *3. de diæt. t. 4,* ubi hygienen hyemalem tradens ter in menſe vomitibus utendum præcipit, quibus *Celſus* quoque *1. cap. 3* ſubſcribit. Quam contradictionem tamen communiter ſolvunt, diſtinguendo inter humores ventriculo inexiſtentes, & inter eos, qui in toto peccant: quorum illos quocunque anni tempore per ſuperiora, hos hyeme per inferiora, æſtate per ſuperiora educendos putarit Hippocrates: vel forſan cautela hæc non eſt magni momenti. Tandem & quarto evacuationum harum uſum diſcernere videtur regionum diverſitas, cujus intuitu vomitoriorum adminiſtratio incolis frigidiorum regionum rarior, ac calidiorum, dum v. g. *Hippocrates,* in locis fervidioribus medicinam faciens, helleborum album frequentius, quam alvum ſubducentia, propinavit. Quod idem experimenta Viri cujusdam Eruditi, qui Indiam Occidentalem frequentarat, in *Anglorum Philoſ. Tranſactione n. 36* recenſita, teſtantur: quibus refert, Indis, niſi morbis chronicis expoſitis, Purgantia haud quadrare vel conferre, tolerare vero & cum euphoria admittere Vomitoria; adeo ut per hæc difficiles etiam morbos in Jamaica ſanarit.

Cum Regionum conditione.

Si contingat morbo utraque evacuatione opus habere, ſine dubio ab illa inchoandum, quam ejus cauſa & hujus ſitus ac cœteræ circumſtantiæ poſtulant, vel permittunt. Id eſt primo, cœteris paribus, evacuandum erit per viam, cui materia morbifica propinquior, v. g. per gulam & vomitũ, quæ in ventriculo collecta, aut ad hunc inclinat: vel quod materia parti affectæ quo propinquior, juxta *Celſum,* eo, malignior ſeu plus vitii habeat, ac a ſtatu naturali longius recedat, adeoque promptius evacuanda veniat; vel ne longo itinere ac ambage ducta alias partes inquinet atque conturbet, v. g. venena hauſta aut acriora in ventriculo congeſta, ſi per inteſtina rejiciantur, integra & illæſa hactenus. Deinde ratio quoque eſt habenda illorum, quæ præter cauſam morbi immediatam movendorum, hinc mox in principio morbi exturbandorum, nomine ſuperius veniebant: videlicet ſi hæc inteſtinis, κάτω, ſin ventriculo inhæreant, ἄνω, exturbari

Utra harum evacuationum & quando, præmittenda?

bari debent. Tertio, ſi ex remotioribus locis, cum concuſſione quadam, v. g. e vaſis biliariis, pectore & capite evacuandum, emeticum ſicut purgante efficacius, ſic huic quoque, in caſibus inprimis ancipitibus, v. g. ſuffocationis, apoplexiæ, præmitti debet.

Quantum evacuandum?

Tertium in purgatione rite moderanda attendendum humorum evacuandorum quantitas eſt, quam dignoſcimus primo ex peccantium majore minoreve copia: ita tamen ut conſultius ſit, in defectu, quam in exceſſu, peccare, cum omnis exceſſus naturæ moleſtus contingat, ſecundum *Hipp. 2. aph. 51*; imo, *quæ prodeunt, non multitudine æſtimare oportet, modo illa rejiciuntur, quæ debebant, & facile æger ferat*, juxta *2. aph. 23.* & *de Veratri uſu.* Vires ſiquidem alterum ſunt, hoc loco obſervandum, utpote quarum intuitu aliquando, quæ ſimul ac ſemel educere haud licet, ſi nimirum hæc copioſiora ac viſcidiora fuerint, & morbus inducias det, per epicraſin evacuare ſolemus. De qua tamen minorativa evacuatione perplacet animadverſio *Mercati de recto præſid. uſu lib. 1. c. 8.* non adeo paulatinam hanc eſſe debere, ut ſingulis demum ſex vel ſeptem diebus cathartica propinentur, ſed per aliquot ſc. inſequentes dies & ſine intermiſſione cum iis eſſe continuandum: ne tantundem materiæ peccantis ſub mora intercalari adeo longa denuo colligatur, quantum antecedanea evacuatione eductum fuerit, ſicque nunquam plenaria ſperanda ſit illius expurgatio. Qui ſignum adæquatæ & perfectæ evacuationis ſitim ex *Hipp. 4. aph. 19.* & *de Veratri uſu* aſſerere contendunt, aut cum *Martiano* & *Hollerio in aph. alleg.* humorum prodeuntium mutationem, v. g. ſi poſt bilioſa, pituitoſa rejiciantur, utrique errant. Quatenus *Hippocrates* l. a. per ſitim non congruæ evacuationis, ſed purgationis nondum ceſſantis, notam oſtendere voluit, omnem etiam evacuationem paulo vehementiorem ſitis comitatur, hinc non teſtatur de ejus ſufficientia, ſed de immoderatione: adeoque textus hi ab Interpretibus perverſe applicantur. Sicut excretorum quoque mutatio fallax deprehenditur, dum ſecundum eundem *Hippocr. de purgant. t. 1.* idem pharmacum quandoque alia purgat, quam quæ evacuare intendebat Medicus; electiva etiam catharcticorum vis dudum jam exploſa fuit.

Evacuatio per epicraſin.

Nec ſitis, nec excretorum mutatio, adæquatum perfectæ purgationis ſignum eſt.

Medicamenta vomitoria & purgantia quæ ſint, ex pharmacevticis

ticis conſtat, horumque ſelectum determinabit praxis: hujus loci tantum erunt nonnullæ cautelæ in adminiſtratione eorum animadvertendæ. Et quidem ratione Vomitoriorum (1) ne facile propinentur alvo conſtipata, ſed hac demum, per enema v. g. ſoluta: (2) nec emeticum, nec hujus vehiculum actu calidius, aut frigidius, ſed tepidum ſit; cum frigida anxietatem præcordiorum, vomitoriorum uſum utplurimum comitantem, intendant, calida, dum ſpaſmos ventriculi demulcent, vomitus cohibent, aut pharmaci vim ad inteſtina magis dirigant. Si (3) operatio non ſuccedat, juſculum tepidum aut pingue, aut aqua tantum tepida, butyro condita, ſuperbibatur: quodſi vero emeticum vim ſuam exerat, a juſculis ſimilibusque abſtinendum, ne vis ejus diluatur; niſi poſt aliquot vomitus nauſea adhuc moleſtet. Ordinarie equidem (4) jejunis vomitoria exhibentur, illis tamen, qui difficulter & cum ſingulari moleſtia hinc moventur poſt paſtum paulo propinari valent, pro evacuatione facilitanda. (5) Vomitoriorum vim juvat ac actionem facilitat ad grana duo vel tria adjectum aurum fulminans. Sumpto vomitorio (6) haud ſuperdormiendum, niſi operatione ejus finita, aut nimia: tunc enim ſomnus concedi, imo paragoricis ac hypnoticis provocari, debet. Nimium autem emeticorum impetum (7) retundit fotus calidus aut ſimplex, aut aromaticus, ex mentha, abſinthio & aromatibus, epigaſtrio admotus, nihil ſive alimentoſi, ſive medicamentoſi, exhibendo: vel clyſma, alvum leviter ſtimulans, injiciendum.

Circa uſum vomitoriorum obſervandæ cautelæ.

Purgationem autem per inferiora quod ſpectat, cum ex antecedaneis conſtet, cruda illam haud admittere, ad eam, ubi res moram patitur, corpore nondum præparato, properare haud decet. Qualis præparatio primo maxime concernit primas vias, quas *Hippocrates 2. aph. 9. & 7. aph. 70* fluxiles poſtulat, ſeu, ut *A. de Villa Nova* & modernorum forſan cuncti hoc explicant, ut viæ, per quas evacuandum, ſint apertæ: quem in finem, ſi alvus ſolidior, catharctico præmittendum leniens, aut ore aſſumendum, aut per anum admittendum. Porro quia ventriculus modo pituitoſis, modo bilioſis, modo acidis recrementis ſeu cruditatibus turget, has primum removere convenit aut vomitorio, aut digeſtivo, vel alterantibus appropriatis emendare ſeu corrigere; ne catharſin aut turbent ſeu morentur,

Ante purgantium uſum præparandum eſt corpus.

1. Vias primas prædiſponendo.

2. Harum contenta p. n. ſub- [illegible]endo.

rentur, aut nimiam ac moleſtam valde reddant: quippe difficiliorem præſtant pituitoſa, ſicut ad hypercatharſin frequentius diſponunt bilioſa, omnium vero moleſtiſſime evacuantur acida, quorum eductionem *Sylvius* ideo hinc inde & anxie ſatis diſſuadet, aut non, niſi temperatorum, eductionem moliri concedit. Nec ſecundo in affectibus inteſtinorum dolorificis, antequam dolor mitigatus, v. g. in colica, hæmorrhoidibus cœcis, ad catharſin ejuſmodi faciles ſimus: ne videlicet ad partem dolentem impetuoſius ferantur humores, aut ſpaſmi hujus dolorifici intendantur.

Dolores inteſtinorum ante uſum purgantium ſiſtendi.

Nō omnia omnibus quadrant catharctica.

Neque tertio cuncta purgantia omnibus ſine diſcrimine propinanda, ſed abſtinendum (1) ab horum fortioribus, utpote ventriculo ac toti valde moleſtis, annotante *Cratone* penes *Scholz. conſ. 3.* (2) ab illis, quæ unius alteriusve idioſyncraſiæ infeſta novimus, de qualibus ſuperius dictum; & ſic (3) ab illis quoque, quæ huic vel illi membro imbecilliori minus congrua, v. g. a rhabarbaro in ſtranguria aut fluxu hæmorrhoidali affectis, juxta *Jonſtonum pr. lib. 3. cap. 5. artic. 5. punct. 1*, a caſſia in renum ac veſicæ ulcere, ſecundum *Zacutum Luſ. pharm. c. 2. Heurn. meth. med. l. 2. c. 22. & Horſt. 4. obſ. 34.* it. ubi ſucci viſcidiores, quia flatuoſa, ſecundum *Mercat[illegible] indic. med. l. 1. c. 6*, ab Aloë in hæmorrhoidum dolore & fluxu; hæmoptoſi &c. ac in gravidis. Et quamvis elective purgantia hodie plerique Medicorum in dubium vocent, haud tamen quavis occaſione ac penes omnes omnia eorum admittuntur, ſeu cum euphoria iis propinantur, quin potius alia viſcidioribus, alia bilioſis, alia ſeroſis, heterogeneitatibus, alia profundius ſitis, alia in primis viis hærentibus, quadrent; alii reſinoſa, alia gummoſa ferant ac poſtulent, alii humectantia ſimul, v. g. ſirupum roſarum, violarum multiplicis infuſionis: alia purgantium potentius in pituitam agunt, v. g. agaricus, colocynthis, mechoacanna, gummata aromatica, Mercurius dulcis, alia in bilioſos ac melancholicos dictos humores, nempe Rhabarbarum, rad. Hellebori nigri, folia ſennæ, Tamarindi &c. cuncta horum ſero vitioſo appropriata. Cæteris alias tutiora ſunt radix Rhabarbari & Hellebori nigri, Mechoacanna, Manna, Tamarindi, Aloëtica cum gummatibus Galbani, Ammoniaci, Mercurius dulcis, & his paulo efficaciora Gialappa hujusque reſina, Scammonium ac extractum trochiſcorum Alhandal, in exiliore doſi; quibus inſtructus medicus

Eorum ſelectiora ac tutiora.

aliis

aliis ſuperſedere poterit. Si inprimis ſtimulus ſalinus ipſis admiſceatur, v. g. tantillum de cremore Tartari, Sale Ammoniaco, Vitriolo Martis, arcano duplicato &c: qualem peculiari ratione Antimonium diaphoreticum quoque præſtat, per ſe ſumptum haud per inteſtina evacuans, aliorum tamen purgantium minorem doſin quam efficaciſſimam reddens, v. g. ejus grana tria vel quatuor radicis gialappæ ſcrupulum dimidium, vel grana duodecim; quemadmodum hoc nomine Pulverem illum Cornachinum ſeu Comitis de Warwich, Diagrydium antimoniatum ac Cerberum tricipitem dictum, ingreditur. Blandiſſime pariter ac ſine omni fere moleſtia evacuant purgantia in minore doſi exhibita, ſi modo bina vel trina grana Auri fulminantis ipſis combinentur.

Quamvis haud exigua, ſed evidens maxime, deprehendatur corporum in admittendis purgantibus diſparitas, quorum nonnulla horum vehementiſſima impune tolerant ac rident, a lenioribus & domeſticis mox ſolvuntur: illorum ventriculorum tenore per diætam indurato & maxime obfirmato, horum vero tenerioris & irritabilis valde texturæ ſtomachis, qui vel ad exquiſiti purgantis nomen cohorreſcunt, mitioribus ac alimentoſis tantum vellicandis. Quam tamen differentiam, niſi uſu aut e relatione ægri reſciveris, nec ex corporis externi robore, ſeu habitu quadrato, nec aliunde, facile cognoſces: cum firmitati huic conſpicuæ haud ſemper fidendum veniat, dum lacertoſos & craſſos maxime a levioribus laxantibus ſatis vehementer evacuari videmus, cum alios ejuſdem texturæ ac quadraturæ nec draſtica ſatis moveant. Penes utroſque res difficilis eſt, hos non, niſi majore doſi, tentare licet, nec ſic quidem alvo ſemper pro voto annuente; nec illos temere vellicare, cum per juſtam & moderatiorem doſin frequentius ad hypercatharſin ac deliquia animi evacuentur. Ut per conſequens majore ſemper cura agendum ſit in catharſi adminiſtranda, quam vulgo quidem fieri ſolet: & qui uno tantum vel altero in ſingulis promiſcue utuntur purgante, ac ſub unica ſemper formula, inſigniter aliquando falluntur. Non cuncta cunctis quadrare medicamina, ſuperius dictum, applica hoc ad catharcticorum uſum, & fateberis, ſollicite magis tibi, quod eorum cujusvis complexioni & ingenio congruum, explorandum fore, quam quod

Corporis diſparitas in ferendis purgantibus his vel illis experientia dignoſcitur.

Quidam lenioribus felicius, quam potentioribus, evacuantur.

habitus corporis innuere poterat. Hinc cum diſcretione cauta diſcernendum, quos & quibus remediis purgare velimus; & ubi ſunt, qui nec fortioribus purgantibus ſe evacuari patiuntur, in victu quærendum, quod contumaciorem alvum expugnet & laxet: atq; illi vel hoc nomine cœteris feliciores videntur, quod dum aliis poſt genuinorum purgantium actionem illa conſtipatur, his, continuata diæta per alimenta emollientia & laxantia, laxa ſemper maneat eadem, aut quotidie ſemel ad minimum reſpondeat.

Simpliciora purgantia magnis compoſitionibus præferenda.

Diverſorum quoque purgantium farraginem ac commiſcelam in uno damnant nonnulli, nec ſine ratione, v. g. *Valleſius controv. l. 9. c. 4. Rondeletius method. cur. lib. 1. c. 41.* ac *Mercatus de indic. med. l. 1. c. 8.* nam, quod alias de magnis compoſitionibus moneri ſolet, etiam hic attendi meretur, ne ex iis quoque magmata infinitorum ſimplicium parentur, qualibus diſpenſatoria trivialia ad nauſeam usque ſcatent. In ſpecie pilularum maſſæ tanti numeri & prolixioris fabricæ, ac Electuaria officinarum antiquorum hoc vitii habent, ut non, niſi ſub majore doſi, operentur; aſſumantur etiam atque agant non ſine ſumma nauſea, torminibus ac aliis moleſtiis: dum notante *Capivaccio prax. libr. 1. c. 24* fermentatio tractu temporis vim eorum notabiliter infringat, hinc confectiones has vappidas reddat.

Mercurii dulcis uſus.

In ſpecie circa Mercurium dulcem, quem *Quercetanus* ſuum Panchymagogum, *Riverius* Calomelanum Turqueti, *Crollius* unum ex præſtantiſſimis purgantibus, ajebant, *Döringius in epiſt. ad Hildanum de hernia uter. Riverius* & *Sylvius* paſſim cum plerisque Neotericis valde deprædicant, ejusque uſum notetur, eum equidem a nonnullis, ſed cenſura nimis rigoroſa, damnari, cauſam ipſi dicente præter allegatos Scriptores in variolis quoque *Sig. Graſſio Miſc. Nat. Cur. Ann. 72. obſ. 56* & quotidiana praxi. Adeo ut non amplius formidandus veniat, ſed tutiſſimum ac ſuaviſſimum dici mereatur remedium, in ſpecie in viſcido peccaminoſo, & quod aliis vix cedit, v. g. Luis Gallicæ, educendo: imo infantibus quoque unius alteriusve menſis, aut paucarum ſeptimanarum, ſecure omnino hoc medicamentum propinari valet, a gr. ij vel iij per tres aut quatuor ſeptimanas, ſingulis aut alternis diebus, ſicque malum ad miraculum ſanet, qualia experimenta mecum teſtantur alii, v. g. *Riverius cent. 1. obſ. 65.* & *Rho-*

& *Rhodius* ex relatione *Schlegelii, cent.3.obſ.84.* Quem poſteriorem tamen in eo deceptum fuiſſe, Lectorem adverto, quod ſecundum *obſ. a Fomio Riverio commun. 26* bimulum a menſtruo Mercurii dulcis uſu reſtitutum perhibeat; quod nihilominus penes ipſum *Riverium* de Mercurio præcipitato aſſeritur; quamvis hoc magis paradoxum mihi videatur. Quia tamen ſegnius juſto agit Mercurius dulcis, tantillum alterius cujusdam purgantis potentioris, v. g. reſinæ ſcammon. extracti troch. alhandal, ut ſtimulus, addi debet: niſi forſan per medicamentum hoc, incidendo humorem viſcidum, alterare potius, quam evacuare, malimus; in adultis ejus grana tria vel quatuor, per aliquot dies, ſi non ſingulos, ſaltem alternos, exhibendo.

Pariter circa Aloën hincque parata notetur, ſucci hujus concreti partem mucilaginoſam, quæ in aquoſis ſolvitur, & quam vere lotam dicere quadrat, quod non tantum a ſordibus recrementitiis, ſed reſinoſa quoque ſua ſubſtantia, quæ alias ventriculo ac inteſtinis adhæreſcens tormina movet, ſanguinem exagitat ac fundit & hæmorrhoides aperit, ſit liberata, in uſum præprimis eſſe trahendam. Qua diſcretione ſubſtantiæ ſuppoſita perſpicere vix licet, cur hypochondriacis ac in quibus ſicciora ſibi concipiunt inteſtina, abſolute nocere dicatur communiter aloë: poſtquam moleſtias non leves a parte ejus reſinoſa, cum *Hofmanno* aliisque, evenire equidem concedimus, non tamen a gummoſa, omnimode inſonte; nec, hominis vivi inteſtinis tanta contingere poterat ſiccitas, niſi forſan Mumiæ Arabicæ vel Ægyptiacæ eum parem velimus, cujus intuitu pauca granula eadem omnino arida reddant, vel cui ventriculus cum inteſtinis non tantum humiditatis ſuggerat, quantum pro ſui diſſolutione opus habeat, ſi nimirum gummi Ammoniacum, Galbanum &c. quæ aloë ſurrogantur, ſat humiditatis reſolventis in iisdem inveniant: ut taceam tantum ſiccitatis hypochondriacis, quibus adeo incongruam Aloën ſuſpicantur, haud inexiſtere, poſtquam cruditatibus variis illos ſcatere ex pathologia eorum innoteſcit. Quamvis Sylvio aliisque prompte aſſentiar, dum gummata hæc aromatica illi anteponit: forſan quod potentiore penetrandi & viſcidos humores deliquandi vi polleant.

Aloës duplex ſubſtantia,

Et ſiccioribus naturis.

Aloë etiam hypochondriacis quadrat.

Cur gummi Ammoniaco &c Aloë anteponenda?

 Compo-

Componi tamen ac miſceri poſſunt & poſtulant (1) purgantia ſegniora cum potentiorum tantillo, v. g. dum hellebori nigri extracto & Mercurio dulci reſina ſcammonii, extractumve trochiſcorum alhaldal additur; item aliquid ſubſtantiæ ſalinæ, prout ſuperius innui: (2) flatuoſa nimis cum aromatis horumque oleis, & v. g. folia ſennæ cum cryſtallis Tartari, correctionis gratia: (3) in morbis chronicis & ubi per epicriſin evacuandum, cum alterantibus appropriatis, quæ dirigentia olim appellabant, v. g. cum martialibus, ſero lactis, tanquam vehiculo temperante &c. Sicut (4) purgantibus hypnotica ſeu narcotica combinare, aut præmittere, in illis, qui non, niſi cum vehementioribus torminibus, evacuantur, v. g. hypochondriacis, aut doloribus gravioribus primarum viarum, harumque excretionibus p. n. expoſitis, v.g. vomitui, diarrhœæ, dyſſenteriæ, ingenioſa videtur evcheiriſis. Quippe licet penes omnes in confeſſo ſit, ſomnum, præter ſudoris & ſeminis evacuationes, omnes ſiſtere, & narcotica purgantium motus ſufflaminare, hinc hypercatharſeos quoque præſentaneum exiſtere remedium: uſu tamen compertum eſt, poſt mitem ſomnum a narcotibus inductum, collectis per id tempus viribus & ſtimulis ſpaſmodicis atque excretoriis ſedatis, humorum vitioſorum excluſionem feliciſſime fieri. Hinc v. g. *Helid. Patuanus*, referente *Foreſto 18. obſ. 22* in dolore ventriculi Elect. diaphænicon cum Philonio Rom. & *Crato conſil. 103* purganti pariter opium admiſcent, *Alex. Deodatus valetud. p. 17* ſirupum papaveris decocto antidyſenterico purganti addit; *Riverius* in vomitu & colica Pilularum cochiarum ℈iiß cum Laudani opiati gr. iij miſcet, item aloë & diagrydio hoc addit: in hypochondriacis vero, pro comprimendis torminibus ac anxietatibus, purgantibus opiata vel admixta, vel veſpero catharſin antecedente ſolitaria propinata, facilem valde reddere hanc expertus novi. In qualibus caſibus tamen purgantis doſis paulo largior ſit, cum metuendum, ne ejus vis ab opiato infringatur ſicque evacuatio turbetur.

Admiſcere tamen purgantibus aliquando licet & convenit alia. Etiam hypnotica.

Ratione doſeos adhuc monendum, ut hæc ſit ſufficiens, ne exilior humores tantum commoveat, non autem exturbet: præprimis ſi deleterea magis catharctica ſint, ut *Valleſ. 5. epid.* & m. m. *l. 4. c. 2* declarat: dum experientia nonnullorum doceat, ex cohibita purgatione

Doſis purgantium ſit adæquata.

tione & minus rejectis illis, varia incommoda ac difficultates eveniſ- **Aliquando**
ſe, v. g. gangrænam, referente *Salmuth. cent.* 1. *obſ.* 33. capillorum de- **nocent**
cidentiam, puſtulas & ſcabiem cruſtuoſam annotante *Williſio Pharm.* **purgantia, ſi ſuam vim minus**
Rat. part. 1. *ſ.* 3. *c.* 1. Et quando non omnes ac ſemper a pharmaco, **exerant.**
ſi hoc minus evacuet, lædantur, ut *Sylvius pr. l.* 1. *c.* 23. §. 21. & alibi paſſim multifaria experientia teſtatur, notante *Valleſio*, hoc fieri videtur, vel quod illud ab alimentis deſuper ingeſtis ſubjugetur ejusque particulæ & vires diſcontinuentur, vel, integrum ſeu non actuatum per alvum rejiciatur, vel mitius illud fuerit. Et quæcunque demum immunitatis hujus cauſa exiſtat, omnes experimur, non raro fruſtra omnino purgantia propinari, nihil tamen, tacente eorum virtute evacuatoria, exitioſi ejuſmodi ægros noſtros corripit. Neque ta- **Non nimia**
men ſuperet doſis nimium, ne ventriculus cum cæteris viſceribus **tamen ſit doſis.**
hinc enormius debilitetur, humores laudabiles cum vitioſis deliquentur, aut, ut aliquando fieri ſolet, cum recrementis anima expurgetur: hinc ſi in ullo medicamentorum genere, certe in purgantibus, de doſi curioſos eſſe decet, utpote quæ tantillum aucta, evidens & magnum damnum mox infert. Variat doſis purgantium ſe- **Variant**
cundum ætatis, ſexus, idioſyncraſiæ, vitæ generis & regionum, di- **doſin pur-**
ſparitatem: dum minorem tantum ſuſtinent pueri tenelli, fœminæ **gantium diverſa.**
molliores, homines otio dediti ac conſtitutionis tenerioris, præ agreſtibus robuſtioribus, viris nervoſis & adultioribus: Inprimis vero eam intendere ac remittere jubet diverſis terræ plagis propria & popularis habitudo, quam in ejus determinatione obſervare convenit: majorem doſin poſtulant cum Germanis gentes boreales magis, ſufficit Gallis longe inferior, quos aliquando mediocris etiam præter modum fatigat. Parallelum exemplum adducit *Pechlinus lib.* 3. *obſ.* 69 de ſua Cherſoneſo Cimbrica, quæ mari Balthico atque Oceano alluitur, & qua anguſtius eſt intervallum, quatuor miliarium ſpatio terminatur, in qua miram ſe offendiſſe in purgantibus doſium varietatem perhibet: ut, cum ejus mediterranei incolæ mediocria ferant purgantia, in maris Balthici ora multo ad purgandum faciliores reperiantur, quam altera & Septentrioni objecta plaga maritima. Pergit, pleraſque Holſatiæ incolas radicem Jalappæ ad integram drachmam, Euphorbium ad grana decem, imo viginti, im-

pune aſſumere, cuidam hydrope laboranti ejusdem Euphorbii drachmam dimidiam audacter ſatis, cum euphoria tamen illius, propinaſſe quendam Chirurgum &c. concludit tandem, ſe haud inficiari, ſicut Empiricorum ejuſmodi plurimi in extendendis purgantium doſibus ſint prodigi, ita Medicos aliquos juſto timidiores neceſſariam eorum quantitatem nimium contrahere, atque hinc ab effectu deſtitui, relicta quoque empiricis ſanandi occaſione; quamvis ſatius forſan ſit in re ancipiti mitiorum ſequi partes, quam durius agendo vitam ægri & famam propriam periclitari.

Etiam forma purgantium variat. Quoad formam purgantium, omnis non omnibus quadrat, vel non cuncti unam admittunt, in hac proin decernenda reſpiciendum erit partim ad ventriculum ac conſtitutionem aſſumentis, partim ad ipſum pharmacum propinandum. Prioris intuitu ventriculo nauſeabundo pilulæ ſuaviores ſunt, minime pulveres, quales non raro vomitum potius concitare ſolent; quodſi vero hic robuſtior ac difficilioris evacuationis exiſtat, liquidiora præferenda. Quibus accedit peculiaris quorundam ſubjectorum idiocraſia, & præjudicium, quibus a pilulis vix moventur, facilius a pulveribus, ac ab hac vel illa forma, quam alter gratam ſibi habebat, plus minus abhorrent. Imo ipſam pilularum formam vel in ſe virtutem evacuatoriam ſuorum ingredientium aliquando reprimere deprehendimus, hinc eas infidum ſæpe edere effectum: id eſt, illas aut omnino non, aut tardius, evacuare, aut aliquando vehementius agere. Illud, quod ex glutinoſis ſeu reſinoſis congeſta fabrica eas in ventriculo commode diſſolvi impediat: hoc, quod per eandem ſui viſcoſitatem intrinſecam ventriculi ac inteſtinorum plicis tenacius adhæreſcat earum ſubſtantia, hinc diutius ac crebrius villas horum ſenſibiles ſtimulet; pari ratione ac reſinoſa quævis quacunque forma exhibita diutius torquere & pluries ad ſeceſſus vellicare novimus.

Præjudicium vero ſeu imaginationem directorium quoddam in medicamenta habere, & horum vires, aliquando paradoxe ſatis, determinare, equidem non in omnibus, nonnullis tamen, ſubjectis, quorum ſpiritus animæ moderamini magis auſcultant, obſervamus. Ita *Marc. Donatus hiſt. mir. lib. 2. cap. 1.* ex *Pariſino* & *Nic. Florentino* illorum producit exempla, qui a ſolo medicamenti adſpectu, absque

Ex pharmaci adſpectu purgati.

ejusdem

ejuſdem deguſtatione vel olfactu ita evacuati fuerint, ac ſi ipſum medicamentum aſſumpſiſſent: nec deſunt purgantium uſum adeo nauſeantes, ut ad factam tantum eorundem mentionem ſtomachus & inteſtina eorum vehementius conturbentur; cui ſuo modo quadrat, quod *Auguſtinus 4. de Civit. Dei* de quodam refert, quod, quotiescunque voluerit, copioſiſſime ſudarit, excitante phantaſia virtutem expultricem. Verum ſcopo præſenti propinquius accedunt, quæ *Pechlinus 3. obſ. 13* perhibet, in purgantium effectibus id cumprimis ſe animadvertiſſe, niſi conſcia voluntate propinarentur, illos aut nullos ſequi, aut eo converti, quo fixior cogitatio utentis ac præjudicium eos inclinaret, ſeu medicaminum facultates ab imaginatione ad ejuſmodi effectum, aliquando paradoxum ſatis, determinari, quem aliquis animo fixiore ſibi fingat. In fidem ſuæ ſententiæ in ſcenam produit Hypochondriacum, cui a propinato vomitorio ex Vitriolo albo & acido Tartari, quod tamen ſibi ad ſudores movendos datum credebat, ſtragulis cooperto corpore, ſudor cum euphoria & valetudine ad melius mutatione concitatus fuerit. Simile quid, ſeu monſtroſius potius, de Pilulis de Cynogloſſa, ex adſtringentibus & narcoticis conflatis, recenſet, quas imperitior Medicinæ tyro, quaſi alvum purgantes, aſſumpſerat & ejus ſeceſſus hinc expectarat: poſt adeo credulas perſuaſiones eventus expectationi atque intentioni reſpondet, ac venter non tam a pilulis, quam imaginatione, ſpiritus eo determinante, commovetur. Addit denique, Medicum quendam, mica panis in pilulas redacta, credulorum quorundam hominum alvum, phantaſia negotium dirigente, provocaſſe.

It. ex auditu.

Phantaſia vim medicamentorum immutat.

Ipſum vero medicamentum diverſam ſui exigit formam, vel intuitu ſaporis amari aut alias ingrati, vel texturæ intrinſecæ, a præparatione ſeu compoſitione modo exaltatæ, modo deſtructæ. Propter ſaporis inſuavitatem Aloë, Colocynthis &c. in pilulis potius, quam in potionibus ac pulveribus, præſcribuntur: propter texturæ laxitatem ac firmitatem pariter quædam purgantium commodius ſub forma pulveris, quam decocti, infuſi vel extracti, propinantur. Quippe ſi vis evacuatoria in tenui hæreat, per coctionem illa perditur, v. g. radicis Aſari, quæ in ſubſtantia ac Infuſo vomitus concitat, a coctione leniore vim emeticam amittit ac per alvum tantum evacuat,

Formam purgantium quæ mutent.

cuat, quam diutina coctione pariter cum diuretica & ſudorifera commutat, annotantibus *Horſtio herbar. l. 1. p. 258. Helmontio natura contrar. neſc. §. 45.* & *S. Pauli Quadr. Bot. pag. 23*; ita quidem ut, ſi vomitu evacuare debeat, juxta *Horſtium*, nec multam triturationem ferat. De Ebuli cortice refert *Fernelius*, eum coctione pariter vim purgantem deponere, adeoque in infuſo tantum propinandum. Sin autem viſcidiori ſubſtantiæ illa intertexta fuerit, coctione quam opportune educitur, v. g. e foliis Sennæ & rad. Hellebori nigri: quamvis de potentiore Sennæ decoctione cum forti expreſſione *Mayerne* annotarit, eam inter evacuandum tormina graviora concitare, perinde ac in ſubſtantia aut infuſo, ſine Tartaro ſimileve ſalino. In ſubſtantia Rhabarbarum potentius & ad expectationem purgat, quam in extracto, & parum admodum Eſſentia ejus cum Spiritu Vini parata: quemadmodum Gialappam cum Aqueis perperam infundi conſtat, & Mechoacannam infuſo parum virium concedere *Seiler.* penes *Scholz. epiſt. 9* tradit. Contra Epithymum v. g. propter ſibi combinatam acrimoniam, Colocynthis, Vitrum Antimonii, Helleborus albus, cortex rad. Frangulæ, propter vehementiam ſuam draſticam nunquam in ſubſtantia, ſed infuſis tantum exhibentur. Mercurium dulcem non nudum, ſed in pilulis vel bolo tantum, exhibere cavent communiter, ita & ego olim audivi, cum tyro eſſem: aſt ſupervacaneam deprehendi hanc cautelam, animadvertens, infantibus ac pueris eum cum lacte ſimileve vehiculo impune propinari, quorum palato ac tonſillis non magis adhæreſcit, nec hos in tumorem attollit, aut ſalivationem ciet, ut quidem vulgo metuere ſolent.

Pilularum doſis dividenda.

In pilulis aſſumendis placet conſilium *Hœferi*, quod *Herc. med. libr. 1. c. 5* ſuggerit, nimirum ut doſis earum integra in tres minores portiones dividatur, una tertia veſperi, ante vel poſt cœnam parciorem deglutiatur, altera mane inſequente, tertia veſperi denuo, niſi antecedanearum effectus aliud ſuaſerit, i. e. niſi aliquot & ſufficientes ſedes moverit prior & ſecunda. Vel potius, ſecundum monitum prudentiſſimum *Celeberrimi Wedelii*, ſi veſpertina prior omnino deficiat, mane proxima mox binæ alteræ portiones ſimul, aut, ſi aliquid tantum præſtiterit, una earum exhibeatur. Quamvis illum

citius

citius & ſecure pariter acturum confidam, qui veſpera mox prima duas tertias, ultimam matutino tempori, pro rei exigentia, reſervet ac deſtinet.

De cætero in diæta purgandorum præter neceſſitatem cautiores deprehendo Scriptores æque ac Practicos, cum paucioribus regulis totum hoc regiminis negotium complecti liceat. Et quidem primo poſt aſſumptum catharcticum pleniore victu haud utendum, utpote qui illius energiam obtundit & purgationem turbat ſeu interrumpit, fractis quoque ſi non a morbo, certe a pharmaco, ventriculo ac inteſtinis oneri eſt ac cruditatibus novis occaſionem præbet, adeo ut poſt purgationem nonnulli pejus ſe habeant: Concedenda tamen iis ſunt ac commendanda juſcula calida, hora circiter ab hauſto medicamento ſorbenda, pro deliquanda ſeu diluenda ejus ſubſtantia, atque actuanda virtute, ſimul tamen virulentia temperanda ac emollienda, ſeu ut minus angat idem præcordia, uno verbo, pro catharſi undiquaque facilitanda. Deinde poſt ſumptum pharmacum per horulam circiter ſe quietum in lecto detineat æger, præprimis ſi nauſeabundus & ad vomendum pronus exiſtat: cum ſtragulorum tepor ac fomentum, humores fundat & eorum excluſionem juvet. Quod ſi vero illud vim ſuam exerat, ſive actu ſeceſſum movendo, ſive borborygmis & torminibus eum innuendo, idem ſurgat ac corpus obambulando leniter moveat, ſi morbus & vires ſaltim hoc concedant; quies enim intempeſtiva evacuationem moratur: quamvis *Walæus meth. med.* ſibi annotatum velit, hanc in quibuſdam, ſi lectum deſerant, inhiberi. Denique, ubi de ſomno poſt hauſtum purgans quæſtio movetur, limitari hæc debet, vel diſtinguendo tempus capeſſendi ſomnum, vel inter catharctica aſſumpta. Quoad prius, antequam illud agere incipiat, ſeu quamdiu nulli ejus motus adhuc in primis viis obſervantur, horulæ ſomnus indulgendus; inprimis ſi ventriculum debiliorem & ad vomendum pronum obſervemus, quippe qua ratione nauſea hæc obtunditur, nihilque adhuc a malignitate ejus viſceribus & maſſæ ſanguineæ metuendum, neque tamen a tantillo illius turbatur hujus operatio: ubi autem pharmacum actuari conſtat, aut ventriculus ferendo illi par, nulla ingruit ſomni neceſſitas, & vigiliis ac motibus potius vacandum erit, utpote

Poſt aſſumptum purgans victus parcior convenit.

Juſcula ſuperbibenda.

In lecto & ſub ſtragulis aliquamdiu moretur purgandus.

Usq; dum pharmacum vim ſuam exerere incipiat.

An & quomodo ſumpto purganti ſuperdormiendum?

quibus illius vires maturantur. Pariter quoad medicamenta aſſumpta, fortioribus, niſi emetica, aliquantulum ſuperdormire licet, ſc. aut mox ab eorum aſſumptione, ut modo dictum, aut ſub eorum operatione, ſi nempe hæc juſto nimis ingraveſcat; lenioribus neutiquam, cum ſomnus excretiones turbet: niſi forſan pilulæ aliave tardioris effectus ſomnum aliqualem concedant, qualia ſc. ut ſuperius monitum, mox ante aut poſt cœnam aſſumuntur.

Tandem vero, quia poſt hauſtum purgans ſeu in ipſo evacuationis actu duo obveniunt potiſſimum ſymptomata plus minus moleſta, nauſea ſcilicet ſeu vomendi conatus, & hypercatharſis: priori obviam ire convenit per odores ſtomacho gratos, v. g. vini & aceti, it. ſi os vino ſimiliq; liquore acidulo eluatur, aut panis aceto vel vino imbutus maſticetur, regio vero epigaſtrica integumentis calidis fomentetur; aut denique clyſter ano injiciatur, qui ſtimulum ventriculi ad inteſtina avertat. Poſterius vero ſeu evacuationem nimiam reprimimus quiete in lecto calido ac ſomno, vel ſi ægri extrema linteis calidis, regionem epigaſtricam topicis aromaticis ac theriacalibus, v. g. decocto menthæ, abſinthii, calami aromatici, cum vino parato, aut cataplaſmate ex Theriaca & oleo nucis Moſchatæ expreſſo foveamus, ſimulque propinentur vinum uſtulatum cum aromatis, aqua menthæ & cinamomi ſpirituoſa ac opiata, v.g. Theriaca, diaſcordium & Laudanum, cum eadem aqua menthæ vel ſimili, ſeu vino calido, diſſoluta: ac ſi tormina urgeant, clyſter ex Lacte calido, in quo aliquid theriacæ dilutum, injiciatur, pro ſtimulis acrioribus detergendis & criſpaturis fibrarum inteſtinalium demulcendis.

Nauſeæ a purgante ut ſuccurrendum?

Hypercatharſis quomodo inhibenda?

CAPUT XV.

De *Evacuationibus Univerſalibus cœteris.*

EVacuationum harum claſſi, ex conſenſu forſan omnium, accenſentur Salivatio, Diureſis, Diaphoreſis ſeu ſudatio, una cum quibusdam remediis Chirurgicis, Fonticulo nempe, Setaceo & Veſicatoriis.

Salivatio

Salivatio equidem a *Kypero* dividitur in univerſalem atque particularem: quarum hæc per maſticatoria & apophlegmatizonta; illa per ſalivantia κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dicta ſeu Mercurialia, fit. Quia tamen de prioribus, an & quomodo univerſalis particularisve evacuationis nomen ipſis congruat, inferius dicetur: comprobare hoc loco opportunum magis erit, Salivationem ſeu curam per Hydrargyrum optimo jure evacuationis univerſalis nomen gerere. Quatenus in ſtatu morboſo, quo totam maſſam ſanguineam male ſe habere evidens maxime eſt, ſpontaneæ contingunt Ptyaliſmi ſeu ſalivationes, ſymptomaticæ pariter, ac criticæ, illi plus minus detrahentes ac medentes: quemadmodum hypochondriacis ac ſcorbuticis ſalivationes ſunt familiares valde, ſputatores ideo dictis, in regionibus potiſſimum maritimis, v. g. in Belgio, qui modo lentam ac viſcidam, aliquando tenuem, utramque aut acidam & ſalſam, aut inſipidam, rejiciunt ſalivam. De quorum plerisque *Sylvius meth. med. l. 2. c. 13. §. 9* annotavit, eis imminente hoc fluxu a partibus inferioribus adſcendere videri acres halitus, qui caput circa tempora mire miſereque lancinent, hasque lancinationes mox excipere humoris acerrimi effluxum, a quo gingivæ cœteræque oris partes erodantur. Variolis, confluentibus potiſſimum, frequens ſymptoma ptyaliſmum evacuationibus particularibus accenſerem, ab affectis nempe ac irritatis per exantemata illa glandulis forſan oris: niſi experientia doceret, fluore hoc oris incautius ſuppreſſo, aut ſponte ante diem undecimum ceſſante, res ægri in lubricum valde abire; & ſi propter ebullitionem ſanguinis enormiorem ille cohibeatur, ſc. in confluentibus adultorum, per opiatorum uſum, tradente *Sydenhamo de morb. acut. ſect. 3. c. 2.* illam compeſcere & hunc ſimul promovere; per conſequens ptyaliſmum materiæ morbificæ variolarum univerſali multum detrahere. Accedit, quod talis in febrium male judicatarum declinatione aliquando deprehendatur, & poſt has ſatis diu interdum continuetur, ut præter *Williſ. de Scorb. c. 3* praxis quotidiana declarat. Item quod ſalivationis gratia adhibenda remedia non tantum deglutiantur, ſed exterius quoque membris, a ſalivatoriis organis remotioribus, admoveantur; utraque eandem vim exerant, hinc totum permeent, antequam per illa aliquid exturbent. Quod pariter confir-

Salivatio eſt evacuatio univerſalis.

matur, dum ſalivatio nimia ac frequentior totum defatigat & exhaurit, tremorem ac convulſiones, paralyſin & alvi fluores colliquativos concitat, imo oſſa profundiora rodit; præterea morbos univerſales, v. g. luem veneream aliosque, inferius recenſendos, tollit, ac uſum Mercurii præcipitati in ulceribus partium ab ore quoque diſſitarum ſalivatio excipit, obſervante *Hildano cent. 5. obſ. 94.* Neque univerſalitatem hujus evacuationis dubiam reddere poteſt, quod a *Bonneto* adductum legimus, ſc. ante adminiſtrationem toti proſpiciendum eſſe, pro re nata, vel purgantibus, vel venæſectione, vel utroque: quippe catharſis non ideo evacuatio magis univerſalis eſt Venæſectione, quod huic præmittatur, nec vomitus arte concitatus particularis dicenda, quod ſanguinis miſſio eum aliquando antecedat, nec ſudatio, quod purgationem anteſignanam habeat. Potius ſanguinis depletione ac catharſi præparatoria opus, ne ille a Mercurio præter modum exagitetur, aut omnis humor pravus confertim nimis, ſine præviis illis evacuationibus, ad fauces commoveatur.

Quibus morbis ſalivatio proſit? Olim hoc remedii genus in Lue venerea ſeu Siphylide potiſſimum ſolenne erat, poſtmodum vero aliis quoque affectibus ſatis rebellibus & in viſcido acri radicantibus non minus mederi viſum fuit, v. g. ſtrumis aliisque frigidis ſeu pituitoſis tumoribus, juxta *Kyperum inſtit. p. 325.* it. Cancro: In quartana ſalivationem *Williſius de febribus* commendat, qualem aliquoties per ſalivationem quoque ſpontaneam ſolutam memini; habetque præeuntem hoc in paſſu *Williſius Ballonium*, qui *2. epid. & ephemer. p. 131. & 158* quartanam cum tibiarum ulceribus hydrargoſi ſanatam perhibet, ac *P. M. Schlegelium*, qui eadem quartanæ & luis gallicæ quandoque remedia deprehendit. Maniacis ac melancholicis, item vertiginoſis ex hypochondriorum dyſcraſia, a ſalivatione auxilium promittit *Rolfincius meth. gen. p. 510.* Epilepticis idem *Rolfincius* l. a. & *Williſ. de Morb. convulſ. c. 3.* atque paralyticis idem *Williſ. 2. de anim. brut. c. 9.* Podagricum ab inunctione mercuriali ſingulare ac triennale levamen expertum fuiſſe, refert *Excellentiſſimus Wedelius de medic. facult. l. 2. ſ. 2. c. 12.* contradicente quamvis *Hildano cent. 4. obſ. 82.* Sunt, qui in cephalalgia contumaci eam deprædicant, v. g. *Rolfinc.* l. a., cui tamen difficultates non leves, per rationes æque ac exempla movet *Williſ. de*

anima

anima brut. part. 2. c. 2. Lepræ ſeu Elephantiaſi Græcorum idem remedium adæquatum pronunciat *Nobiliſſimus Wedelius amœnit. mater. med. lib. 2. ſect. 2. c. 16.* Suffuſionem cum morbo Gallico aliquando ex inunctione hydrargyri ſolutam perhibet *Schenckius p. 159.* & in ulceribus non gallicis, inveteratis tamen & contumacibus, ſalivationis effectum ſingularem teſtatur multijuga experientia: perinde ac obeſitatem nimiam eadem ſanatam *Bartholin. act. Hafn. vol. 1. c. 24.* refert.

Indicans E. hujus remedii eſt ſerum virulentum, inprimis venereum, aut viſciditate atque acrimonia ſingulari alias depravatum: quemadmodum quondam in tumore œſophagi fœminæ cujuſdam, ſine dubio a glandularum vicinarum, in ſpecie œſophagæarum, intumeſcentia exorto, absque ulla malignitatis gallicæ ſuſpicione, me ſalivationem cum euphoria adminiſtraſſe, recordor. Quia nihilominus hoc evacuationis genus acerbum ſatis deprehenditur, utpote ordinarie faucium ac gingivarum inflammationes, eroſiones, ſitim intenſam, cordis anxietates, maſticandi ac deglutiendi difficultatem, vigilias, comites habens, ac vel ob inediam tot dierum inſigniter debilitat, ne illa graviora magisque extraordinaria recenſeam, v. g. alvi profluvia vehementiora & aliquando cruenta: caute & omnibus circumſtantiis ac prohibentibus non, niſi probe, ponderatis, præſidium hoc aggredi conveniens erit. Adeoque ad ſalivationem non facile accedendum (1) penes illos, qui jamdum emaciati ac viribus fracti, nec (2) in his, de quorum viſcerum corruptione eſt ſuſpicio, v. g. in phthiſicis ac hecticis: nec (3) facile in pueris, ſenibus ac gravidis; quamvis regulam hanc ſuam exceptionem ferre *N. Maſſa de Lue vener. tr. 3. c. 9. & tr. 4. c. 1.* atque *Hildanus cent. 5. hiſt. 97* ediſſerant. Neque (4) remedium hoc adminiſtrandum, antequam corpus tam venæſectione, quam per alia ſui emunctoria, a copia humorum peccantium aliquatenus liberatum, eorumque acrimonia nonnihil contemperata fuerit: id eſt, illud tantum cauſæ morbificæ, quod cœterarum evacuantium atque alterantium vi debellari nequit, huic violentiori & moleſtæ evacuationi exponatur. Dilucidat hoc præter *Hildanum cent. 5. obſ. 92. & 93. Riverius cent. 1. obſ. 77.* ubi ſine præparatione & evacuatione corporis prævia frictioni imo cin-

Et quodnam ejus indicans?

Moleſta hæc eſt evacuatio.

Prohibentia ſalivationem.

gulo mercuriali tantum, expoſitis, eam male ceſſiſſe, & brachiorum contracturas, abdominis tenſionem, ſuffocationem, paralyſin, capitis gravitatem induxiſſe referunt, ſymptomatis tamen a propinato vomitorio, referente *Riverio*, evaneſcentibus.

Medicamenta ſalivantia interna.

Inſtrumenta, quibus hæc excretio concitatur, Mercurius concedit, tam currens, ejusque minera, quam ſublimatus ac præcipitatus: & quidem modo ore aſſumendus, modo extrinſecus diverſimode applicandus. Interne olim propinabant Mercurium vivum, cum purgante uno alterove & terebinthina ejus grana quinque vel octo in pilulas dum redigebant, ad imitationem Pilularum Barbaroſſæ ex Mercurio vivo, trochiſcis alhandal, gialappa, diagrydio ac terebinthina, aut qualium diverſa exemplaria *Platerus pr. tom. 3. p. 454* tradit. Cujus tamen vim torpidam ſatis, aut in pilulis ejuſmodi ab admixtis mere purgatricem eſſe, præter experientiam hoc ſuadet, quod in majore longe doſi exhibitus Mercurius hic, v. g. in iliaca paſſione, ad uncias aliquot, ſi non ad libras, ſine omni corporis conturbatione ac ptyaliſmo, per alvum integer ac priſtinus reddatur. Hodie frequentior eſt Mercurius dulcis, ſatis efficax ac tutus, granis ſex aut duodecim, imo ſcrupulo integro, cum lacte, conſerva roſarum, confectione alkermes, pane mellito, in bolum vel pilulas compactus: quibus excipientibus, ſi ſeceſſus metuamus, diaſcordium, Theriaca & extractum theriacale ſubſtituitur. Quibusdam equidem medicamentum hoc Lui ſecundi gradus adæquatum creditur, v. g. *Wiſeman, Chirurgical. Treatiſes l. 7. c. 2*, vix tamen, ſi potentius illa ſe exerat: ita ut ab uſu illius aliquando quidem dolores partium remittant & ulcera occalleſcant, brevi tamen recurdeſcant ambo; contra Mercurius præcipitatus dolores nocturnos ſine recidivæ metu, mitiget, tumores reſolvat &c. imo *Sylvius* dulcem rariſſime ſalivationem movere, aſſerit. Aſt ſi noſtram conſulamus experientiam, etiam tertio & intenſiori mali hujus gradui idem remedium ſufficiens & proportionatum penes noſtros plerumque deprehenditur, modo ſalivationem præſtet ac in majore doſi, v. g. ad ſcrupulum unum, & per plures ordinario dies continuetur: quod minus paradoxum videri debet his, quibus innoteſcit, in Belgio & Anglia vitium hoc difficilioris longe medelæ eſſe, quam plerumque penes nos obſervatur;

Salivationem vix movet Mercurius vivus.

Commode tamen ſatis Mercurius dulcis.

adeo

adeo quidem ut Anglis vix ſcrupulus aut drachma dimidia Mercurii dulcis ſufficiat, dum noſtrates ejusdem granis decem vel quindecim pro neceſſitate evacuantur. Et, ſi forſan dulcis ille non ſufficienter moveat, ejus doſes poſteriores uno vel duobus granis Præcipitati exaltari & acui poſſunt: quibus nimirum ſerum ſtrictioris texturæ contigit. Aliis placet Præcipitatus albus, præcipitatus cum auro, flavus ſive Turpethum minerale & Ruber ſeu Arcanum Corallinum ac pulvis Vigonis dictus: qui tamen ſinguli hoc habent, ut vomitum ſimul & ſeceſſus concitent; quamvis hanc violentiam vel crebriore lotione, vel Spiritus vini deſuper facta accenſione, corrigere tentent, & a granis tribus ad octo exhibeant. Sunt ex modernis, v. g. *Wiſeman allegatus*, qui Mercurium ſublimatum corroſivum in aqua aut communi, aut deſtillata quadam diſſolvunt, unum alterumve aromatum adjiciendo, colati liquoris vero cochlearia tria vel quatuor quotidie exhibentes: quorum tamen veſtigiis, ob ſummam hujus remedii acrimoniam, inſiſtere, periculoſum videtur.

Raro confert præcipitatus.

Nec ſublimatus corroſivus.

Extrinſecus applicatur idem Mercurius vivus ac Cinnabaris tantum: & qui, ſecundum conſilium *Plateri* & *Sennerti* ſublimatum in aquis appropriatis, v. g. fumariæ, ſcabioſæ, ſalviæ, ſolutum cum linteaminibus membris externis admovent, fruſtra agunt, niſi quod partes has brevi arrodant. Et quidem ſub forma Unguentorum ſeu frictionum, ac ſuffimigiorum, quibus Emplaſtra ac cingula addunt, quarum una tamen altera potentius agit, hinc pro diverſo malignitatis extirpandæ gradu, cœterarumque circumſtantiarum diſcrimine una præ altera in uſum trahitur. Frequentiora tamen omnium ſunt unguenta, olim ſolitaria, ubi nimirum de intrinſecus exhibendo Mercurio nondum conſtabat, & dubitabant Veteres cum *Fernelio*: cui adſtipulatur *Platerus* l. a. Mercurii tam crudi, quam quocunque modo præcipitati, internam adminiſtrationem diſuadens, aut non, niſi in inveterata Lue & ultimis neceſſitatibus eidem connivens. Quod tamen negotium ſi accuratius penſitemus & experientiæ adaptemus, frictionem cum unguentis mercurialibus remedium vehementius longe internorum uſu eſſe, illa declarat, & demum, ubi morbus inveteratus, cum gummatibus, ac internis fruſtra propinatis, uſurpandam, potiſſimum cum nervoſum genus inunctio

Salivantia externa.

Per ſuffimigationem univerſalem.

hydrar-

hydrargyri internis mercurialibus enormius lædat. Emplaſtra vero particularia potius tantum videntur remedia, & reſolvendis gummatis ſimilibusque tumoribus venereis, rarius ſalivationis univerſalis gratia, admoventur, niſi quatenus per interna & unguenta adornatam juvare ac maturare creduntur, in membris, quæ alias inungi ſolent & emunctoriis glanduloſis v. g. colli geſtata. Minus uſitata ſunt cingula, niſi in ſcabie inveterata. Suffimigatio autem vehementior omnium modus & copioſiſſime evacuat, ut referente *Sennerto* quotidie ad libras decem ſputi virulenti rejiciant, qui illam ſuſtinent; hinc non, niſi in ſummæ deſperationis morbo & robuſtiſſimis ſubjectis, locum habet, imo a *Fallopio de morb. venen. c. 69. a Paræo l. 18. c. 14* plane damnatur ac hodie omnimode obſolevit: licet *Platerus* ſui loci Chirurgos per ſuffimigia frequentius, quam per inunctiones, ſanare aſſerat. Periculum vero ſuffimigationis ſatis evidens eſt, quatenus Mercurius tam per ſe, quam in Cinnabari, cujus uſus frequentior, ſulphuri combinatus, caput, etiam quam optime obvolutum & contra ejus fumum munitum, cum pulmonibus petit, ac deſperata horum membrorum producit ſymptomata: Mercurio inprimis per ignem in minima magis reducto, hinc penitius corpus penetrante.

Per particularem, ſeu ore exceptam. A *Sylvio* commendatur ſuffimigatio particularis ſeu fumus Mercurialis ſolo ore per infundibulum exceptus, quam omnium Mercurio utendi rationem tutiſſimam & in affectu nondum adeo inveterato aptiſſimam credit: ſic enim excitari paulatim ſalivationem moderatam, ſine ullo ſuffocationis periculo, ac per eam ſingulis vicibus tantum ſalivæ elici, quantum ferre poſſit commode quivis æger. Quin ejuſmodi ſuffimigationem atmoſphæra calida inſtitutam ægris exitum in publicum concedere, adeo ut vix, niſi ab hujus rei peritis, deprehendi queat, prout hæc ab illo *2. meth. med. cap. 13* recenſentur. **Qualis non ſine periculo.** Sed haud apparet, cur ab hoc remedio non cerebrum cum pulmonibus extreme lædantur, & per conſequens haud mirum, quod *Paræus* jamdum, cui ſine dubio hic ſalivandi modus innoteſcebat, eum minus approbarit, his verbis: *Quare ejuſmodi ſuffituum uſum, qui univerſi corporis gratia, per os & nares exceptis halitibus, ſuſcipitur, nunquam probaverim.* Securior videtur modus ſalivandi

livandi per ſoleas, Magnatibus Hiſpaniæ nunc ſolennis, qui paſtam ex Mercurio amalgamato aut ſimplici, tantum cum bolo mixto, in ſoleam formatam in ſoccis, inter linteum duplex, plantis pedum ſupponunt, & has ſuper laterem probe calidum detinent. Cui ſi non par, certe analoga, dicenda illorum encheiriſis, qui Mercurium dulcem in aqua fervente ſolutum in vaſe apto ſtuphæ imponunt, huicque ægrum ita includunt, ut pedibus ſolutioni mercuriali immerſis linteis probe munitus ſudet, ſimulque per vices reiteratas ad ſalivationem diſponatur.

Per ſoleas mercuriales plantis pedum ſuppoſitas.

Per pediluvia.

Et forſan, uti frequentiſſimus, ita ſufficere poterit cunctis morbi hujus gradibus Mercurius dulcis, ſi cum tantillo præcipitati albi aut rubri, pro exigentia rei, acuatus propinetur, una cum frictione ſeu inunctione artuum mercuriali. Saltem in moderanda hac evacuatione notetur, ut ante omnia corpus ad eam rite præparetur, & quidem non tantum per ſanguinis miſſionem & catharſin, de quarum poſteriore hujusque urgentia ſuperius dixi: ſed per balneum quoque appropriatum, ſeu ex vegetabilibus emollientibus & reſolventibus, quo viſciditas humorum aliquatenus corrigatur ſicque humoribus præparatis Mercurius ejusque activitas minorem in illis reſiſtentiam inveniat. Deinde caute & lente magis in applicatione Mercurii procedendum, intrinſecus ad pauca tantum grana eum veſpere, vel mane etiam, propinando & ſenſim demum ad plura aſcendendo; donec ſalivationis ſigna, nempe faucium ardor & angor, gingivarum intumeſcentia ac ſputatio crebrior, compareat: ubi ab ulteriore Mercurii uſu abſtinendum, niſi ſegnius poſtmodum ſalivatio eveniat. In quo caſu poſt biduum vel triduum Mercurium de novo exhibere convenit; dum autem illa ſatis procedit, ab ulteriore hujus aſſumptione cavendum eſt, ne ab hac humores nimis commoti ad ſalivales ac faucium glandulas nariumque tunicam glanduloſam impetuoſius ferantur, hæque plus juſto intumeſcant ac in ſuffocationis & vitæ periculum conjiciatur infirmus. Uno verbo, *Satius eſt*, monente *Sylvio*, *in ſalivatione movenda lentius, adeo cautius, procedere, quam nimium feſtinando non quidem cæcos catulos parere, aſt ægris, ſanitatis reſtitutionem expectantibus, mortem accerſere &c.* Pari prudentia inunctionis negotium tractandum,

In Mercurii propinatione, quomodo procedendum?

Qua ratione in inunctione? dum, ut ſc. huic ſufficiens præmittatur per vomitum & alvum purgatio cum Venæſectione, ſi opus fuerit: Sic enim cura non tantum facilius ſuccedit, ſed impetuoſior humorum commotio ad fauces intercipitur. Continuetur hæc inunctio per ſeptem vel decem dies, ſemel, aut etiam bis de die, donec ſuperius recenſita ſalivationis proxime futuræ ſigna, cum ventris & lumborum conturbatione ſe oſtendunt: imo ſi hanc ſalivatio completa non excipiat, per biduum denuo repetatur, vel doſis una alterave Mercurii dulcis ſimul propinetur. Quamvis frictionem hanc dierum numero ſemper determinare haud liceat, & variet hic pro varia corporis textura, dum modo tardius, modo facilius & aliquando mox poſt tertiam vel quartam inunctionem, humores ad glandulas & vaſa ſalivatoria urgentur.

Salivatio quamdiu continuanda? Ipſe vero ptyaliſmus, quocunque recenſitorum modorum concitatus, eousque continuetur, quoad humores peccantes ſufficienter educti; quod utplurimum intra quindecim vel viginti dies evenit: aut potius donec fluor ſponte ſenſimque ceſſat, ne ex intempeſtiva ejus ſuppreſſione in ſuffocationis diſcrimen conjiciatur æger. Neque ſymptomatum mitigatione ac ſedatione tempus illius fluxus ſemper commenſurari poterit; quamvis in lue gallica ex ulcerum deſiccatione, dolorum remiſſione &c. aliquid augurari detur: in aliis tamen præter hanc affectibus ſæpius non ſtatim, ſed poſt aliquot demum ſeptimanas, effectum hujus remedii deſideratum experimur. Eam administrandi ratio. De cœtero in loco calidiore cuncta adminiſtrentur, ac ſtragulis probe tegatur infirmus, vel prope ignem foci aut fornacis ad ſudorem blandum diſponatur: quo ipſo humores viſcidi ad admittendam Mercurii vim deliquatoriam felicius diſponuntur ac præparantur. Eundem in finem & virium refocillandarum gratia ſubinde hauriendum erit juſculum ſeu cereviſia calida, toto vero medelæ hujus tempore decoctum Lignorum tenuius ſeu ſecundarium ſufficiet, vitando cuncta potulenta generoſiora, videlicet cereviſiam, vinum & ſpiritum vini. Potus generoſus nocet. Cujus poſterioris incongrui hauſtus infelicioris exemplum funeſtum memoria adhuc teneo de Viro quodam Nobili, qui in medio ſalivationis, cum euphoria hactenus adminiſtratæ, me & Chirurgo clam, Spiritu vini aliquoties uſus, inopinato magnis cordis anxietatibus, ſtrangulationis paroxyſmis, ac tandem ſudore frigido, corri-

corripiebatur, omnimode ſuppreſſa evacuatione illa, inter qualia ſymptomata brevi expirabat.

Interim & toto ſalivationis tempore, quo propter oris & faucium intumeſcentias atque eroſiones ſolidioribus alimentis ægro frui minus licet, imo talia ventriculo tunc oneri forent, fluidiora tantum concedenda, nempe juſcula minus ſalita, lac ſaccharatum, cum pane cocta cereviſia atque hordeata. Ori autem ac faucibus inflammatis atque eroſis per lenientia, detergentia ac ultimo demum adſtringentia gargariſmata & collutiones proſpiciendum: in principio ſiquidem nullus adſtringentibus conceditur locus, ne ſeroſitates uberius confluentes, ad ſtagnationem coactæ, inflammationes atque tumores intendant ac ſuffocent; ſed commodiora ſunt in principio lac tepidum, decoctum hordei cum radice Altheæ & Liquiritiæ, ſuccus raparum, melle aut ſaccharo vel ſirupo roſarum edulcoratus, progreſſu temporis decoctum ſalviæ, florum roſarum, cum decocto hordei aut aqua ferrariorum paratum. Sed cunctis indicationibus appropriata erit collutio ex muria, ſub declinatione repetendo purgantia leniora, quæ humores hydrargoſi ſolutos, haud tamen omnimode evacuatos, eluunt: & poſt hæc ſudores per Lignorum decocta ad aliquot dies continuando.

Non conveniunt alimenta ſolidiora.

Gargariſmata & collutiones oris.

Non raro contingit, ut poſt uſum mercurialium, nec internum, nec externum, quamvis glandulæ intumeſcant, os erodatur, & anhelitus fœteat, ſaliva fluat, adeoque, quicquid tentetur, ptyaliſmus nullo modo provocari queat, ſed natura pro motu humorum & diſpoſitione viarum aliter agat. In quo caſu, ſi corpus ſucculentum ac robuſtum fuerit, vomitorium ex infuſo croci metallarum aut largiore Turpethi mineralis doſi propinetur, aut, ſi illud debilius ac conſtipatioris alvi exiſtat, clyſteres aliquoties injiciantur: poſtmodum vero ad ſudorem diſponatur æger per decocta lignorum & diætam neceſſariam, aut balneo denuo immergatur per biduum vel triduum, qua ratione, ſi cœtera fruſtranea deprehendantur, fluor demum ſequitur. Teſtatur ſiquidem *Mayerne de Lue venerea*, ſe in fœmina quadam ſex frictionibus & geſtatione emplaſtri mercurialibus nunquam oris fluxum concitare potuiſſe; fuiſſe nihilominus eam ſanatam ſudore aliquot ſeptimanarum continuo & largiſſima plurium dierum urinæ

Salivantia nonnunquam per alias vias evacuant.

excretione, utrisque vi Mercurii motis. Si interim Lipothymia cordis palpitatio, febris & anguſtiæ ſuffocatoriæ obveniant, corpus purgetur mitioribus catharcticis, in difficultate reſpirationis ſanguis mittatur, donec ſalivatio eveniat; ſin minus, purgationibus repetitis ac diætæ ſudoriferæ diutius inſiſtendum.

Diarrhæa ut in hoc caſu inhibenda?

Degenerat ſalivatio non raro in alvi fluxum, virulentiæ venereæ præprimis non adeo congruum, quem præcavemus ac interpellamus, ægro veſperi aliquid Theriacæ, Diaſcordii aut cujusvis opiati exhibendo: ſic enim non tantum primis viis ſingulare robur, ſed ſomnus etiam, conciliatur, quo refocillatus infirmus inſequente die ſalivationem de novo ſubire queat. Quodſi vero his aliisque irritis diarrhæa intendatur, inteſtina contra eroſionem defendantur clyſteribus, paratis ex lacte, jure carnium vitulinarum aut gallinarum, oleo Lini, Verbaſci, ſevo hircino, it. decocto Cornu Cervi: & poſtquam fluxus ille ceſſat, viresque concedunt, ſalivatio reaſſumatur, ſin ſecus, cum ſudoriferorum adminiſtratione illa permutetur; quamvis aliquando ab ejuſmodi alvi fluxu idem, qui a ſalivatione, effectus obſervetur.

Diureſis quomodo & quid agat?

De Diureſi ſeu evacuatione per Urinam pauca dicam. Eſt ſc. illa pariter ex univerſalium ſeu illarum genere, quæ hoc, quod ſanguini admixtum, aut ſaltem, antequam per vias determinatas expellatur, ipſi admiſcendum, educunt, dum per diuretica præter vias urinarias ſecunda & tertia quoque corporis regio evacuatur: adeoque illa ſine dubio convenit heterogeneitatibus morbificis cunctis, ſero ſanguinis commiſcibilibus, hinc febribus tam continuis, quam intermittentibus, lymphaticis & catharrhalibus, malo hypochondriaco, ictero, hydropi, ſcorbuto ſimilibusque humorum vitiis medetur; quamvis intuitu vitiorum renum ac veſicæ particularibus quoque excretionibus medicis accenſeri poſſit.

Diuretica & ſudorifera quomodo diſcrepent?

Multum inter ſe convenire diuretica & ſudorifera, penes plurimos in confeſſo eſt, & gradualis tantum pleraque eorum intercedere videtur diſparitas: ut, dum humores ratione ſuæ texturæ minus commode per habitum expelli valent, aut minus efficacia ſunt remedia movendis ſudoribus deſtinata, aut pori corporis vel propter ambiens frigus vel quamcunque aliam cauſam, minus patent,

vel quodcunque ſudoris expulſionem moretur, per urinarias vias fiat excretio largior. Cum facilius ſit, recrementa ſero confuſa cum hoc a ſuccis laudabilibus in organis urinariis, quam in corporis habitu, ſecerni, ac per illa, quam per hunc, excerni: Laxiores ſiquidem illorum interiorum viſcerum canales ſunt, quam in externa corporis ſuperficie exiſtentes meatuli, non tantum per conformationem ſuam naturalem, ſed per caloris interni efficaciorem concurſum; qui poſterior humores quoque per interiora latos potentius ſolvit ac fluidiores reddit, contra horum motus in habitu facilius ſiſtitur & viæ in habitu ſeu pori anguſtantur. Habet præterea ſibi hoc peculiare diureſis, ut lente & blande magis evacuet, adeoque tantum virium robur, quantum aliæ hujus generis evacuationes, haud exigat: ſed harum intuitu quovis tempore & occaſione, modo indicans adſit, & paucæ tantum attendantur circumſtantiæ, adornari poſſit.

Harum prima eſt primarum viarum cruditates, quæ ad canalem ſanguinis & vias urinarias per diuretica moveri haud debent, ne illius maſſam, hactenus a recrementis liberam, inquinent, & organa urinaria obſtruant, aut ad Lithiaſin diſponant: id quod tamen de cruditatibus naturalibus ſeu alimentis nondum digeſtis, haud intelligendum, poſtquam non tantum multa diuretica habemus alimentoſa, quæ minus lædunt; ſed cum alimentis etiam aſſumpta medicamenta hujus generis maxime proſunt, nihilque moleſtiæ patrant, quotidiana hoc docente praxi. Ut taceam, pituitam inteſtinalem viſcidiorem non raro ope illorum ad urinarias vias propelli & per has ſub ſedimenti forma eliminari, teſtante *Sylvio meth. med. libr. 2. cap. 12.* & *Prax. l. 2. c. 34. §. 108.* Alterum prohibentium communiter creditur humorum cruditas, inprimis pituitoſa, quam per diuretica ad renes commoveri, horum meatulis arctius impingi, hosque obſtruere, ſibi perſuadent: quod licet de diureticis nonnullis concedi debeat, quia nihilominus eorum pleraque ſimul incidentia, abſorbentia ac digeſtiva, i. e. quæ recrementa craſſiora potenter reſolvunt ac coagula acida præcipitant, ſc. ſalina, aromatica atque terrea; his ſub ejuſmodi cruditatis ſtatu quoque cum euphoria uti licet, cum cœteris vero cautius procedendum, ob rationem dictam, in ſpecie in febrium, quas intendunt, principio & augmento. *Diure-*

Prohibet diureſin primarum viarum cruditas.

Non ſemper humorum cruditas.

tica, ſcribit *Sylvius append. tr. 10. §. 833, vim habent egregiam humores vitioſos, ſanguinis maſſæ penitius immiſſos, ab eadem ſecernendi atque excretionem qualemcunque præparandi: quocirca ſeligenda ſemper ſunt diuretica, quæ inſuper vim habent corrigendi humorem peccantem: ut nunc vulgo nota prætercam, laudo hic magnopere ſpiritum ſalis & Nitri dulcem, bili acriori & incendium augenti, ut & pituitæ glutinoſæ, corrigendis convenientiſſimum, ſimulque diureticum.* Imo ideo forſan a diureticorum uſu non mox ſemper diureſis contingit, quod videlicet humores vitioſi, ad ſecretionem atque excretionem adhuc nondum idonei, præparatione indigeant, quam eadem illis præſtant diuretica, quæ illos non minus ad excretionem præparant ſeu blande ſecernunt, quam excernunt.

Utique tamen habitus ſiccior, Majoris potentiæ in prohibenda diureticorum uſurpatione tertio eſt habitus ſeu conſtitutio corporis ſiccior, v. g. in hecticis ac tabidis: niſi in morbi principio & ubi cauſa proxima, acrimonia, verbi gr. ſcorbutica aut ſimilis, per has vias emancipari poſtulat. Neque in illa macie a diureticis omnimode abſtinendum, quæ ab Empyemate ac ulcere pulmonum dependet: utpote in quibus caſibus ipſo naturæ motu non raro purulenta cum urina eliminantur. Quarto, antequam hoc remedii genus adminiſtremus, probe disquirendum, quomodo organa urinaria ſe habeant; utpote quæ, ſi compage laxiore gaudeant, ſeu debiliora, inflammata aut exulcerata extiterint, a diureticis cavendum, aut circumſpectius illis utendum: quemadmodum nec in quavis dyſuria aut iſchuria, v. g. a calculo, illa ſtatim & ſemper locum habere, ex praxi ſpeciali innoteſcere poteſt. Nec quinto in gravidis & menſium aut quovis fluore uteri præternaturali laborantibus: cum in illis abortum, in his fluorem nimium, ſive ſanguinis, ſive alterius humiditatis, concitare ſoleant.

& organorum urinariorum habitudo p. n.

Nō omnia diuretica omnibus quadrant. Quoniam autem Diuretica humores pituitoſos non minus ſeu viſcidos & glutinoſos, ac acres, exturbant, v. g. in hypochondriacis, ſcorbuticis, leucophlegmaticis aut quibuscunque cachecticis: alia eorum glutinoſis, alia acribus quadrare, probabile fit. Quamvis præmonendum ſit, eorum quædam improprie ſatis talia appellari, nempe aquea ſeu potulenta quævis, aut de aquoſitate multum participantia, v. g. fructuum horæorum nonnulli, ſc. fragæ, cucumeres, melo-

melones &c. ſeu quæ ſubſtantia ſua aquea copioſiorem ſero & urinæ materiam ſubminiſtrant: de quorum tamen nonnullis aſſerendum, quod particulas etiam reſolventes ac vere urinam & per urinam pellentes ſecum vehant, v. g. ſerum lactis, acidulæ, inprimis nitroſæ, fragæ &c. Proprie autem diuretica ſeu per urinam vere pellentia ſunt, quæ ſanguinem quovis modo attenuando atque ſolvendo præcipitant, organa ſtimulant, ſimulque viarum urinariarum viſciditatem aliaque heterogenea abſtergunt atque eliminant. Horum catalogum ex doctrina de materia medica petere convenit, ita tamen, ut iis addantur ſemina lacteſcentia horumque emulſiones, quæ non tam reſolvendo atque ſtimulando, quam temperando ac demulcendo, videntur agere, in calculoſis, ac organorum inflammatione & eroſione laborantibus, v. g. ſemen Lactucæ, Violarum, Milii ſolis, Melonum, Cucumerum &c. & quidem non tam in humores acres, hos temperando, quam in ipſam partiũ urinariarum texturam fibroſam, hanc laxando, leniendo ſeu earum ſenſibilitatem inſtar anodynorum obtundendo; perinde ac narcotica hoc efficacius agunt, ut ſtimulos dolorificos a calculo v. g. renibus ac ureteribus impreſſos ſupprimant, hisque ſedatis calculi exturbationem juvent. Cœterorum autem urinam moventium alia obſervantur mitiora, alia potentiora. Mitiora ſunt 1. terrea, quorum nonnulla alcali ſibi intertextum habent, quædam nihil hujus præ ſe ferunt, ſed abſorbendo forſan tantum agunt. Prioris generis ſunt lapis Lyncis, qui frictus tantum aliquid urinoſi ſpirat, item lapis Cancrorum, qui cum vino maceratus huic ſaporem alcalicum evidenter ſatis concedit: poſterioris vero lapis Spongiæ, Silicis &c. qui tamen moderate uſtus etiam aliquid alcalici liquori, in quo extinguitur, imprimit. 2. Vegetabilium inſipida magis aut ſaltem plus minus amara, nempe ex radicibus quinque aperientes majores & minores, Bardanæ, Vincetoxici, Liquiritiæ & cortex Fraxini: ex herbis quinque Capillares dictæ: Virga aurea, Abſinthium, Centaurium: ex floribus Geniſtæ ac Hyperici: Semen Saxifragiæ, Fraxini, Hyperici, Lycopodii, Baccæ Alkekengi. 3. Ex Animalibus Lumbrici, Apes atque Aſelli: ſicut 4. ex mineralibus ſeu marinis Succinum. Potentius vero urinam cient, quorum ſalina textura eſt evidentior, & quidem itidem vel

Diuretica ſunt diverſi generis.

ſincera

ſincera magis, vel oleoſæ plus minus immerſa. Illa rurſus obſervantur modo Alcalica ſeu lixivioſa, ac Calx viva & de hujus genio participantes Thermarum pleræque, Tinctura Tartari ſimplex ac compoſita v. g. Antimonii & Metallorum illa, modernorum inventum: modo Urinoſa, v. g. Spiritus Salis Armoniaci, Urinæ &c. modo acida, v. g. Spiritus Salis, Nitri, Aperitivus, Penoti, Succus Limonum, Tartarus ſeu hujus Cryſtalli & Sal ſuccini: modo magis compoſita, v. g. Sal Ammoniacum, Nitrum, Tartarus Vitriolatus, Arcanum Tartari, Arcanum duplicatum, Lapis Prunellæ &c. Alterius vero generis ſunt acria & aromatica varia, nempe radix Raphani ruſticani, Allium, Cepæ; Herba Roriſmarini, Flores Chamomillæ vulgaris & Romanæ, de quorum prioris decocto cum vino triplicato *S. Pauli Quadrip. Bot. p. 255* annotavit, quod manifeſte ſalſum evadat, ac ſi unus vel alter pugillus ſalis culinaris in eo fuerit ſolutus, ſingularique vi in calculo hujusque cruciatibus pellendis gaudeat. Item ſemen Carvi, dauci, baccæ Juniperi & harum Rob. Terebinthina & hujus Oleum, Oleum ſuccini, Chamomillæ, Carvi &c. Quemadmodum tandem hujus loci ſunt Cantharides, ab *Hippocrate* jamdum *de victu acut. t. 66* hydropicis commendatæ, in minore doſi & cautius tamen propinandæ, v. g. in infuſo, juxta normam a *Bartholino cent. 5. hiſt. 82* traditam, vel harum Sal volatile, vix ultra granum unum aut duo, & vel ſirupo quodam, vel aqua aliqua, probe diſcontinuatum ac dilutum, propinandum.

Hinc eorum ſelectu opus.

Saltem ratione uſus diureticorum recenſitorum ſimiliumque prudentiore hic ſelectu opus eſſe, ſciendum, cum, ut ſuperius monitum, non omnia omnibus videantur congruere, nec omnia in cunctis ſubjectis vim ſuam exerere, quotidie experiamur. Sc. attendendum inprimis eſt vitium humorum & organorum, quod per medicamina hæc corrigere annitimur, ſeu quod, quominus ſerum promptius prodeat, facit. Ubi in viſciditate & obſtructione viarum, ſalina cuncta & omnis generis, ſive ſinceriora, ſive terreis & oleoſis ſeu ſulphureis particulis intertexta & obvoluta, valent, utraque modo leniora, modo potentiora, ab illis ſemper inchoando, cum vegetabilibus, aperientibus alias dictis, id eſt, incidendo, reſolvendo ac aperiendo agentibus: in acore humorum vero coagulatorio ſimulq; præcipitatorio terrea,

terrea, plus minus alcalina: ſicut, ubi ſpaſmi dolorifici urinæ excretioni obicem ponunt, his reſiſtere eosque delinire per ſemina lacteſcentia horumque emulſiones convenit. Quoad ſalium vero in humorum maſſa præpollentium diſparitatem, hincque variam ejus texturam & cohæſionem, hæc cuncta diuretica promiſcue admittit: ſed in habitudine ejus, naturali propinquiore, aut ad lixivioſum prona, acida, hinc ſal ſuccini volatile quoque, ſalſa & nitroſa uſurpanda; ubi vero acidum præcipitans ſeu fundens exuperat, ſalia lixivioſa & urinoſa, ac de his participantia, potius locum habent.

Ratione adminiſtrationis obſervandum, ut (1) potentiora eorum nunquam, niſi alvo aperta & abundantia humorum aliquando imminuta fuerit, propinentur: cum hi ad vias urinarias in majore copia derivati, his facile imbecillitatem quandam ſimileve præternaturale affricent; niſi forſan particularis magis fuerit hæc evacuatio, & renum, a calculo ſeu quavis re præternaturali obſtructorum, gratia adornetur, aut ſerum extravaſatū in hydrope fuerit, ubi ſine ulla mora ad diureſin, aliis evacuationibus poſthabitis, tranſire licet. Neque enim, prout nonnulli opinantur, ſudorifera illis ſemper, ſi conferunt, præmittenda, ſed illa his potius: cum minore impetu agant, vias etiam excretorias patentiores inveniant; ſi modo indicans adæquatum hoc poſtulet. (2) Diureticis in forma ſolidiore aſſumptis liquoroſum quiddam ſuperhauriendum, quo illa diluta promptius ad canalem ſanguinis & vias urinarias devolvantur: quod inprimis a vini potu expectandum. Neque tamen (3) poſt illorum uſum aut ſub operatione multa aquea aut volatilia aſſumat æger, diureſin præpropere intendentia: & ſi evacuatio hæc juſto largior contigerit, ſubauſteris & condenſantibus utatur. (4) Aſſumpto diuretico æger, ſi vires concedant, corpus blande moveat, non tamen ad ſudorem usque, quem in lecto etiam decumbens vitet. Cautelam (5) denique addunt cum *Cratone* aliisque hanc, ne cum paſtu, ſed jejuno, aſſumantur illa, ventriculo, ſicque chylum indigeſtum adhuc ſecum ad canalem ſanguinis abripiant: quod duplici obſervatione aſſeverare annititur *Hildanus cent. 3. obſ. 72.* quarum prior occaſione potus acidularum ſemen aniſi, altera grana alkekengi cum ſucco cancrorum doloris nephritici cauſa, aſſumpta, cum urina excreta, perhibet. Verum

Cautelæ circa adminiſtrationem illorum obſervandæ.

Etiam a paſtu diureticis uti licet.

ſuperius jamdum innui, nihil referre, diureticis etiam poſt cibum ſi quis utatur, nihilque damni hinc in corpus metuendum: quatenus chylus crudus poros inteſtinorum & oſcula vaſorum lacteorum ſubire nequit, eo, quod a fœcibus non ſecretus, aut ad ſeceſſum diſpoſitus, per conſequens meatibus his minus adæquatus exiſtat. Accedit, quod hiſtoriæ ab *Hildano* recenſitæ non teſtentur de diureticis repleto ventriculo hauſtis, proin minime ſint hujus loci; indigitent ſaltim nonnunquam cruda minusque congrua, per meatus occultos & modum occultum, a primis viis ad renes devolvi: imo ex poſteriore caſu obvium fit, omnino methodice, poſtquam nimium corpus expurgatum, ſemina Alkekengi aſſumpta fuiſſe, nihilominus cum urina rejecta. Quod attendens quoque *Salzmannus* in literis ad obſervationes Hildani reſponſoriis, vix ita noxiam commiſcelam urinam pellentium cum alimentis credit, niſi potentiorum ac frequentius uſurpatorum: facile tamen ego largior, majore forſan efficacia operari hæc, ſine ciborum admiſcela propinata.

Evacuatio per ſudorem,

Porro humores illos vitioſos, qui maſſæ ſanguineæ intertexti, aut tertiæ corporis regioni inhærent, quique vel ob ſummam ſui pravitatem, ut in morbis malignis, vel cæterarum viarum diſpoſitionem morbificam, alia ratione educi minime poterant, commodiſſime per habitum corporis & hydroticis eliminamus; inprimis, ſi ad alia loca haud vergant: imo habent inſuper diaphoreſis & ſudorifera hoc cum diureticis commune, ut, quæ non evacuant, alterent ſaltem & fluxiles reddant, adeoque ſanguini congrumato quoque motum reſtituant. Unde etiam forſan fit, ut primarum viarum cruditatibus hincque emergentibus ſymptomatis, v. g. vomitui, colicæ &c. levamen præſtent: non profecto, quod illas, earumque cauſas proximas ſudore eliminent, ſed quod ſub hujus per poros excretione, per hydrotica concitata, ſerum quoque copioſius ad ventriculum & inteſtina feratur, hocque fervidius & exagitatum magis, hincque ſolvendis heterogeneitatibus etiam hic magis aptum. Et, ſicut humores in vaſis alterant eadem ſudorifera, ſive ſolvendo, ſive abſorbendo; ſic veroſimilius, hæc pariter in ventriculi contenta, quæ immediate magis contingunt, agere.

etiam aliquando primarum viarum vitiis medetur.

Indicans E. hujus evacuationis primarium ſunt (1) humor

aqueus,

aqueus, utpote ad excretionem hanc proclivior: unde ſudorifera in catharrhis & anaſarca cauſam æque continentem, ac antecedentem, in cavitatum vero v. g. abdominis, thoracis, hydrope antecedentem tantum, eliminant. (2) Salſus, acidus aut quacunque acrimonia pollens, modo appropriatis diaphoreticis evacuatio hæc adornetur. Hinc quando *Sylvius meth. med. l. 2. c. 11. §. 3* humores bilioſos eam minus commode ſuſtinere ait, explicari poterit, ſi non per acidula ſimiliaque, quæ acrimoniam bilioſam ſimul temperant, ſed per alcalia & urinoſa, illa tentetur: Sine cujus cautelæ obſervatione ejusmodi recrementa bilioſa, per diaphoreſin commota, non raro in habitu & genere nervoſo æſtum ac mordicationes quam moleſtiſſimas concitant; perinde ac, dum ad primas & urinarias vias minus temperata derivantur, vomitus, diarrhæas, choleras, ſtrangurias, aut dictorum organorum dolores, eroſiones, atque inflammationes patrant. Pariter quando *Walæus meth. med. p. 62* acidos & auſteros humores, ſub nomine melancholicorum, per habitum expellere prohibet, concedi hoc equidem ipſi debet, ſi ſc. eorum pravitas nondum aliquatenus temperata fuerit: quia tamen illi ſudorifera blanda ac abſorbentia, nempe terrea, alcalica & urinoſa, admittunt, experientiæ ac rationi idem repugnat, ipſemet *Sylvius meth. med. l. a. §. 10. 15. & 16* etiam contrarium aſſerit. Spectant huc (3) pituitoſa ac glutinoſa ſanguinis recrementa, in ſe quidem per poros exiliores minus evacuabilia, quæ nihilominus per ſudorifera aromatica, amara & ſalina, inprimis volatilia, ſenſim attenuantur & ſolvuntur, ut facile poſtmodum per eosdem exterminentur: modo ejuſmodi ſubjecta ad ſudores non cogantur, ſed poſt repetitas demum medicamentorum hydroticorum propinationes ad ſudorem blandum diſponantur; ut taceam, hæc, ſi non evidenter evacuent, humores certe emendare ac ſolvere. Denique & (4) ſudoriferis cedunt humores maligni cujuscunque generis, ſive cum, ſive ſine febre, lædant, ita tamen ut poſterioribus purgantia combinare liceat, iis, qui cum febre, neutiquam. Quam hydroticorum & catharcticorum conjunctionem, quamvis nonnulli, v. g. *Rondeletius*, *Chalmetæus*, *Ballonius & Sennertus* in dubium vocent ob motus contrarios, quos non ſine magna corporis conturbatione præſtent, ab aliis nihilominus, v. g. *Nic.*

Indicantia ejus ſunt humores aquei.

It. acres,

viſcidi,

ac maligni.

Maſſa & modernis multis commendatur, eamque experientia quotidiana ac ſucceſſus ſalutares confirmant.

Prohibentia hujus evacuationis. Sicut proin ſerum vitioſum eſt, quod per poros evacuatur, ita inter prohibentia primum locum tenet, ſi idem aut deficiat, aut nimis abundet. Quemadmodum enim parcius, v. g. in hecticis, magis exhauritur, hinc ſpicula humorum acriora concentrantur, & non, niſi cum κακοφορίᾳ ſeu ſumma difficultate prodeunt, ut in aſciticis & hydrope pectoris laborantibus, quorum urinæ lixivioſæ valde; ita exuperans nimis commotum moleſtias ac ſymptomata varia, v. g. cephalalgias, aliquando excitat. Deinceps ſudores ſi non prohibet, certe differre jubet viſcidum, ventriculo æque impactum ac ſanguinis maſſæ intertextum, & reſolventia atque incidentia, imo catharctica utriusque generis, præparatoria & imminuentia, poſtulans. Quod in plerisque morbis, qui moram concedunt, attendendum, ſc. ne, niſi præmiſſis alvum purgantibus, ſudores moveantur; ne vel dicta humorum copia, vel viſciditas, vel acrimonia, intempeſtive exagitata & ad habitum coacta, aut intra vaſa & viſcera, aut in externis, moleſtias novas paret: in illis nimirum obſtructiones, in his laſſitudines, paralyſes, dolores ac vitia cutanea, vel hæc graviora reddat; ut in febricitantibus & ſcabioſis crebro evenit, in quibus paroxyſmi intenduntur, ex intermittente ſimplici duplex aut continua fit, & ſcabies moderata ac levis in fœdam & contumacem abit, digeſtione nimirum tertia per incongruum materiæ vitioſæ motum omnimode depravata. Tertio etiam hic parcendum viribus, cum ſerum, quod ſudando excernimus, non totum excrementitium ſit: diſcernendo tamen pariter ſuppreſſas, v. g. in febribus malignis, ſuffocatione uterina, a diſſipatis; & ex ſudoriferis blandiora tantum propinando, ac cum roborantibus miſcendo atque alternando, ad ſudorem quoque non cogendo, eumve exprimendo, ſed tantum dirigendo ſeu moderando. Sicut evacuationem hanc quarto quoque diſſuadet habitus corporis denſior, utpote ex quali vix ullo conatu ſudorem exprimere licet, ad hunc coacti potius animo deficiunt, palpitationi cordis ſimilibusque ſymptomatis exponuntur. Nec quinto illis ſudorifera facile propinanda, qui ſudoribus diffluunt, v. g. hecticis: neque demum obeſiores ſudoribus temere macerandi.

Tempus,

Tempus, & quidem neceſſitatis, indicantis viriumque præſentia innuit; quamvis in febribus, niſi morbus in primo ſui principio, coctio quoque humorum expectanda veniat: cujus intuitu in morbi ac paroxyſmi declinatione demum ſudorifera potiſſimum proſunt; in morbis vero, quos a pororum ab aëre ambiente conſtipatione, ſanguinis & lymphæ ſtagnatione aut malignitate dependere conſtat, mox ſub primo eorum inſultu conveniunt. Electionis vero tempus quod ſpectat, commodum erit omne illud, quo primas vias vacuas novimus: hoc enim promptius promanat ſudor, nec prima coctio turbatur; cum alias inter ſudandum lympha ad habitum copioſius convertatur, ventriculus eadem defraudetur, hinc digeſtio lædatur, chylus quoque per vaſa lactea devolvendus vehiculo ſuo deſtituatur. **Tempus.**

Circa adminiſtrationem hydroticorum monendum, 1. ut, ſi humorum viſciditas illam moretur, hæc prius per incidentia corrigatur, quamvis pleraque eorum eandem vim habere, ſuperius dictum; quibus aſſumptis blande ad ſudorem diſponatur æger, ut illa, ſi hunc non pellant, ſaltem humores corrigant ac præparent. Nec 2. mox ab aſſumpto medicamento ad ſudorem urgeatur idem, ſed aliquo demum temporis ſpatii, bihorii vel trihorii, elapſo; i. e. poſtquam reſolutum ſeu actuatum demum in corpore illud fuerit. Neque 3. integumentis nimis & eousque obruatur, ut animo delinquat, cum ſatius ſit, nullum, quam violentum, prodire ſudorem: & blande magis ac cum majore tolerantia movebitur hic in laconico, quam ſub ſtragulis & culcitris, inprimis ſi hoc per ſpiritus vini flammam, lateres ignitos cruribus ſuppoſitos &c. incaleſcat, ſic enim ab integumentis minus premitur, & ſudorem ſibimet commodius detergere poteſt, aut potius in lecto nudis jacentibus imponatur laconico ſimile operimentum, manente capite extra hoc. Inepte vero 4. illi agunt, qui inter ſudandum omni potu interdicunt: cum poſt cereviſiæ ſimilisve potulenti hauſtum per aridiſſimam alias cutem aliquando copioſi prodeant ſudores, vires etiam defatigati hinc ſenſibiliter reſtaurentur. Nec 5. adſtipulandum his, qui ſumpto ſudorifero ſomnum diſſuadent, v. g. *Kyperus inſt. l. 4. c. 14*, praxi nempe contrarium aſſerente, adeo ut opiata ſudoriferis admixta ſudoris excretionem mul- **Cautelæ in ſudoriferorum adminiſtratione obſervandæ.**

tum juvent. Præterea & 6. in hac moderanda circumſpectione opus eſt, ita ut, ſi per morbi conditionem liceat, ſemel de die ſudare ſufficiat, ne vires ſubito nimis evaneſcant: interdum tamen ſi ejus vehementia plus urgeat, intra nycthemeram bis aut (v. g. in peſte) ter, illud reiterare convenit, modo vires reſpondeant. Male tamen 7. ægrorum rebus conſulunt, qui hos quinque aut ſex horas ſudare jubent, cum una vel altera ad ſummum ſufficiat: id eſt, ſudori tantum indulgendum, quantum natura citra languorem ferre valet.

Medicamenta ſudorifera, quorum catalogus ex Pharmacevticis petatur, commode diſtingvuntur in fixiora & volatilia: quorum illa ſegnius, hæc celerius ac potentius, agunt, item modo ad hos, modo illos, humores alterandos atque corrigendos idonea magis deprehenduntur. Cuncta videlicet ſudorifera ſanguinem rarefaciunt, & in motum plus minus vehementiorem cient: quorum alia hoc præſtant immediate ac mediate, alia mediate tantum. Prioris generis ſunt ſalia urinoſa, alcalica & ſalſa, vegetabilia amara & aromatica ſeu ſalino-ſulphurea temperatiora, alexipharmaca communiter dicta; qualia ſingula vi ſanguinem reſolvendi, fundendi & exagitandi pollent. Mediate vero magis ſudorem cient, ſeu ad hunc diſponunt terrea, tam mineralia, quam animalia, quæ aut ſalis parum habent, aut hoc minus evolutum gerunt, v. g. Terra ſigillata, Antimonium diaphoreticum, Cornu cervi, Lapis Cancrorum, Bezoar &c. una cum acidis v.g. Aceto, ſpiritibus Lignorum, viſcidum incidendo & carminando. De ſulphure & Cinnabari hæreo, cui eorum claſſi accenſere hæc debeam, utrumque horum quamvis ſudorem ſtrenue moveat.

Fonticuli, Setacea ac Veſicatoria univerſaliter quoque evacuant.

Fonticulos, Setacea ac Veſicatoria evacuationibus univerſalibus omni jure accenſemus, quæ tamen ſecundario averſionis quoque humorum gratia adminiſtrantur: quamvis Fonticulum cum Setaceo & Veſicatorium hoc diſcriminis intercedere videatur, quod hoc utplurimum in affectibus, qui celeriore evacuatione indigent, locum habeat, eorumque cauſam conjunctam tollat; illa vero præſervativum tantum remedium exiſtant, adeoque non, niſi longiore temporis mora, effectum ſenſibilem præſtent.

Sc.

Sc. Fonticuli & Setacea ulcera arte parata ſunt, quæ non tantum humores ad cutem & hujus glandulos derivatos, ſed recrementa quoque ſeroſa, ſub cute & per muſculorum interſtitia fluctuantia, educunt: ut evacuantia tamen particularia quoque fluidum huic vel illi membro impactum aut intra ejus cavitatem congeſtum elutriant. Vulgo interim concedi nequit, materiam illam Fonticulorum & Setaceorum ſanioſam omnem recrementitiam ac pravam eſſe, ſed Lympha potius maximam partem laudabilis, cui recrementa morboſa intertexta, hæc videtur, quæ, ſi pars cauteriſata ac perforata integra relicta fuiſſet, in hujus nutrimentum cederet, ſicut poſt *Helmontium Cauter.* §. *9. 10. ſeq. Hœferus Herc. med. t. 1. p. 24. & 26* evincit: ita quidem, ut non tantum membra, quæ ejuſmodi fontanellas gerunt, aliquando evidenter contabeſcant, ſed, ſi earum plures geſtentur & nimis fluant, totius nutritionem conturbent. Concludimus proin cum allegato *Helmontio*, fonticulum & ſetaceum non humores vitioſos tantum, ſed ſerum quoque laudabile diminuere atque evacuare: hinc affectibus ab abundantia ſeri hujuſque motu impetuoſiore aut ſtagnatione oriundis, appropriata exiſtere remedia.

Fonticuli & Setacea unde evacuent?

Et quidem lympham vitioſam æque ac nutritiam.

Affectuum horum prolixiorem catalogum ſubminiſtrat *Glandorpius gazophylac. cap. 16.* ſc. cephalalgiæ, vertiginis, apoplexiæ, ophthalmiæ, ſuffuſionis, aſthmatis, ſtrangulationis: licet, cum hi non eandem ſemper cauſam foveant, i. e. præter ſeri vitia alios non raro agnoſcant fontes, nec ſemper ipſis hæc remediorum genera quadrare, ex dictis eluceſcat. Certum nihilominus eſt, morbis non tantum particularibus, horumque cauſis, fonticulos mederi, quatenus v. g. ſerum & pus cavitati corporis aut apoſtemati incluſa educant, dum paracenteſi thoracis atque abdominis, item abſceſſuum evacuationi inſerviunt: ſed univerſalibus quoque magis ſeu talibus, qui membra plura ſimul & a fonticuli loco ſatis diſſita affligunt, auxilium præſtant. Quippe primo per ulcera ſponte exorta catharri aliaque lymphæ vitia evidenter corriguntur: deinde a fonticulorum formatione febricula & partis cauteriſatæ inflammatio ſeu eryſipelas, ut ſalutaris effectus ſigna, expectantur, prout *Scultetus armam. chir. part. 2. obſ. 59* annotavit: ac tertio pro diverſa totius aut harum illarumve partium diſpoſitione eorum ulcera modo copioſius, mo-

Quibus affectibus medeantur?

do

do parcius, fluunt, imo interdum omnimode areſcunt ſeu ſupprimuntur.

Quibus demum accedit experientia, qua, multos affectus, capitis, oculorum, pectoris &c. ſatis graves & pro deploratis habitos, poſtquam eadem aliquandiu geſtata fuerunt, evidentiſſime corrigi ac levari, convincimur. Non allegabo meam, ſed *Hildani cent. 4. obſ. 74.* dum quendam viſcerum obſtructione, imbecillitate ventriculi, tumore abdominis & crurum œdematoſo, cibi faſtidio, ſiti intenſa, aliisq; cachexiæ enormioris ſymptomatis laborantem, poſt remedia alia irrite applicata, fonticulo popliti inuſto brevi & præter omnem ſpem fuiſſe reſtitutum perhibet, humoribus vitioſis ex toto ad fonticulum a natura detruſis, ut poſthac ſine aliis remediis ſanus & incolumis vixerit.

Habitus gracilior quando hæc evacuatoria prohibeat?

Communiter, ut contraindicans ſeu prohibens ejuſmodi evacuatoriorum inſtrumentorum, gracilior corporis habitus annotatur: aſt, quia gracilitas non ſemper a ſeri nutritii defectu dependet, ſed interdum hujus abundantia illi combinatur, aut ab acrimonia ſimiſive ejus vitio ejuſmodi macilentia aliquando fovetur, nec in omnibus gracilibus, ſed illis tantum, penes quos alimenti defectus ſupponitur, fonticulorum ac ſetaceorum uſus vitandus. Potiores & majoris momenti cautelæ ſunt, quas *Williſ. Ph. Rat. part. 2. ſ. 3. c. 4* ſuppeditat, duo inprimis hominum genera ab hujus remedii toleratione excuſari, nimirum in quibus emiſſarium hoc aut nimis, aut parum admodum, evacuat, hisque dolorificum valde exiſtit. Obſervatur ſiquidem, in quibusdam ſubjectis fonticulos non tantum copioſiorem, ſed corruptam quoque ſatis, humiditatem fundere, quæ aquoſior atque fœtida globulum, emplaſtrum & faſcias colore peregrino inficit, hæc ac partes vicinas corrodit & cum carnibus vires conſumere videtur: quatenus nempe in ejuſmodi cachecticis ulcera hæc brevi fœtida ac virulenta evadunt, hinc ſerum atque ſanguinem magis corrumpunt. A qua ſucci nutritii corruptela ſpirituum robur infringitur, etiam in his, quorum fonticulus mediocrem ſatis ichoris quantitatem fundit, quique nihilominus hinc langueſcunt ac marceſcunt, interdum etiam ad prolificationem inepti evadunt. Contra aliquando fontanellæ ac ſetacea plus doloris creant, quam fluunt,

fluunt, quibus nempe ſanguinis maſſa denſior & ſero minus diluta exiſtit: unde hæc circa partem eroſam ſtagnat, parum ſeri deponit, phlogoſas vero dolorificas ciet.

De cœtero ante ſufficientem corporis per ſanguinis miſſionem & purgationem humorumque acrium contemperationem ejuſmodi emiſſaria haud excitentur: non quaſi hæc non æque univerſaliter evacuent, ſed quoniam via hæc excretoria anguſta ſatis, hincque metuendum, ne quantitas ſanguinis & ſeri nimia ad partem cauteriſatam depoſita & non mox evacuata, ſed per aliquot dies ibi congeſta, hanc ſymptomatis periculoſis exponat, v. g. inflammationi graviori, quemadmodum *Lanfrancus tr.3.doctr.3.c.18* ſcribit: *plures vidi, qui aliquibus, plenis humoribus faciebant ſub genu cauterium ante purgationem, unde propter nimiam humorum defluentiam crura tumebant, adeo ut locus cauteriſatus corrumpebatur & cancer ibi fiebat.* Simile exemplum *Bonetus recenſet Mercur. compit. p. 727* de quodam ſibi apoplexiam metuente, qui neglecto conſilio de præmittendis evacuationibus aliis a Chirurgo protinus brachio pyroticum imponi poſtularat, a quo poſtridie fluxio in pulmones ad Peripnevmoniam usque & brachium ingens cum diarrhæa concitata fuerit. **Ante horum uſum corpus præparandum.**

Locum fonticulorum quæ determinent, ex Chirurgicis & praxi ſpeciali ſupponendum. In genere notandum monitum *Mercati de indic. med. lib. 1. c. 16.* ne quis membri recipientis affectu & miſeria decipiatur, & juxta hoc fontanellam aperiat, ſi fluxio aliunde provenerit; ſed expedire, fluxionis originem ſemper exquirere, ac huic remedium affigere: alioquin impoſſibile eſſe, quin aut majus, aut novum, præſtet damnum; cum hæc ſit præſidii hujus potiſſima ratio, nimirum ut materiam fluxui aptam, per diſtantem a parte, cui damnum infert, regionem expurget. Qualis tamen cautela vix perpetua eſt, aut non ſine diſcretione admittenda, quin aliquando ipſi parti morboſæ, modo nondum valde debilitatæ, inuratur fontanella, v. g. ipſi capiti in ſymptomatis cephalicis, aut artubus, ſi nimirum vel per cauſam magis univerſalem, i. e. ex toto confluxum, aut propter particularem in membro congeſtum, ſine communicatione cum alia, tanquam mittente, morbi & ſymptomata his eveniant: quemadmodum ipſi cruri tumido & ulceribus contumacioribus gra- **Locus fonticulorum.** **Aliquando ipſa pars affecta.**

vato, evacuationis ac interceptionis gratia, fonticulos aliquoties admotos novi. Cui conſilio etiam favet illud *Hippocratis 6. aph. 60. Celſi 4. cap. 20.* ac *Tulpii 3. obſ. 26.* dum in malo iſchiadico coxæ inuſtionem, tanquam ſaluberrimum remedium, commendant: imo *Sennertus* ex ulcere diuturno in crure aut brachio conſolidato, ſi contigerit membris his arthritis, fonticulum in iisdem commendat.

An occludi poſſint fonticuli?

Perſuaſum ſibi habent nonnulli, fonticulos inuſtos nunquam obturari poſſe aut debere, autoritatem *Cratonis* inprimis allegantes, ex conſolidatione illorum mortem obtigiſſe, aſſerentis: quod tamen pariter haud perpetuæ veritatis; & mali ominis eſt eorum exſiccatio, quæ fatiſcente natura, non vero a defectu materiæ peccantis, contingit, ſeu ubi hæc retenta viſcerum corruptionem aliosque graviores morbos gignit. Quale quid forſan concipiendum in fœmina illa, de qua *Horſtius 9. obſ. 15* refert, quæ a multis annis pedem unum graviter exulceratum, in altero fontanellam, geſſerat, hujus vero moleſtia defeſſa conſolidari illam curaverat, hinc ſpirandi difficultatem, poſtmodum totius, ob humores ſtagnantes, tumores tandemque mortem perpeſſa fuerat, reperto in ejus cadavere prope lienem abſceſſu rupto. Cui ſimile, quod de alia quadam narrat *Scultetus armam. chir. part. 2. obſ. 16*, quæ cruribus ſuis, cancri in mamma extirpandi cauſa, inuſtos fonticulos, poſtquam tumor ille reſolutus, & dum ſibi ſaniſſima videbatur, coaleſcere permittens, paulo poſt de novo in altera mamma tumore conquerebatur, donec eo per ferrum remoto ambos fonticulos refricare paſſa fuerit. Sc. non facile conſolidanda ſunt ejuſmodi ulcera in ſubjectis cachecticis, quæ multum ichoris cum levamine affectus morboſi profundunt, hic tamen nondum omnimode ceſſet: contra in purioribus corporibus & ſi ſymptomata, quibus avertendis fonticulus deſtinabatur, diſcuſſa, ſecure magis hunc claudere licet, cum, ſi diutius maneat, pars ac totum genio & robore congruo defraudetur. Inſuper & ante omnia perpendendum eſt naturæ robur, an geſtationis tempore illa vegeta ſatis extiterit, pro materia morbifica digerenda, aut an hæc aliam interim quæſiverit ac invenerit viam: quales circumſtantiæ pariter conſolidationem ejus permittunt, ita tamen ut frequentiores catharſes, ſanguinis miſſiones cum aliis evacuationibus poſtmodum celebrentur

Circumſtantiæ in fonticuli occluſione obſervandæ.

& fon-

& fonticulo ſuccenturientur. Inſimul vero etiam attendenda erit ætatis diſparitas, cujus intuitu in infantibus fonticulus, qui v. g. epilepſiæ diſcutiendæ gratia inuſtus, ſi intra annum nihil hujus eos corripiat, ſub congruo victus in nutrice & infante regimine, medicamentorum malo fomitem ſubtrahentium adminiſtratione ac generis nervoſi roboratione, tuto conſolidatur: in homine vegetioris ac conſiſtentis ætatis, ſi ſymptomata evaneſcant, ſenſim imminuto globulo deleri poteſt hæc apertura; vel, quæ in capite aut nucha hactenus fluebat, commutari prius cum fonticulo in brachio aut crure, & hic demum poſt anni fluxum obſerari: in ſenibus fontanella vix unquam ſecure ſupprimitur, iis potiſſimum, in quibus vigor vitalis deficit & ulcuſculum copioſiore ichore manat; utpote qui cruditatibus digerendis minus ſufficiunt, catarrhoſis tamen ac cerebri ſymptomatis frequentius exponuntur.

Aliquando ab arctiore juſto faſciæ conſtrictione fonticulus exareſcit, ob vaſorum nimiam compreſſionem; qualem ſiccitatis cauſam chirurgi haud ſemper obſervantes, fruſtraneis multis conatibus & ulcuſculi irritationibus priſtinum fluorem ipſi reſtituere contendunt, ac irritis etiam his mala ominantur inſtare: dum interim circumſpectior relaxata faſcia locum fonticuli compreſſum & omni carne fere deſtitutum deprehendens, illius conſtrictioni nimiæ exſiccationem hanc inopinam in acceptis refert, & vinculo vel ad tempus omnimode remoto & per emplaſtrum tenax, ordinario ſuperimpoſitum, hoc cum globulo firmato, vel laxius poſtmodum applicato, membro naturalem carnoſitatem & cum hac fontanellæ uberiorem humiditatem reſtituit.

Fonticulus cur aliquando exareſcat?

Exareſcentiæ hujus medela.

Quæ de Fonticuli prohibentibus, permittentibus ſimilibusque recenſita fuerunt, in Setacei adminiſtratione pariter locum habent: cum hoc non, niſi Fonticulus, inciſione, aut potius perforatione, paratus, ſit. Veſicatoria vero, tanquam temporaria tantum emiſſaria, hoc peculiare habent, ut in humores ac ſpiritus vim ſuam exerant, illos evacuando & revellendo, in hos ratione doloris & irritatarum in hac vel illa parte fibrarum ſenſibiliũ, per quam ſpiritus torpidiores excitant ac in motus cient, imo eorum motus perverſos, intra principium nervorum, horumq; unam vel alteram ramificationem, avertendo

Veſicatoria quomodo agant?

Agunt quoque in maſſam ſanguineam.

tendo retundunt ac corrigunt. Neque tamen adeo improbabile eſt, quod *Williſius* ſuſpicatur, laticem ſeroſum in parte eroſa aculeos cantharidum (quæ veſicatoriorum ſolennior baſis) imbibere ſecumque ad maſſam ſanguineam vehere, a quibus hæc evidenter alteretur, corrigatur & volatiliſetur: cui conjecturæ lucem eximiam præfert vel hoc potiſſimum, quod aſſumptæ non tantum, ſed extrinſecus quoque admotæ, cantharides ardorem urinæ ac ſtranguriam moveant; quod ſine penitiore earum particularum ſalino-volatilium in ſanguinem ſubingreſſu hujusque compagis diſſolutione fieri haud poterat. Quibus accedit, quod *Panarolus pent. 4. obſ. 2* annotavit, Medicum quendam imperitiorem, poſt phlebotomiam mane peractam, veſperi veſicantia brachiis applicuiſſe, unde media nocte, dum hæc vim ſuam aggrederentur vena ſecta reſerata impetuoſiſſima ſecuta fuerit hæmorrhagia, quæ ægrum brevi e medio vivorum ſuſtulerit: addo quod cantharidum incautior applicatio corporis habitum moleſtis puncturis undique vellicet ac caput ad vertiginem usque evidenter concutiat. Quæ dubitare haud concedunt; emiſſarium hoc præter lympham cutaneam ſerum ex toto educere, perinde ac Fonticulus & Seto: quibus, cum celerius & intra paucas horas activitatem ſuam exerat, & potentius revellat, ubi morbus nullas inducias concedit, merito præfertur.

In morbis acutis præfertur veſicatorium fonticulo &c.

In quibus affectibus proſint veſicatoria?

Qua varia in ſanguinem & ſpiritus animales actione apprime prodeſſe obſervantur veſicatoria in febribus cujuscunque generis, intermittentibus pariter ac continuis, & harum quoq; malignis valde, in partium quarumvis doloribus a ſeri decubitu, tumoribus ſeroſis, cephalalgia, vertigine, affectibus ſoporoſis & ſpaſmodicis, defluxionibus catarrhalibus ad oculos, fauces & pulmones: & dolores fixi partium nervoſarum crudeliſſimi, qui nullis aliis remediis evacuatoriis compeſci poterant, per hæc brevi & radicitus extirpari deprehenduntur. Dolori coxendicis & iſchiadico ſive cuivis arthritico quantum levaminis præſtent, præter *Hildanum 6. obſ. 98. Paræus l. 17. c. 18.* & *Scultet. arm. chir. part. 2. obſ. 62. & 73* innuunt, ac confirmat quotidiana praxis; cui jungere e re erit ex *Severino chir. trimembr.* de dolore gallico in genu adoleſcentis cujusdam, contracturam cruris & inceſſus privationem minitante, quam cum illo remedium

dium hoc ſuſtulerat: imo peſtilentialibus bubonibus evocandis & ſolvendis multum conferre idem *Hildanus* l. a. *Ingraſſ. de peſt. part. 4. c. 28. Diemerbroc. de peſte l. 3. c. 12.* atque *Barbetti de peſte p. 28* perhibent, meminique in peſte noſtrate ultima veſicæ excitatæ & ruptæ applicatum emplaſtrum diachylum cum gummat. & cataplaſma emolliens, per cutem denudatam hujusque poros, pus non ſemel ſub guttularum albicantium forma eduxiſſe. In affectibus capitis, vertigine v. g. epilepſia & ſymptomatis comatoſis, eximiæ virtutis eadem obſervantur veſicatoria majora, vertici & ſincipiti ſeu latiori capitis ſummitati applicata, prout quidem a *R. a Fonſeca 2. conſ. 80.* poſtmodum a *Riverio*, paſſim commendantur, ego non ſemel expertus fui, & confirmat exemplo ſingulari ex communicatione *Sponii Bonetus Mercur. compit. p. 950* in quodam, cui ſenſus omnes ſubito intercepti, & multa alia in caſſum fuerant exhibita, per ejuſmodi magnum & majori capitis parti applicatum veſicatorium ad ſenſus atque loquelam eousque redierit, ut animæ & rei domeſticæ conſulere prius potuerit, antequam fatis cederet. Olim equidem ipſi parti dolenti aut quacunque defluxione laboranti veſicatoria, quaſi plus attrahant & malum augeant, applicare ambigebant: quod tamen tuto, niſi inflammatio ſubſit, fieri poſſe, præter recenſitos modo caſus praxis quotidiana docet.

Non in omnibus tamen ſubjectis.

Sub hac modo prudentia, ne indifferenter & ſine disquiſitione in ſubjectorum conſtitutionem individualem omnibus admoveantur, cum non pari felicitate in omnibus operentur, ac nonnullis moleſtias non leves creent: quod, fateor, tamen vix a priore, ſed a poſteriore & per experientiam demum, dignoſcimus. Nimirum penes quosdam textura vaſorum urinariorum adeo tenera eſt, ut ab uſu cantharidum mox in ſtranguriam, dyſuriam & mictum cruentum conjiciantur, & inter hos potiſſimum calculoſi: aliis a ſymptomatis his immunibus & activitatem illarum commode ferentibus: de quo ſi conſtet, ſane delicatulis illis ac calculoſis haud facile, hoc eſt non, niſi pro majore malo, v. g. febre, affectu ſoporoſo, avertendo, & ſub exiliore cantharidum doſi, his liberius & liberalius, concedi debent. Præter quod hominum genus, in quo remedium hoc evacuatorium non ſine moleſtia exquiſita agit, annotante *Williſio*, adhuc obſer-

In quibusdam parcius, in aliis

copioſius, evacuat. obſervantur, in quibus illud aut parcius, aut copioſius, juſto movet. Prius frequentius experiuntur bilioſi, & qui ſeri parum, multum ſalis acrioris, in ſanguine gerunt: quorum cutem quidem illud inſigniter & ad inflammationem usque rubificat & excoriat, ulcuſcula tamen hinc facta, etſi valde crucient, ichoris tantillum, aut nihil, profundunt, dum interim atrociore ſtranguria, ad micturitionem cruentam usque, vexantur ejus vim perpeſſi. Sine dubio, quod ſerum, particulis cantharidum acrioribus diluendis & abſtergendis alias commodum, in loco rubificato deficiat, illæ interim cutem profundius & ſanguinem uberius penetrantes & corrumpentes, ejus circuitum conturbando ſtagnationes faciant: ſerum vero parcius dum virulentiam & acrimoniam medicamenti minus diluit ſeu temperat, acrius redditum veſicam moleſtius vellicat atque erodit. Contra quibusdam, etſi paucioribus, evenit, ut veſicæ a medicamento elevatæ ac apertæ illico ſerum in majore copia dimittant, ut, niſi virium evaneſcentiæ ſeu exſolutioni connivere malimus, topica repellentia ac cicatriſantia applicare cogamur; nec hæc tamen paria ſemper fontibus his occludendis deprehendantur. Qualia ſi innoteſcant, aut nos eorum admoneamur, deinceps a cantharidum uſu, quantumvis neceſſario, abſtinere rationi conſonum videtur.

Præmittenda catharſis & venæſectio. Porro etiam hic advertenda cautela, quam circa fonticuli adminiſtrationem, inſinuavi, ne, niſi univerſalibus aliis præmiſſis, Venæſectione ac Catharſi potiſſimum, remedium hoc admoveatur, ne ad locum veſicatum ſeu ſinapiſatum impetuoſius ruant ex toto humores: quale in quodam, qui tumore genu pituitoſo laborabat, ab incautius & intempeſtive applicato Veſicatorio contigiſſe, *Hildanus l. a.* commemorat. Cantharidum quantitas. Neque in quantitate Cantharidum temere excedendum, ſed maſſæ excipienti, ſive pro emplaſtro, ſive cataplasmate, formando, parum tantum earum, v.g. drachma dimidia vel integra, hujus unciis duabus circiter, admiſcendo: etiam huic doſi tantum ſubtrahendo, quantum cœterorum rubefacientium, v.g. euphorbii, ſeminis Ammii &c. acceſſerit. Quando veſica excitata occludenda? Demum in occludendis his emiſſariis minus feſtinandum, i.e. permittantur, donec vel ſponte occalleſcant, vel ſymptomata penitus evanuiſſe conſtet, aut, ſi de recrudeſcentiæ eorum aliquis adhuc metus ſit, commodis emplaſtris, v.g.

albo

albo cocto, de meliloto, aliquando hoc cum tantillo pulvere cantharidum acuando, fluxus horum diutius conſervandus erit: cum experientia teſtetur, per ulcuſcula veſicatorii, quæ primis diebus modico tantum ichore manabant, naturam poſtmodum, critico quaſi motu, ingentem ejus colluviem, per multos dies, ejicere, cui conatui ſalutari reſiſtere periculoſum eſt, & graviter recidivant, qui tale quid concedunt. Quod exemplo medici cujusdam illuſtrat *Williſius*, qui a febre maligna ægre convaleſcens, cum in diverſis corporis locis veſicas apertas, ichorem copioſiſſimum exſudantes, haberet, paulo poſt, harum pertæſus, potentioribus repellentibus earum fluxum repreſſerat: poſt biduum vero recidivam cum pulſu debili, crebris deliquiis, ac ſudore frigido tandemque mortem inopinam, experiebatur.

Caput XVI.

De *Evacuationibus Particularibus.*

An omnes evacuationes medicæ, quæ ad claſſem hanc communiter referuntur, particularium nomen pari jure mereantur, dubitare forſan licet: dum apophlegmatiſmi, ſternutatoria & expectorantia non ex capite & pectore tantum, ſed ex remotioribus quoque corporis receſſibus, humores peccantes educere videntur: adeoque medicus per ea quoque naturam imitatur, v. g. ſternutationem & expectorationem excitando, quatenus & hæc per coryzam aut tuſſim lympham ſtagnantem aut quocunq; modo pravam, ex toto eliminat. Sc. originem traxit illud dogma ex hypotheſi, quaſi ex capite deriventur humores, ſternutatoriis & apophlegmaticis educendi: & intra pulmonum veſiculas congeſtus tantum mucus tuſſi rejiciatur: quam nihilominus non quadrare, ſana ratio dictitat. Niſi forſan dicere placeat de expectoratione, evacuare hanc mucoſitatem ad pulmones magis, quam ad alia organa, vergentem, & per conſequens particulariter magis: Sternutamenta ſerum, quod per lacinias tubuloſas oſſis cribriformis ad nares tendit, ac in tunica harum glanduloſa ſecernitur: ſicut deniq; apophlegmatiſmos illud, quod ad glandulas buccarum & faucium deponitur. Aſt,

Quam congrue evacuationes particulares tales dicantur?

Sunt communes & propriæ.

Aſt, quicquid hujus ſit, dividamus primo has evacuationes in inſenſibiles ſeu apparenter tales, & pluribus membris communes; ac organis his vel illis excretoriis proprias. Prioris generis unica eſt, diſcuſſio ſc. ſeu Reſolutio, per quam humores in membris externis variis ſtagnantes non tam, ut vulgo tradunt, per habitum & poros partium externos, ſub tranſpirationis ſeu exhalationis ſpecie, educuntur, quam, ut a vaſis congruis reſorbeantur, ad canalem ſanguinis redeant, diſponuntur: Scilicet per modum attenuationis & priſtinæ fluxibilitatis reſtitutionis, ſimulque partium fibroſarum roborationis. Quippe tumores ingentes ſatis, & quorum cauſam conjunctam vel plane non, vel non adeo commode, ſanguinem nempe ac ſerum, in vaporem reſolvere licebat, ſine ſenſibili nihilominus partis tumidæ madore, brevi ſatis diſſipari ſeu diſcuti obſervamus: atque hoc quidem, ſi critici illi extiterint, aut aliquid malignitatis iis ſubſit, v. g. arthritici, peſtilentiales, cum moleſtia & periculo ſanitatis & vitæ; reſorpta ſc. & redeunte ad maſſam ſanguineam materia peccante, hactenus ſecreta & ad partem tumidam depoſita.

Diſcuſſio ut fiat?

Quibus morbis quadret?

Atque hanc quidem inſenſibilem evacuationem, metaſtaſin potius ad intra dicendam, pauciores tantum admittunt affectus, utpote lentam valde, & quæ ideo morbo, a majore humorum exuperantia dependenti, haud proportionata exiſtit, v. g. aſciti, quem ejusmodi reſolventia minime tollunt, ſolvunt tamen hydrocelen. Imo, niſi per evacuationes univerſales humorum abundantia aliquatenus imminuta fuerit, metuendum, ne laxatis per diſcutientia mera meatibus, plus cumulentur illi. Inſtrumenta huic ſcopo miniſtrantia, præter frictiones & fomentationes actu calidas, ſunt topica aromatica & ſalina, ſpiſſitudinem humorum p. n. quæ incidendo corrigunt, hinc ſtagnationem eorum ſolvunt, ſimul tamen fibris nerveis robur & contranitentiam imprimunt. Quorum intuitu evidens redditur, cur in principio potius tumoris, i. e. ubi humor ſtagnans fluiditate aliqua adhuc pollet, & fibræ per minorem ejus congeſtum adhuc minus extenſæ, quam in incremento & ſtatu, diſcuſſionem moliamur & felicius præſtemus: ratio etiam comparet, cur in eodem primo affectus principio vel ſola, loco diſcutientium, repellentia, vel his commixta, admoveamus, quæ nimirum fibras tenſiles contra impulſum

Inſtrumenta reſolventia ſeu diſcutientia.

Cur in principio potius morbi diſcuſſioni locus?

Cur in principio repellentia

pulſum humorum minus proportionatum firment, ſeu, ut *Sanctorius* *art. parv. c. 95* ait, quæ per quandam e parte expreſſionem diſcuſſionem juvent. Demum per hanc reſolventium ætiologiam trito illi aſſerto *Mercati* aliorumque contradicere licet, qui topicis diſcuſſoriis ceram aliaque emplaſtica admiſcere verentur, eosque, qui ita agunt, plurimum errare & fucata ratione deceptos ajunt. Quippe quod illi ſupponunt, reſolutionis negotium non per cutis poros fit, ſed per modum quendam repulſionis ad vaſa: neque reſinæ gummata, ſimiliaque emplaſtica & glutinoſa emplaſtrorum diaphoreticorum ac reſolventium efficaciam præpediunt, modo hæc tempeſtive applicentur, quin potius eam ſuffulciant, fibras intra feries ſuas continendo ac conſtringendo, eorum pleraque, v. g. terebinthina, gummi ammoniacum, galbanum & ſimilia, v. g. in Emplaſtro Diachylo cum gummatis, Diaphoretico Mynſichti ac Zwelferi.

ſimul conveniant? Etiam ceram ſimiliaque viſcoſa diſcutientibus admiſcere licet.

Quæ ſenſibiliter magis evacuant, horum alia Capiti dicuntur deſtinata, alia Thoraci, alia Ventriculo, alia Inteſtinis, alia Veſicæ, alia Utero, alia Cavitatibus corporis naturalibus quibusvis, alia Tumoribus atque Abſceſſibus, materia præternaturali turgidis: & quidem modo per vias naturales, ſc. palatum, os, nares &c. modo per arte paratas v. g. per Trepanationem, Paracenteſin, Lithotomiam, &c.

Ex certis partibus & ſenſibiliter magis evacuantia.

E capite materiam peccantem educunt, aut ejus ad caput affluxum intercipiunt, evacuantia per nares ac palatum ſeu fauces. Quæ per nares operantur, duplicis itidem generis ſunt, Errhina nempe ſine ſternutatione, & Ptarmica ſeu Sternutatoria cum vehementiore & expiratoria corporis concuſſione, quæ movent: utraque Caputpurgia appellata: videlicet ex vegetabilibus aromaticis blandiora, æque ac acriora, ſeu cephalica pleraque, v. g. Betonica, Majorana, Pulegium, Beta, Origanum, Nicotiana, flores Liliorum Convallium, radix Ireos, Pyrethri, Zingiber, Piper, ſemen Nigrellæ, Euphorbium ac purgantium pleraque, v. g. Gialappa, Colocynthis, Agaricus, Helleborus albus & niger, Suffitus maſtichis ſuccini; ex mineralibus v. g. Vitriolum, Sal Ammoniacum, Mercurius ſublimatus & præcipitatus, in ſpecie luteus, item Salia volatilia, & ex his compoſita diverſa, v. g. ſpecies dianthos, diamajoranæ, diatabaci

Errhina & ſternutatoria.

Mynſ. &c. Ita tamen, ut diſparitas, quæ ptarmica & errhina intercedit, non, ut communiter augurantur, eveniat a ſpiculorum, quibus medicamina hæc gaudent, validiore, minusve valida, penetratione, cum ſalia volatilia, ex conſenſu omnium, penetrantiora, capiti æque ac narium tunicæ profundius ſe inſinuent, quam cœtera, quemadmodum in alcohal redacta aut liquoroſa præ illis, quæ ſub pulveris craſſioris forma naribus attrahuntur: illa tamen ſine ſternutatione, hæc cum vehemente corporis concuſſione expiratoria, operantur. Qualem quoque concitat ſimplicior & acrimoniæ ſeu volatilitatis penetrativæ expers pulvis arenaceus in atmoſphæram elevatus, radii ſolares, in nares potentius vibratæ, iisdem intruſus calamus, ſi hujus extremitate aſperiore earum tunica interior leviter fricetur, pilorum iis innatorum vulſura & aëris afflatus impetuoſior. Unde probabile fit, illam diverſitatem potius a rudiore & ſubtiliore eorundem caputpurgiorum textura dependere: quorum illa quæ gaudent, quia ad meatulos interiores non facile admittuntur, violentius vellicant, hinc renitentiam majorem experiuntur, quæ in ſternutationem abit; hæc per ſubtilitatem exquiſitam magis intimius ac ſine tanto reniſu admittuntur, imo a ſero obvio aliquatenus diluuntur ac temperantur, hinc lenius in tunicam narium & lacinias duræ matris, ad eas extenſas, agunt.

Sternutatoria & errhina quomodo differant?

Utrorumque adminiſtrationem poſtulat humor quivis præternaturalis circa ἐγκεφάλȣ hærens, & narium cavernis atque tunicæ impactus, quem utrinque emungunt. Et quamvis modernos nonnullos dubitare conſtet, an ptarmicorum vis ultra nares & ad capitis interiora ſe exerat atq; exinde aliquid recrementitii emulgeat? quod tamen viam per os cribroſum patulam magis reddat natura, ad minimum, ubi morbificam excernere ſatagit materiam, hinc in auxilium ſui ſternutamentorum irritamenta admittat, ejuſmodi hiſtoriæ innuunt, quibus ſerum, cruorem extravaſatum, pus, ſimilemve colluviem, quæ cephalicorum ſymptomatum cauſa conjuncta hactenus extiterant, per nares emuncta legimus, v. g. penes *Tulpium 1. obſ. 32. Williſium anat. cerebr. c. 22.* & *Decker. in Barb. prax. l. 1. c. 4.* & quotidie obſervare contingit. Hinc evacuatio hæc maxime valet non tantum in coryza, ubi tunica narium ſeroſitate catarrhali turget, ſed in

An ptarmica in cerebro evacuent?

Quibus affectibus

in Epilepſia quoque, Apoplexia & aliis affectibus ſoporoſis, a cauſa poſitiva, item in Cephalalgia, Vertigine, Olfactu læſo, Auditus difficultate ac Aurium Tinnitu, in morbis Oculorum, ſine inflammatione evenientibus, præprimis per errhina, juxta *Hippocr. de Loc. in hom. t.21. Sylvatic. cent. 2. conſult. 7. & 12. Zacut. Luſ. pr. hiſt. l.1. c. 13. River. 2. prax. c. 1.* & *Act. Hafn. vol. 2. c. 102.* contradicente quamvis *Hollerio* aliisque, ac tandem in catarrho ad pectus, annotante *Quercetano Pharm. dogmat. reſtit. c. 18.* medeatur hæc evacuatio?

Quorum poſterius rationi non minus, ac experientiæ, conſonum deprehenditur, poſtquam ſternutationem genus quoddam violentioris & coactæ expirationis eſſe, & intra pulmones congeſtum ſerum pituitoſum eorum conſtrictione & ſuccuſſione commoveri & expectorari conſtat: adeo ut inter ſternutandum non raro mucus ex pectore per fauces ac e narium tubulis ſimul excernatur. Et hujus intuitu fit, quod gutturi ſeu laryngi ab extra illapſa, non, ut communiter ajunt, per aſſumpta acida, ſeu quævis ad tuſſim irritantia, (quo etiam *Paræum* inclinare obſervo, dum hæc ſternutatoriis in ejuſmodi caſu combinat) ſed per ſternutamenta ſola potius, felicius rejiciantur; quod contra vulgarem praxin advertit *Hildanus 1. obſ. 36.* Acida ſiquidem ſimiliaque ad tuſſiendum ſtimulantia non agunt, quin trachæam hujusque tubulos ſimul conſtringant, per conſequens ejusmodi corporum heterogeneorum excluſionem aliquatenus impediant: quale quid ſub expiratione violentiore ſternutatione haud contingit, ſed aperta magis relinquitur illa in hoc motu, ſaltem ratione Laryngis, ut quilibet in ſe facile deprehendet; imo, quia ejusmodi improvide ad pulmones demiſſa invitos ad tuſſim crebriorem ſtimulant, Liquiritia, Sirupo Violarum ſimilive eam lenire ac cohibere præſtat. Quomodo agat in catarrho ad pectus?

De cœtero Sternutatoria quoque remedio ſunt in fœtu ac ſecundinis excutiendis, item in ſingultu compeſcendo, annotante *Hippocrate 5. aph. 35. & 49.* & *6. aph. 13. Amato Luſit. 5. curat. 34.* & *Harvæo de partu:* quemadmodum pariter locum habent, ubi ſpiritus animales torpidiores excitandi, v. g. in apoplectico & epileptico paroxysmo: adeo quidem ut, ſi illa corpus non concutiant, rem conclamatam eſſe & animam ſenſitivam tantum non deficere, indicio ſit. Valent in fœtu ac ſecundina pellenda, & in affectibus ſoporoſis.

Præcedant has evacuationes universales magis.

Ut permittentia nihilominus ac prohibentia in Sternutatoriorum uſu adhuc obſervandæ erunt ſequentes cautelæ. Ne facile ſternutatoria & errhina concedantur, ſc. in caſibus tantum neceſſitatis modo indigitatis, niſi univerſalibus adminiſtratis, i. e. imminuta per hæc cauſa antecedente, ſi non conjuncta: proin nec in coryzæ aliorumque catarrhorum principio, ſed ſtatu ac declinatione demum: nec in ſpecie ſternutatoria, ubi pituita viſcida admodum aut ſanguinis abundantia & ſtagnatio ſubeſt, v. g. aliquando in Apoplexia: multo minus, ubi vaſorum ruptura metuenda v. g. in hæmoptoicis: qualia neque locum habent in narium eroſionibus atque ulceribus, aut ſi hæ frequentius ſanguinem ſtillent, ubi errhinorum quoque uſus non omni ſuſpicione caret; cum non tantum per acrimoniam medicamentorum, ſed per humiditates quoque copioſius adductas, illa mala graviora reddantur, niſi forſan pro his mundificandis & recrementis removendis deſiderentur. Cavendum quoque erit a ſternutamentis in infantibus, quorum cerebra molliora ac fluidiora adhuc ab illis facile in epilepſiam conjiciuntur; cum in adultioribus & quibusvis ſternutatio parva epilepſia vocitetur: adeo quidem ut, quamvis pro epilepticis e torpore ſuſcitandis, commendaverim ſternutatoria, ſc. quo diſcutiatur cauſa conjuncta cerebro adhuc inhærens, cautius tamen cum illis agendum erit ante paroxyſmum, & quadrant tantum errhina, ne debilius cerebrum hinc concuſſum epilepſiam experiatur. Aſt vertiginoſis nunquam admovenda ſternutatoria; ſemper tantum errhina: quod aſſerendum etiam de gravidis, ob abortum a motu hoc metuendum; de iis, quibus menſtrua & lochia nimis fluunt, item de hernioſis, aut qualiumcunque partium luxationes, fracturas ac vulnera inſigniora, capitis inprimis ac thoracis, ſuſtinentibus. Porro circumſpectius his erit utendum in dolore capitis, nephritico, pleuritico ſimilibusque affectibus dolorificis, ſicut in phthiſi ex ulcere pulmonum, ob eandem corporis exagitationem, his magis dolorificam & detrimentoſam: quemadmodum pariter moderamine generali opus eſt in ſternutamentorum adminiſtratione, ne frequentiora cerebrum ac nervos hujus vicinos, una cum naribus, oculis & auribus, organis exacte ſenſibilibus, nimis & crebrius commovendo, majoribus malis occaſionem præſtent,

Non exhibeantur, ubi pituita viſcidior & ſanguinis ſtagnatio.

Nec ubi ſanguinis excretio metuenda.

Cavendum a ſternutamentis in infantibus.

Quomodo & quando adminiſtranda in epilepticis.

Nunquam vertiginoſis.

Nec gravidis.

Nec hernioſis.

Nec facile in doloribus.

Nec eorum uſus adeo frequens ſit?

ſtent, v. g. capitis dolori ac cœcitati, tinnitui aurium, fluori narium diuturno cum olfactus ſublatione ac tandem ipſa morte, qualia *Hildanus cent. 1. obſ. 24. & 4. obſ. 12. & 13* recenſet.

Temporis ſternutamentis utendi nullus habendus ſelectus, ſi neceſſitas urgeat, modo indicantium & permittentium robur prohibentia antecellat: alias vero matutinum, & ubi venter vacuus quam optimum deprehenditur, ne abdomen ab alimentis tenſum metum rupturæ ſub concuſſione hac violentiore incutiat. De cœtero in loco calido utrumque Caputpurgiorum genus, utpote a cujus atmoſphæra humores fluxiles magis evadunt, adhibeatur, a lenioribus ſemper inchoando, adeoque errhina, ſi affectus ferat, ptarmicis præmittendo. Liquidis qui utuntur errhinis, v. g. ſolutione Vitrioli albi, os interim aqua vel ſimili liquore blando repletum teneant; ne illa attracta per Palatum ad Laryngem convertantur & tuſſim concitent.

Tempus & locus hæc adminiſtrandi.

A lenioribus & errhinis inchoandum.

Quæ per Palatum, aut ſalivales potius ductus, evacuant, ore detenta ac volutata, rationi effectus, Apophlegmatiſmi, ab utendi modo, maſticatoria, audiunt: habentque cum ſalivantibus κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictis hoc commune, ut per ptyaliſmum ſeu ſalivæ frequentiorem ac copioſiorem expuitionem evacuent, vel ſalivam copioſius moveant; ita tamen ut hæc in glandulas oris & ſerum ad eas confluens tantum agant, ſalivantia in ſerum totius vim ſuam exerant hocque per os excerni faciant. Eorum uſus præ ſternutatoriis blandior & ſecurior eſt, in humorum ſeroſorum & pituitoſorum abundantia imminuenda, caput inprimis hujusque partes petente, v. g. in catarrhis, hebetudine oculorum & auditus, linguæ paralyſi, vertigine, affectibus ſoporoſis, dolore dentium. Quamvis pro alterandi quoque ſcopo non raro eadem adhibeantur, v. g. dentibus & gingivis mundificandis ac firmandis, oris fœtore ac aëre, quem inſpirando haurimus, ſi malignitate ſuſpectus fuerit, corrigendo: quod tamen felicius præſtabunt ejuſmodi ſublingualia, ſi ſub eorum uſu ad os commotam ſalivam non deglutiamus, ſed expuamus potius, utpote cujus viſciditati miaſmata maligna & peſtilentialia facile implicari, probabile valde eſt. Adeo, ut olim, ubi nupera peſtis Germaniam noſtram affligebat, Scriptor quidam *Dobrozensky* in tractatu, quem *præſer-*

Apophlegmatiſmi.

Blandius evacuant ſternutatoriis.

Etiam alterando agunt.

Præſervatorium peſtis.

præſervatorium naturale univerſale ajebat, optimam a peſtis contagio præſervandi rationem aſſeruerit, ſalivam non deglutire, ſed frequentius expuere, ne venenum ipſi involutum ad ventriculum dimittatur.

Quæ per palatum evacuent?

Concitant Ptyaliſmum hunc particularem aromatica & acria quævis, v. g. Semen Nigellæ, Coriandri, Erucæ, Sinapi, Staphidis agriæ, Cubebæ, Cardamomum, Piper, Zingiber, Caryophylli, Radix Pyretri, Acori, Herba Salviæ, Roriſmarini, Nicotiana, Anacardium, Myrrha, Maſtiche, Nitrum &c.: quatenus per particulas ſuas ſalinas aut ſalino-ſulphureas ac penetrantes ſerum ſalivale ſolvunt, una vero meatulos excretorios glandularum ſtomaticarum dilatant, quo illud per hos copioſius rejiciatur. Juvat hanc operationem maſticatio, ſeu motus muſculorum Maxillæ & Linguæ varius, per quem glandulæ illis ſub- & adjacentes comprimuntur & ſaliva hinc exprimitur: adeo quidem, ut potentius ſemper in hoc negotio agere deprehendamus maſticata, quam quiete in ore detenta. Imo, quantum motus oris ſalivæ affluxum intendat, a loquela experimur, qua ſalivam in majore quantitate ad illud eructatur & expuitur. Et ex doctrina phyſiologica ſuppono, maſticationem præter alimentorum comminutionem etiam ſalivæ commiſcelam his præſtare; quod quidem fit, non tantum illa cum hac ſubigendo, ſed ſalivam quoque iis plenius affundendo ſeu adſpergendo. Sicut, quæ ad conſilium *Sanctorii* pro fallenda ſeu imminuenda ſiti, globulorum cryſtallinorum, corallinorum ſimiliumque volutatio commendatur, non, ut communis fert traditio, per frigus actuale & interiora refrigerando hoc agit, ſed quod motu hoc agitationis ſalivam humectantem ori copioſius affundat.

Et quomodo.

Juvat eorum operationem maſticatio.

Prohibentia hanc evacuationem.

Caute nihilominus Apophlegmatiſmi uſurpandi, nedum omnimode vitandi, ſunt in eroſione faucium & catarrhoſis defluxionibus tenuioribus, ubi lenientibus & incraſſantibus potius, neutiquam ejuſmodi acrioribus, opus. Nec illis quadrant, qui pulmonum affectibus expoſiti, quod ſalivam acriorem & fluxilem magis reddant, aut ad minimum ſtimulando laryngis glandulas, ut illa ad partes has impetuoſius feratur, hinc tuſſim frequentiorem moveat, faciant. Illud tamen haud metuendum, ut communiter fit, quaſi per

per apophlegmatiſmos ac ptarmica liberalius ad os commotum ſerum per aſperam arteriam ad pulmones & per gulam ad ventriculum, cum viſcerum horum detrimento, depluat: ad pulmones enim idem, ſine titillatione Laryngis & Tracheæ moleſtiſſima ferri haud poterat, nec quæ per œſophagum ad ventriculum deſcendunt ſine motibus determinatis muſculorum Pharyngis demitti valent; quibus utrisque ſcreatus & expuitio obicem ponit. Tempus eos uſurpandi ſimilesque circumſtantias in adminiſtratione eorum obſervandas petere ac ſeligere licet ex iis, quæ de ptarmicis fuerunt monita.

Thoraci ſeu pulmonibus evacuandis miniſtrantur thoracia ſeu βηχικὰ, bechica, hoc eſt, quæ excretionem humorum ad veſiculas pulmonum & cannulas tracheæ vergentium, facilitant, hinc arteriaca quoque & evacuatio ipſa anacatharſis, audiunt. Quam nihilominus expectorationem, alias naturalem, quia impedit modo humoris tenuitas, utpote quæ aëris ſub expiratione elevati vim eludit, ita, ut in materia fluxili nimis nullam renitentiam offendat, hinc ab illo non elevetur; modo ejus lentor & viſciditas nimia, per quam adeo tenaciter membranulis & tubulis pulmonum ac aſperæ arteriæ adhæreſcit, ut ab aëre poſtico loco moveri & propelli nequeat, quod utrumque cruditatem materiæ, tuſſicula expectorandæ, dicere licebit: Illi incraſſantia ſeu attemperantia quadrant, i. e. quæ præter vim abſtergendi blandiorem textura gaudent mucilaginoſa, adſtrictoria & ſedativa, per quam ejus acrimoniam mitigent, ſpiſſitudinem aliquam eidem concilient, ſtimulum vero & irritationem pulmonum demulceant; huic vero incidentia & reſolventia appropriata deprehenduntur, κατ᾽ ἐξοχὴν expectorantia appellata.

Thoracem evacuantia.

Non ſunt unius generis.

Hinc non omnia omnibus quadrant.

Per mucilaginoſitatem ſuam ſero fluidiori & acri ſpiſſitudinem æque ad expectorationem congruam conciliant ac acrimoniam temperant Gummi Arabicum, Tragacanthum, Gelatina Cornu Cervi, rad. Altheæ, herba Coſtæ, Symphyti, ſemina Bombacis, Cydoniorum, frigida majora & minora, Jujubæ, Amygdalæ, Pineæ, Piſtacia &c. Per texturam terream & adſtrictoriam idem condenſant & laxatas pulmonum cellulas aliquatenus conſtringunt & firmant, quo validius ſe contrahendo rejicienda commode propellant, Portulaca,

Quæ incraſſando agant?

Roſæ

Roſæ rubræ, mala Cydonia, Terra ſigillata, Bolus armena, ſaccharum Saturni: Quemadmodum demum hypnotica ſeu narcotica incraſſare dicuntur, forſan non, quod in humorem peccantem, ſed in fibras potius partium dictarum ſenſiles agant, hinc ſtimulum, ab ejus vellicatione impreſſum, obtundent, adeoque tuſſim frequentiorem cohibeant, donec ſub quiete & mora aliquali materia peccans, tam a colore partis, quam aëre inſpirato ſpiſſitudinem adæquatam ſuſcipiat, v. g. Papaverina & Opiata, Theriaca, Maſſa Pilul. de Cynogloſſa, de Styrace, Narcoticæ Plateri; Sirupus Pap. albi & erratici, diacordium M. &c. Viſciditatem autem ſolvunt, quæ acrimonia quadam ac textura ſalino-ſulphurea gaudent, ſc. radix Raphani, Ari, Ariſtolochiæ, Ireos Fl. Angelicæ, Leviſtici, Helenii, Herba Hyſſopi, Salviæ, Chærefolii, Eryſimi, Veronicæ, Tuſſilaginis, Nicotianæ, Semen Aniſi, fœniculi, Crocus, Gummi Ammoniacum, Benzoe, flores ſulphuris, Spiritus Salis Armoniaci ſimplex ac aniſatus & ſuccinatus, acida temperatiora, v. g. Sp. Viridis æris & cum gummi Ammoniaco compoſitus. Acetum ſimplex & ſquillitium, Oxymel ſquilliticum &c. Medio modo ſe habere videntur dulcia, dum lentore ſuo acrimoniam inviſcant, per particulas tamen aculeatas, quas vel ſaccharum & mel ſibi proprias, vel ab additamentis vegetabilium expectorantium intertextas, gerunt, quoque attenuant: videlicet radix Liquiritiæ, Polypodii, Rapæ exſiccatæ, Caricæ, Paſſulæ, Manna & Sirupi cum Conſervis, Electuariis ac Lohoh pectoralibus variis.

Quæ viſcidum ſolvendo expectorent?

Medio modo quæ ſe habeant?

Saltim ratione expectorantium acriorum adhuc monendum, quod, quemadmodum reſolvendo potiſſimum agunt in humores glutinoſos non tantum, qui pulmonum cavernis ac tubulis actu inhærent, ſed in illos quoque, qui intra vaſa appropriata adhuc fluctuant: ſic reſolventia cuncta ſeu diaphoretica expectorantium nomen effective mereantur, ut in pleuritide, peripnevmonia & quibusvis ſanguinis & ſeri ſpiſſioris circa partes pnevmonicas ſtagnationibus experimur, expectorationem hactenus difficilem etiam cum ſudoris excretione, facilitantia. De acidis vero, v. g. aceto, Spiritu ſulphuris &c. notetur, ne, dum pro pituita viſcida reſolvenda propinantur, pura ſeu ſincera, ſed vel dulcibus & ſaccharatis contemperata, vel multo vehiculo aqueo diluta, in uſum trahantur: metuendum quippe,

Diaphoretica etiam expectorantium nomen merentur.

Acida quomodo propinanda?

quippe, ne pulmones acrimonia ſua ad tuſſiendum nimis irritent, ſicque plus noceant quam proſint.

Neque omni ratione deſtituitur cautela *Capivaccii*, quam *prax. 2. cap. 3* inculcat, quaque uſum lambitivorum, ſine tuſſi vix expectorantium, ante evacuationes univerſales, ſanguinis inprimis miſſionem & catharſin, damnat: quaſi commotis vehementius per tuſſim thorace ac pulmonibus major materiæ peccantis quantitas ex toto ad partes has alliciatur, per vias autem has anguſtiores & ejus moli haud proportionatas ſufficienter rejici nequeat, hinc pulmones ad ſuffocationem usque aliquando gravet; quod experientia quotidiana edocemur: concurrente inprimis veſicularum pulmonalium teneritudine, per quam tonus earum, ex uberiore excrementorum congeſtione, facile laxatur, eæque ad expellendum inhabiles evadunt, aliquando etiam earum latera ſubtiliſſima rumpuntur.

Præmittendæ expectorantibus evacuationes univerſales.

Vomitu quoque thoracem & pulmones a recrementis ſuis liberari, modo hi non aliqua continui ſolutione laborent, poſt *Platerum pr. tom. 1. p. 388. Sennertum pr. l. 2. part. 2. cap. 5. Riverium pr. l. 7. c. 1. Horſtium 3. obſ. 3. & cent. problem. dec. 4. quæſt. 9. Poterium 2. cur. 16.* ac *46.* atque *Hartmannum prax. p. 133. Walæus meth. med. p. 56.* ac *Sylvius pr. l. 1. c. 22. & 24* aſſerunt, ex diverſis quamvis hypotheſibus, experientia tamen ſuffragante, promoveri circa pulmones ſtagnantium per arteriam aſperam expulſionem: forſan quod organorum horum concuſſione illa agitentur & quaſi compreſſione quadam ad cavernulas pulmonum excretorias trajiciantur; aut admittendum ſaltem hoc eſt, juxta *Sylvii* monitum l. a. *ne quis temere carpat, cujus rationem ignorat.* Illi interim non adeo inepte agunt, qui expectorantibus aliquid emetici admiſcent, illorum vim per hoc validiorem reddentes, v. g. *Freitag. auror. med. c. 20*, qui linctui ex paſſulis, liquiritia &c. parato tantillum vini malvatici helleborati addit: & Sirupus de Nicotiana, quia in tenerioribus ſubjectis facile ad vomitum cogit, bechicum inſigne deprehenditur.

Quomodo vomitoria expectorationem præſtent?

Ventriculum evacuant vomitoria, de quorum adminiſtratione ſuperius dictum: & quamvis idem præſtent alvum ſubducentia, vix tamen ſemper ab iisdem cruditates ventriculi adeo prompte eliminantur, quin aſſumpta minus digeſta non raro, poſt irritum unius

Vomitoria ventriculum commodius evacuant

quam purgantia. Sc. mitiora. alteriusve purgantis uſum vomitu rejiciantur, interim febres toti & moleſtias ventriculo ſatis graves, inducentia. Locum hic habent eorum leniora, v. g. juſcula tepida ac pinguiora, qualia ventriculum aliquando commodius præ aliis evacuare, novi, Hydromel, Raphani ſuccus & Vitriolum: de quorum poſteriore tamen obſervavi illud, fruſtra aliquando propinatis antimonialibus, ad magnam ſatis doſin, v. g. in hypochondriacis, demum anacatharſin movere, adeoque illis plus præſtare. aut potentiora in minore doſi. Idem agunt, i. e. ſtomachum tantum evacuant, emeticorum quoque potentiora, in minore doſi, aut per ſe, aut cum granis duobus vel tribus Auri fulminantis, propinata.

Inteſtina evacuant leniora. Inteſtinis vero ſubducendis ſufficiunt catharctica leniora; laxantia & lenientia alias appellata: & quidem modo ore hauſta, modo ſub Clyſteris forma ano injecta, aut per ſuppoſitorium eidem intruſa. Et quidem vel ore aſſumpta, vel ano injecta. Quæ ore aſſumuntur, totum inteſtinorum tubum detergunt, & magis neceſſaria, ſi eorum tenuiora evacuationem poſtulent: enemata autem ac glandes ex inferioribus ſeu craſſis tantum materiam peccantem educunt, niſi quantum ſuperiora ſimul in conſenſum rapiunt, ſive hoc præſtent ſtimulos eorum tantum, ſive ipſum humorem laceſſentem ſimul, ad inferiora convertendo. Praxi enim quotidiana edocemur, ventriculi affectus varios v. g. ſingultum, ex hujus conſenſu, cardialgiam, vomitus, per clyſteres compeſci, utut faſtigium ejus haud conſcendant: quinimo emeticorum violentiam nimiam efficaciter retundunt, ut ſuperius monui.

De purgantibus per inferiora pariter jamdum dictum, ſeligantur ſaltem ex his mitiora, aut in minori exhibeantur doſi: minime vero huc referenda, quæ de cruditate & coctione humorum ſimilibusque prohibentibus ac permittentibus, item ratione temporis, ibi fuerunt notata; cum inteſtinorum contentis præternaturalibus, tanquam indicanti genuino, indicati remedium, i. e. alvum ſubducens, mox quadret, nullumque unquam facile ex hujus applicatione damnum eveniat, niſi forſan in his, qui ſenſibilioris ac fluidioris alvi, quibus etiam leniſſima præjudicio ſunt, præprimis, ubi de malignitate ſuſpicio emergit. Clyſterum uſus ſecundarii. Clyſteres autem quod ſpectat, licet horum uſus ſecundarii diverſi obſerventur, v. g. in affectibus ſoporoſis, dolore nephritico, ſuppreſſis menſibus &c. imo quamvis primarius interdum

terdum quoque lymphæ inteſtinalis acrioris contemperatio, ulcerum inteſtinalium mundificatio atque conſolidatio ac fluidioris alvi adſtrictio ſit: frequentius tamen enemata injiciuntur, pro ſcybalis inteſtinorum naturalibus ac præternaturalibus educendis, flatibus diſcutiendis, lumbricis enecandis atque exturbandis.

Cautos nihilominus nos in applicandis enematis eſſe jubent primo febres malignæ cum efflorescentiis, exantematis & abſceſſibus criticis evenientes; inprimis in ſubjectis hyſtericis ac hypochondriacis, quorum ſanguis hinc facile exæſtuat, febrilia ſymptomata intenduntur & motus naturæ turbatur. Deinde hæmorrhoides quoque non raro eorum uſum diſſuadent, vel quatenus cœcarum dolorem intendunt, vel fluentes in fluorem nimium cient. Accenſent his tertio Herniam inteſtinalem, ſive inteſtinum fuerit repoſitum, ſive adhuc in loco p. n. hæreat: in priore enim caſu metuendum fore, ne hoc, clyſtere turgeſcens, per peritonæi aperturam denuo prorumpat; in poſteriore vero, ne elapſi portionem ingrediatur clyſter, hinc tumorem, dolorem cæteraque ſymptomata intendat ac repoſitionem moretur. *Hildanus* equidem *6. obſ. 73* diſtinctione inter herniam recentem, ſeu quæ adhuc eſt in fieri, & ubi ſymptomata adhuc mitiora; & inter inveteratam, ubi inteſtinum diutius extra locum naturalem commoratum fuit, ita ut durities, tenſio ſcroti, dolor, anxietates, vomitus aliaque peſſima ægrum torqueant, difficultatem ſolvere contendit: quaſi in hac, non in illa, enema conveniat, nihilque ab hoc metuendum. Aſt vix apparet, quid emollitionis, diſcuſſionis ac mitigationis præſtare queat, ſi locum affectum in hoc extremitatis caſu, ex ſententia *Hildani*, non penetret ſeu ſubeat clyſma; neque forſan aliquid boni malive ominari licet de clyſterum in ejuſmodi caſibus uſu, cum Ileum præ cæteris inteſtinis frequentius ad ſcrotum elabatur, ad quod, ob valvuli Coli remoram, illi minime feruntur. Nec quarto gravidis adeo frequentes ſint clyſteres, utpote, ex obſervatione *R. a Caſtro de morb. mul. libr. 3. c. 16*, & *Walæi meth. med. p. 52*, fibras uteri, inteſtini recti tunicis implicatas, facile in conſenſum trahentes, hinc ad abortum ſtimulantes. Neque demum illi, quibus inteſtinum contigit ſenſibilius & laxior alvus, v. g. pueri, clyſteres crebriores ferunt: ne plane

Prohibentia clyſterem.

An herniosis quadrent clyſteres?

Gravidis non adeo frequentes ſint.

Frequens clyſterum uſus alvum præſtat pigriorem.

tandem in his retentrix ceſſet. In genere vero vitandus erit frequentior eorum uſus, quod ſegniora & ſui muneris negligentiora reddant inteſtina, hisque ac toti, annotantibus *Mercato de præſid. Med.* & *Tulpio 3. obſ. 16.* ſubtrahant cum chylo alimoniam : unde non mirum, quod inſequente ab eorum admiſſione die contumacior & ſiccior evadat alvus. Nec improbabile eſt, eosdem, quia inteſtinis omnimode heterogenei & crudi, (quod de illis tantum, quibus catharctica immixta ſunt, *Crato* aſſerit,) horum tonum laxare, digeſtionem turbare & ventoſitates augere. Neque omnis mox alvi ſegnities clyſterem poſtulat, ſed expendere prius convenit ſingulorum conſuetudinem, ſiquidem horum nonnulli duobus, tribus aut pluribus interpoſitis diebus per illam nihil dejiciunt, de cœtero bene ſe habent; dum alii niſi bis, aut ſemel ad minimum quotidie obſervant deſideant, ventrem ac caput ſibi gravari: his proin, non illis, pro diverſitate hac conſuetudinis per injectiones ejuſmodi ſubvenire jubemur.

Materia clyſterum.

Simpliciores præferendi compoſitis.

Materiam Clyſterum evacuantium conſtituunt decocta aliique liquores emollientes, laxantes ac ſtimulantes : cæterorum ſubſtantiam determinat indicantis formalitas. Sciendum tamen, eos, quo ſimpliciores, eo promptius, admitti ac retineri; quo major ingredientium varietas, eo ingratiorem induunt nidorem, ratione cujus mox rejiciuntur, vel retenti, caput ac ventriculum petunt, fœminis etiam uterum commovent, utrisque graves anxietates concitant: unde priſci ſola aqua mulſa, oleove erant contenti, modernorum quoque nonnulli ſola urina, lixivio, lacte, juſculo carnis, decocto hordei aut quovis ſimpliciore utuntur, plus minus ſalitis ac cum ſaccharo & melle ſaturatis. Quemadmodum ſingularis efficaciæ deprehenditur in aſcite Clyſma ex urina c. terebinthina & ſale prunellæ: & ſi forſan ex potentioribus confecta enemata alvum non ſolvant, mera Urina, vel aqua calida cum duodecima circiter ſalis communis aut gemmæ parte acuata, item decoctum Calcis vivæ, injicitur. Spectat huc Clyſter ex cereviſia recente, ſive triticea, ſive hordeacea, ſi in hujus libra una ſaponis uncia circiter ſolvatur, in obſtructionibus alvi per motum ſuum fermenteſcentem valde efficax: item in Colica ac torminibus ventris paratus ex vino dulci ſeu Canarienſi, vitello ovorum & tantillo piperis, qui viſcera blande calefacit, ſomnum ſuavem inducit & ſudorem ciet.

Clyſter in aſcite efficax.

In obſtructione alvi.

In colica.

Li-

Liquoribus ſimplicioribus æque ac compoſitis magis adduntur vel in iis diſſolvuntur varia, diverſis ſcopis appropriata, itidem ſimpliciora ac compoſita, v. g. ut dictum, Mel, ſaccharum, Sal, Tartarus, Nitrum, Sal cinerum clavellatorum, Tartari, Fel Tauri, Vitellum ovorum, Mella & Electuaria plus minus compoſita &c. De quibus tamen notetur ſtimulantium, purgantium ac ſalinorum, quo minor eſt ſenſatio, tanto potentiora & in majore quantitate eſſe præſcribenda: contra, ſi ſenſibiliora extiterint inteſtina, quemadmodum pariter, quo diutius retineri debent enemata, v.g. in Nephritide ac fluxibus alvi, eo minus ſtimuli hæc opus habent. Imo, quo longiorem moram in inteſtinis trahant, vitellum ovorum plerumque iis additur; extra quem caſum hoc non ſemper neceſſarium eſt: quamvis nec *Bauhino de compoſ. med. c. 9* auſcultandum, quaſi vitellum leniendo & lentore ſuo alvum non tam laxet, quam torpidiorem reddat; contrarium ſiquidem experientia docet, ut, licet minus ſtimulet, ſed acrimoniam potius temperet, lentore tamen ſuo emolliat ac laxet, perinde ac oleoſa.

Quid vitellum ovorum in enematis præſtet?

Quantitas liquoris injiciendi.

In quantitate liquoris injiciendi determinanda, plus deficere, quam excedere, in praxi triviali videmur. Præſcribantur ad minimum ad libram unam vel uncias quindecim in homine adultiore ac vaſtitatis mediocris: minor enim quantitas inteſtino Recto implendo vix adæquata, atque curvaturam Coli ſigmoideam haud tranſcendit. Parum ab hac recedatur in gravidis, quarum fœtus grandior inteſtina comprimit, hinc enema injectum citius repellit: quemadmodum pariter, ubi inteſtina flatibus ac fœcibus turgent, ideoque illud non admittunt vel repellunt; item, ubi diutius retineri hoc cupimus, v. g. in dyſenteria, ac renum calculo & inflammatione. Quam renum male ſe habentium intuitu addunt rationem, quaſi illi a majore injectionis mole comprimantur magiſque doleant, minus quadrare videtur: vel quod ex hypotheſi vulgari clyſteres in renes non, niſi contactu & fotu, agant, adeoque neceſſario verſus hæc viſcera ferantur, hæcque nunquam non premant; vel, quod probabilius, vix ad ſiniſtri, multo minus dextri, locum evehantur.

Clyſteres injiciantur tepidi.

Porro liquores clyſmatici, cujuscunque generis fuerint, moderate calidi ſint, id eſt, urinæ recens emictæ aut lacti modo emulcti

 ſimi-

ſimiles: ne fervidior adurat, aut juſto citius rejiciatur, nec frigidior viſcera lædat. *J. C. Claudinus* equidem, in iis, qui enemata mox exturbant, & *Graef de clyſter.* in febribus ardentibus, actu frigida commendant: quale quid tamen non ſine metu inflammationis & mortificationis interaneorum fieri poſſe, præter *Paræum l. 25. c. 22. & Heurnium 1. cap. de Clyſter. Bartholinus Cent. 1. hiſt. 76.* expertus teſtatur in quodam, cui, de laſſitudine membrorum & aliis morbi imminentis ſignis conquerenti, tonſor clyſterem frigidum injecerat, quique frigus ſentiens calidum ut ſubſtitueret eum fruſtra rogarat, ſumma hinc virium imbecillitate preſſus, clyſterem reddere, neque ex ſe, neque alio calido provocatum, potuit, hinc poſtridie frigore æterno obrutus fuit.

Situs corporis in admittendo clyſtere.

In ſitu corporis pro excipiendo ſeu admittendo clyſtere determinando diſcrepant Practici, dum cum *Fernelio* alii eum in latus dextrum ſuadent, utpote quo inteſtinum Rectum & portio inferior Coli a cœterorum viſcerum mole minus comprimantur, nec ad hoc illius progreſſus præcludatur: alii in ſiniſtrum ægrum decumbere jubent, quod ad Coli partem, Recto annexam, per curvaturam ejus, commodius deflectere queat hac ratione liquor injectus. Verum ſicut a compreſſione illa Coli minus metuendum, ita ut vel ſiniſtro lateri innixus, vel ſupinus, excipiat clýſterem æger, ſuadeo: poſtmodum aliquandiu vel in hoc maneat, vel in idem ſe devolvat leniter, tandem vero in dextrum ſe convertat quoq;, an forſan hac ratione ejus aliquid per transverſalem & ventriculo ſubjacentem Coli tractum verſus valvulam hujus commoveatur. Hinc ſupinus quieſcat ab omni motu, ne diaphragmatis ac muſculorum vehementioribus concusſionibus inteſtinum ad intempeſtivam rejectionem enematis urgeatur; niſi forſan loci affecti rationem habere & in eundem reclinare placeat. Facilitabit hanc injectionem non parum, ſi in ſtatu expirationis aliquantulum ſe contineat æger; ne ſc. per inſpirationem depreſſo diaphragmate hincque compreſſis inteſtinis illius appulſus inhibeatur: quem in finem quoque a veſtimentis arctius cingentibus abdomen liberetur.

Tempus clyſterem

Poſſunt applicari Clyſmata quovis tempore, quamvis canali alimentorum his & chylo vacuo potius, ne ſc. hic cum fœcibus educatur,

tur, neve inteſtina ad crudiora exturbanda irritentur. Injecta vero evacuantia, ſi res urgeat, ultra horam non retineantur, nec tamen ante dimidium ejus rejiciantur: ac ſi forſan diutius commorentur, ex fortioribus inprimis purgantibus facta, aut anxietates concitent, æger corpus agitet ac glandem admittat, neque hac aliquid movente, aut Urinam aut aquam tepidam ſale ſaturatam vel carnis brodium cum melle temperatum in minore quantitate, ſibi injici patiatur. Tentanda in hoc caſu pariter erit alvus ſecundum *Platerum* per ſyringam ſeu ſiphonem, quo hodie clyſteres applicantur, canalem ano immittendo & embolum ſeu piſtillum ejus aliquoties retrahendo: quo pacto flatus non tantum eliciuntur, ſed cum his quoque liquor injectus retrahitur & ad excretionem inteſtinum ſtimulatur. Quodſi tamen alterandi tantum intentio fuerit, nec anxietates creent, nihil refert, enemata per plures horas in inteſtinis morari, cum emolliant magis, aliosve forſan ſalutares effectus mora hac præſtent: & quadrant huc clyſteres nocturni, quorum *Hœferus Herc. med.* ex *Horſtio* meminit, quos putat eſſe tales, qui per noctem aſſervati mane demum rejiciantur, eosque ideo comprobat, quod mora ſua diuturniore excrementa rectius emolliant, dolorem inteſtinorum demulceant, componendos ex ſimpliciter lenientibus atque emollientibus, ſine ſtimulo & multa pinguedine. Tandem cum clyſmata evacuent, vel fœcum auſteritatem ac duritiem corrigendo, vel inteſtina lubricitando, vel horum ſpaſmos demulcendo ac laxando, vel eadem torpidiora ſtimulando ac vellicando: obſervandum, poſterioribus minus commode mucilaginoſa, oleoſa ſeu pinguia admiſceri, utpote qualia irritantium aculeos obtundunt, contra nihilominus optima cum ratione ac fructu eadem in prioribus caſibus addi, ac omnia acria vitari.

admittendi, ac retinendi.

Stimulantibus clyſteribus incongrue adduntur mucilaginoſa & pinguia.

Stimulando ſeu irritando tantum evacuant ſuppoſitoria, hinc purgantibus ſegnioribus ac clyſteribus, diutius in alvo commorantibus educendis ac juvandis, aut huic a quacunque cauſa conſtipatæ, recludendæ, inſerviunt: ſuſpecta tamen deprehenduntur, ubi podex inflammatus, hæmorrhoidibus cœcis obſeſſus, ſpaſmo conſtrictus, ulceribus ac fiſſuris eroſus, ſimiliaque, quæ ab intruſione glandis exacerbantur, patiatur. De cœtero nec gravidis adeo quadrant ſuppoſito-

Suppoſitoria quomodo agant? Quibus ſuſpecta?

poſitoria, quod per connexionem intimiorem, quæ inteſtino recto & collo Uteri intercedit, abortum ſollicitare queant, potiſſimum cum clyſteribus vehementius irritent. Si craſſitie adæquata gaudeant, longitudini dodrantali, qua utplurimum formantur, derogari poteſt, utpote minus neceſſaria, forſan etiam moleſta: cum, advertente *Rondeletio*, facultatem haud irritent, niſi qua parte recti inteſtini extremitatem, ſeu podicem, ubi ſenſibilitas exquiſita, contingant. Fiant igitur ad Glandis (unde nomen habent) ſimilitudinem & digiti craſſitiem, utrinque acuminata, quo facilius ingerantur & egerantur: quemadmodum mulierculæ noſtræ iis ſubſtituunt globulos ſaccharatos, ſatis hinc inde mobiles, & moventes. Commendant multi cum *Sylvio* glandes ex Aluminis fruſtro formatas, hasque egregiæ efficaciæ novi: memini tamen, nec omnibus congruere, ſc. illis minime, quorum nempe anus ſenſibilis magis, hincq; roſiones difficulter ſuſtinet. Cujuscunq; autem generis ſint, non adeo frequenter tamen adplicentur: conſtat quippe, adſueſcere facile his, prout enematis, naturam, ut poſtmodum non, niſi ſollicitatus, podex excretionem moliatur, torpidior his irritamentis factus, novaque quotidie expectans.

Longitudo corum.

Glandes ex alumine.

Frequentior horum uſus alvum torpidiorem reddit.

Circa Metrenchytarum uſum notetur, uteri fundum ſeu cavum has vix penetrare, niſi in puerperis ac menſtruatis forſan, aut quibus ex quacunque cauſa orificium uteri hiat, adeoque hujus morbis haud, niſi fotu extrinſeco, medetur; quatenus ſemper actu calida applicantur: connivet ſiquidem ordinarie orificium illud arctius, uteri etiam cavum exile vix unam alteramve guttulam liquoris injecti admittit. Qualia cum ex anatomicis in vulgus innoteſcant, mirum, ab eruditis quoque ejuſmodi injectiones in uteri affectibus commendari. Vaginæ E. ſoli proſpiciunt, pro diverſitate morbi, ex diverſis parandæ, & ſupino corporis ſitu, clunibus paulo elevatis & cruribus retractis, admittendæ ac retinendæ. Aliter paulo utero applicantur vapores & ſuffitus medicamentoſi, v. g. cruditatibus flatuoſis hinc educendis, menſibus movendis dicati, quales ſedentes potius excipiunt, ex vaſis ſibi ſuppoſitis & excalefactis, mediante infundibulo inverſo vel ſimili inſtrumento, cujus anguſtior tubus uteri orificio admovetur, vel immittitur, v. g. fumus trochiſcorum de myrrha,

Metrenchytæ.

Uterum haud ſubeunt.

Vapores ac ſuffitus uterini.

myrrha, Ladani, Sabinæ, nucis Moſchatæ, quem *Solenander ſ. 5. conſil. 15.* & *Hartmannus in praxi* præ aliis commendant, trochiſcorum Alhandal, Aſphalti, ſulphuris aurati Antimonii, vapor lixivii ex ſcoriis Antimonii, decocti Colocynthidis, Spiritus Salis Armoniaci aut Urinæ, vel vapor ex Sale Armoniaco & alcali mixtis.

Veſicam quæ particulariter evacuant, aut ſimiles enematis injectiones, aut inſtrumenta chirurgica, ſunt, catheterum, tenaculorum, lapidillorum &c. nomine venientia: quæ per urethram aut vulnus cervici veſicæ inflictum immiſſa retentis præternaturalibus viam parant. Injectiones ejuſmodi ac ſui eductionem poſtulant humores viſcidi, cruor & pus, in veſica hærentia: quales tamen, niſi cathetere anguſtiæ colli veſicæ ſecundum artem recludantur, commode immitti haud valent, quin mox regurgitent. Parantur ejuſmodi injectiones ex variis, v. g. ubi a ſanguine congrumato oppilatur veſicæ cervix, ex decocto Agrimoniæ, Chærefolii, Hyperici ac Bellidis cum Oxymelite; ubi a pituita viſcida, ex eodem oxymelle, ſucco parietariæ, oleo ſcorpion &c. vel juxta *Fomium obſ. Riverio comm. 42.* mixtura ex Vino Canarienſi; ſucco Limonum & ſpiritu terebinthinæ. **Veſicam evacuantia.**

Catheteriſmus vero præter uſum illum præparatorium immediate magis iſchuriæ medetur ac quosvis humores præternaturales e veſica educit, removendo ſeu retrudendo ex collo ejus calculum, grumum ſanguinis ſimiliaque: imo aliquando dilatando tantummodo cervicem dictam, a ſcirrhoſo tumore coarctatam, catheter adminiſtratus agit, modo non ſit tenuis nimis, ſed paulo craſſior, ut ex *Hildano 2. obſ. 65.* & *de lithiaſi veſicæ cap. 3* videre eſt. Cui aliquando, ſi nimirum catheteri locus haud concedatur, aut ille non ſufficiat, punctura Perinæi ſurrogatur, quam Chirurgis Pariſienſibus a ſeculo jamdum uſitatam fuiſſe, *Riolanus* in *Encheirid. Anat. pathol.* perhibet, ac cujus *Bonetus ſepulchr. l. 3. ſ. 24. obſ. 13. append.* meminit, deſcribunt plerique recentiorum Chirurgorum, v. g. *Thevenin des operat. de Chirurg. cap. 121. Toletus de Lithot. c. 21.* & *le Clerck des operat. cap. 17.* Nimirum Lanceola vel Cultello biſeco incidendo perforatur Perinæum ad latus alterutrum hujus ſuturæ una cum veſicæ collo, foramine exiliore, cui immittitur tubulus, vinculo aut faſcia firmandus, per quem **Catheteriſmus.**

urina profluit, quemque obturare & reſerare pro lubitu licet, donec cauſa iſchuriæ ſublata, aut, ſi res urgeat, per totum vitæ tempus cannula hæc geſtanda.

Cætera inſtrumenta chirurgica educendis heterogeneitatibus veſicæ deſtinata, vias poſtulant inciſione ſeu arte parandas, cum per naturales haud admittantur; inprimis vero inſerviunt Lithotomiæ, de qua agere non eſt hujus loci: ſicut nec de Trepanatione, Paracenteſi, Fœtus eductione &c. ſimilibusque Aphæreſeos ſeu Exæreſeos chirurgicæ ſpeciebus.

CAPUT XVII.
De
Qualitate, Motu ac Situ Humorum p.n. corrigendis.

Quot & quotuplices humorum qualitates p.n?

HUmorum qualitates pravæ, quæ ſui alterationem ſeu attemperationem poſtulant, triplicis inprimis generis ſunt: ſcilicet vel ex primis calor præternaturalis, vel ſalinæ, nempe acrimonia ſalſa, acida & auſteritas, vel ex illis, quæ Peripateticis ſecundæ dictæ, ſpiſſitudo ſeu glutinoſitas & fluiditas nimia; quarum poſteriores binas claſſes innuere videtur *Hippocrates de vet. med. t.24. & 26.* ubi non calidum, non frigidum, ſed amarum, ſalſum, dulce, acidum, acerbum, fluidum &c. ſi minus temperata, lædere ac morbos inducere, ait. Quarum etiam quædam diverſis humoribus communes, v.g. viſciditas; quædam his vel illis propriæ magis, v.g. Lymphæ acor, obſervantur. Neque, ut in Scholis hactenus docuerunt, humores tantum nutritii ſeu vitales ſubjectum horum vitiorum ſeu cacochymiæ ſunt; ſed de excrementiis quoque idem aſſerendum: quatenus hi etiam ab habitudine ſua naturali ratione qualitatum recedunt, v.g. Urina evadit acrior, mucus narium acrior & viſcidior, fœces alvi ſpiſſiores ſeu ſolidiores &c.

Quamvis vix opus videatur, de humorum calore præternaturali per refrigerantia emendando cogitare, utpote qualem potentiorum ſalinorum & motus eorum præternaturalis productum eſſe, adeo-

adeoque pro illorum varia habitudine plus minus intendi & modificari, probabile eſt. Qui vero a bilis admiſcela & exaltatione, aut ab aromaticorum ac ſulphureorum abuſu, eos fervidiores reddi, ſibi perſuadent, falluntur: dum v. g. bilis in ictero ſanguini copioſius & evidentius ſuffuſa nihil caloris extraordinarii in hoc producit, ſed ſæpe ad cruditatem ſanguinis ac hydropem diſponit; Spiritus vini ſimiliaque potentia calida, niſi inflammentur, i. e. actu in flammam abripiantur, immediate tale quid minus patrare queunt. Nec frigidiora fluida in corpore concipi poſſunt; niſi forſan extravaſata, & a motu illorum inteſtino notabiliter imminuto: quamvis in hoc poſteriori caſu, quæ frigiditati illorum in acceptis feruntur, phœnomena viſciditatis & lentoris potius productum videantur. **An a bile ac ſulphureorum abuſu calor? An frigiditas humorum concipi poſſit?**

Salinæ qualitates ſeu particulæ humoribus copioſius intertextæ corriguntur vel per remedia cunctis illis communia; vel alterutri earum ſpeciei magis appropriata. Ubi prioris generis obſervantur 1. Aqua & aquea quævis, quatenus illarum aculeos comminuunt ac diſcontinuant. 2. Pinguia minus aromatica & mucilaginoſa, eaſdem inviſcantia ac partium ſolidarum ſuperficies, quas contingunt, contra illorum ingruentias obliniendo & quaſi incruſtando, v. g. Oleum, Lac, Emulſiones, Gelatinæ, mucilagines, ſem. Altheæ, Tragacanthi &c. ac denique 3. Terrea & Martialia, illas abſorbendo ac imbibendo. Poſterioris vero indolis ſunt (1) quæ acorem & auſteritatem p. n. obtundunt, ſc. ſalia alcaliſata & urinoſa, (2) quæ acrimoniam alcalicam ſeu urinoſam infringunt, omnia nempe acida & auſtera, (3) quæ muriaticam temperant, alcalica ſc. in ſpecie Calcis vivæ decoctum. De qualibus correctoriis cunctis atque ſingulis notetur, ut vitio non tantum ſecundum ſpeciem, ſed gradum quoque, ſint contraria, ita ut v. g. acidum potens temperandum non medicamenti terrei tantum ſufficientem quantitatem, ſed alcalicum quoque, poſtulet. **Salinarum qualitatum correctio.**

Lentorem ſeu viſciditatem præternaturalem, quæ a ſucculentia glutinoſa, corrigunt cuncta, quæ reſolvendi, incidendi ſeu attenuandi pollent virtute, nempe medicamenta tam amara & aromatica, quam ſalina urinoſa, alcalica & ſalſa, aliquando etiam acida. Quodſi vero ab acido ſeu auſtero coagulante humoribus contigerit ſpiſſitudo **Viſciditatis p. n.**

Uu 2 præter-

præternaturalis, eandem corrigent acido & auſtero contraria, interdum cum aromaticis & amaris ſeu reſolventibus alterantia, aut his combinata. Cunctorum interim vim maxime juvat calor actualis & diaphoreſis ſeu ſudor levior: unde diaphoretica & ſudorifera omnia ſunt hujus loci.

Fluiditatis p. n. Contra fluor ſeu tenuitas humorum nimia, quam alias conſiſtentiam deficientem appellant, quia modo ab aquoſitate eorum propellente, modo ab eorum exagitatione nimia, dependet: in priore caſu ſerum evacuantia, in poſteriore acidula, auſtera ac terrea, exigit.

Alterantia ſint primo mitiora. In genere de alterantibus his monet *Sylvius* hinc inde, ab eorum blandioribus ac temperatioribus demum ad potentiorum uſum eſſe progrediendum, ne impetuoſior alterantis vehementioris actio vehementiorem humorum reactionem aut præpoperam nimis alterationem, & cum hac ſymptomata graviora, moveat.

Viribus tamen humori alterando adæquata. Quam quidem cautelam cuivis tyroni commendo, ita tamen, ut gradum quoque medicamenti alterantis vitio humoris proportionatum ſemper ſimul obſervet, viſciditati majori reſolvens potentius, acrimoniæ nimiæ temperans intenſius &c. opponat: ſi ejuſmodi inprimis caſus offendat, qui ſubitanea medela, hinc alterantibus etiam potentioribus, indigent, v. g. humorem rodentem ad exquiſitiſſimum dolorem usque, viſciditatem ſuffocatoriam. Id quod in Chronicis affectibus quoque locum habet, in quibus vitia humorum maxime radicata deprehenduntur, & ab una vel altera contrarii alterantis, gradus etiam intenſioris, doſi non adeo facile ſubiguntur & ſubjugantur: neque hinc aliquid incongrui aut vitii majoris mox verendum, ſi incidens potentius in viſcidum habituale agat, quod non, niſi multo & prolixo hujus generis medicamentorum uſu corrigitur ac ſolvitur.

Affluxum humorum auctum corrigentia. Quoad motum ſanguinis & Lymphæ depravatum ſeu affluxum particularem auctum, famigeratiſſimum hujus remedium eſt averſio triplex, Revulſio nempe, Interceptio atque Repulſio.

Derivatio & Revulſio an differant? Addunt his communiter Derivationem, eam a Revulſione in hoc diſcernentes, quaſi hæc humorum influentiam, illa eorum, qui jamdum influxerunt, intra vaſa tamen adhuc hærent, ſeu, ut alias loquuntur, parti incumbunt, remedium exiſtat; item, quod per Derivationem ad locum vicinum, per Revulſionem in remotiorem ac contrarium, fluida

fluida avertantur: qualia tamen fundamento adæquato deſtituuntur. Dum ratione prioris Cruor & Lympha intra vaſa adductoria capillaria undulare nequeunt, quin vel regurgitent, vel ad revehentia deflectant, vel in ſpatiola ſeu compagem partis profundantur. Regreſſum impulſus cordis perpetuus inhibet, aut huic intra pauca mox momenta moleſtus nedum exitioſus foret; ſi ad vaſa reductoria humor deflectit, parti haud incumbit aut eam gravat: E. ſtagnabit extra vaſa profuſus; hinc ex hypotheſi vulgari, nec derivando, nec revellendo, averti valet. Poſterioris autem ætiologiam Circulationis ſanguinis directorium ſuſpectam reddit: dum v. g. per venam, quæ parti affectæ propinquior, apertam qui educitur ſanguis, non ad affectam tendit, ſed remeat ex parte vicina. Unde derivatoria v. g. Venæſectio, interceptionis potius quidam modus eſt, impedit ſiquidem, quominus tantum fluidi per arteriam ad partem affectam abeat: perinde ac nec in talo, ſeu parte remotiore atque oppoſita adminiſtrata, ſanguinem & lympham, quæ ad illam immediate vergunt, revellit, ſed intercipit ad cor refluentes, & quos hoc ad totum diſtribuere debebat.

Nec derivatio hæc fieri poteſt.

Inſtrumentorum, quibus binas has averſiones præſtant, plura ſunt, quorum alia cum evacuatione ſenſibili, ſc. Arteriotomia, Venæſectio, Scarificatio, Veſicatoria, Fonticuli ac Sternutatoria, alia ſine hac, nempe Frictiones, Ligaturæ, ac Cucurbitulæ non ſcarificatæ, adminiſtrantur; illa his potentius & cum majore efficacia agunt. Addunt his evacuationes per gulam & inteſtina, utpote quarum vis in revocandis a capite & pectore humoribus, v. g. in affectibus ſoporoſis, Epilepſia, Catarrho ſuffocativo &c. pariter non exigua creditur: quamvis effectus ejus ratio probabilis ex circulationis doctrina reddi nequeat. Niſi forſan nobis perſuadeamus, aut emolumentum, quod in recenſitis ſimilibusque pathematis præſtant hæc, non tam a cauſæ continentis ſeu proximæ averſione, quam antecedentis & quæ primis viis adhuc inexiſtit, eductione ac interceptione, dependere: aut nervis in viſceribus abdominis per evacuantia ejusmodi irritatis ſuperiorum partium ſpaſmos dolorificos ac ſtagnationes humorum remittere ac ſolvi: aut plus lymphæ per ventriculum & inteſtina ſub his evacuationibus eliminari, hinc minus ad cor &

Revulſio & Interceptio quibus fiant inſtrumentis?

Quomodo catharſis a capite & pectore revellat?

Qui humores minus revellendi.

partem morboſam remitti. Nunquam tamen revellendi ſunt humores per metaſtaſin criticam ad partem ablegati, niſi hujus nobilitas illud poſtulet, v. g. materia febrilis ad caput feratur; nec qui per criſin evacuantur: modo per vias congruas & ratione quantitatis ac qualitatis moleſti rejiciantur; cuncti vero ad membrum ignobilius ſemper convertantur.

Revellantur etiam aliquando humores extravaſati.

Revulſoria venæſectio debet eſſe larga.

Neque ita regi & refrænari ſe patiuntur tantum ſanguis & ſerum intra vaſa ſua adhuc fluctuantia, ſed qui ad porulos partium jamdum extravaſati quoque ſeu, ut loquuntur, ſubſtantiæ harum impacti, humores, ſub inflammationis & ſuggillationis, item œdematis, ſpecie; quales, nunc ſitu peccantes, evacuationes revulſorias, cruentas inprimis, ad vaſa reducere, per experientiam palam eſt. Quatenus per depletiones ejuſmodi exinanita hæc promptius excipiunt fluida radicibus ſuis capillaribus vicina, etiam quodam modo congrumeſcentia ab arterioſi ſanguinis appulſu ſibi impulſa ſimulque ad fluiditatem congruam ſoluta. Id quod ut commodius & ex intentione fiat, quia ratione vacui inprimis fluxioni præternaturali Revulſio ſeu Derivatio occurrit, non adeo parca aut timidiore & ad tres vel quatuor tantum uncias, ut communiter ſolent, ſed pleniore manu, ſanguinem educere conſultum: cum non quælibet evacuatio revellat, ſed magna tantum, & per quam vaſa evidenter inaniuntur. Quinimo nec illi indicato huic ſatisfaciunt, qui iteratis vicibus evacuando ſe defectum illum ſupplere & efficacius avertere ſibi perſuadent: cum nec hoc modo eousque vacuentur vaſa, ut fluxio ad partem læſam inhibeatur. Siquidem haud improbabile eſt poſt adeo exilem depletionem ſanguinem turgeſcentia ſua intrinſeca & expanſiva inane illud exiguum mox opplere, vaſa quoque tantillum ſubſidere & conſtringi, quantillum vacuata: hinc fluxum illum inordinatum haud compeſci, nedum intendi. Aliter ſe res habere videtur in fluxu vitioſo cum profuſione cruoris ſenſibili, in hæmorrhagiis quibuscunque, ubi parcius & repetitis vicibus potius ſanguis emittendus: vaſis jamdum per ipſam evacuationem ſymptomaticam ſatis depletis.

Nec parcior repetita ſufficit.

Parcior vero & repetita V. S. confert in hæmorrhagiis.

Denique nec, ut vulgo tradunt, in principio tantum morbi, ſeu fluxu adhuc durante, ſed in incremento quoque & ſtatu ejus, revellere

vellere convenit ac neceſſarium eſt: cum affluxus ſit perpetuus, i. e. circa ſtatum non minor, ac ſub initio illius; revulſoriæ proin evacuationes quoque ſemper ejusdem deprehendantur virtutis atque neceſſitatis, ſi non ratione cauſæ continentis, ſi hæc forſan minus mobilis evaſerit, ſaltem ratione antecedentis, ne illam augeat, adeo ut ad ſuppurationem quoque hac vergente, in inflammatione, nihilominus ſtudio averſorio adhuc inſiſtere per rationem ſanam jubeamur.

Etiam in fluxus incremento ac ſtatu revellere confert.

Intercipere olim humorem ad partem ægram e longinquo magis vergentem, repellere ipſi propinquius imminentem ac inhærentem, conabantur, utrumque per arctantia: qualia vel applicabant viis, per quas affluxus fiebat, ubi intercipiendum; vel parti recipienti, ubi repellendum. Indicatorum horum eadem erant inſtrumenta, ſc. Ligaturæ & topica adſtrictoria ſeu firmantia. Aſt quoad vincula, parti mandanti ac recipienti intermediæ, injicienda, effectus eorum dubius videtur: ne ſc. ſi leviter tantum conſtringantur, non tam Arterias adducentes, quam Venas & Lymphatica revehentia, arctent, hinc refluxum potius, quam affluxum, intercipiant; arctius vero conſtricta cum vaſis adducentibus nihilominus revehentia comprimant, hinc pariter refluxum inhibeant, ut taceam, ſine mortificationis periculo eousque conſtringi & arctari canales adducentes, haud poſſe ac debere, ut omnem ſanguinis appulſum interpellent. De adſtringentibus topicis idem ſentiendum, id eſt, aut non ſufficiunt arteriis rigidioribus ac profundius ſitis conſtringendis; aut ſanguinis & lymphæ refluæ coagulatio metuenda. Potioris efficaciæ videtur Arteriotomia, rami in partem affectam abeuntis, modo patuli & qui commode incidi queat; item Venæſectio, Cucurbitulæ ac Ligaturæ, in membris remotioribus adminiſtratæ: quo intercipiant fluida, ne per venas ad cor adeo prompte redeant, & ab hoc ad partem affectam parcius vibrentur, annuentibus *Foreſto 13. obſ. 10.* & *Hildano cent. 2. obſ. 15.* utroque quamvis motu circulationis ignaro.

Interceptio quibus modis fiat?

Per Repulſionem, quam itidem topicis adſtringentibus & ligaturis, expulſivis dictis, in parte affecta adornabant veteres, humores per eosdem canales, quos adfluebant, retrorſum urgeri credebant:

Repulſionis inſtrumenta.

bant: qui tamen agendi modus admitti nequit. Quatenus nec Ligaturarum ejuſmodi, nec ſtypticorum potentiſſimorum, tanta vis eſt, quæ ſanguini arterioſo impetum retrogradum imprimere, eumque ultra valvulas ſemilunares ad ventriculum cordis ſiniſtrum urgere, queat; renitentibus inſimul utriq; horum repellentium cordis vibratione perpetua, topicis autem adſtringentibus rigiditate ac ſitu profundiore arteriarum: verendumque, ſi modo adſtringentibus topicis tantum potentiæ fuerit, hæc in venas molliores ac patulas agendo, refluxum potius a parte læſa, cum hujus damno inſigni, moratura. Probabilius eſt repellentia hæc, mox in principio affluxus ſeu congeſtionis admota, in fibras partis recipientis tenſiles potius agere, hasque contra faciliorem admiſſionem fluidorum firmare, hæc, ut ad arterias vicinas deflectant, urgere, & quod illorum abundantius admiſſum, ſi fluidius adhuc, venis & lymphaticis impellere.

Interceptionem ac Repulſionem proin quodvis adfluxus tempus ac totus morbi curſus admittit, modo (1) poſteriorem præceſſerint evacuationes, humorum quantitati derogantes, (2) metaſtaſis illorum non critica fuerit, & virulentiam intrinſecam, v. g. veneream, peſtilentialem &c. involvat, nec (3) a venenis ab extra illatis, v. g. animalium morſu, malum prodierit, nec (4) in emunctoriis majoribus vaſis propinquioribus, v. g. in bubonibus, nec (5) ſi dolor exquiſitior combinetur, ubi anodynis potius agendum: quemadmodum (6) denique nunquam adſtringentia ſola, ſed reſolventibus ſemper temperata, parti affectæ admovere convenit.

Cautelæ in intercipiendo & repellendo obſervandæ.

Si Sanguinis & Lymphæ motus retrogradus turbetur, iidemq; humores hinc vel intra partium ſubſtantiam ſtagnent in ſuggillatione, inflammatione &c. vel ad cavitatem quandam rejiciantur, v.g. in aſcite, empyemate, capitis vehementiore & cum vaſorum interiorum facta ruptura, contuſione, ſitu dicuntur peccare: ac vitii hujus indicata duo ſunt, ſcilicet ut ad canales & receptacula ſua ſucci laudabiles reducantur, vel, ſi hoc fieri nequeat, ut extra corporis ambitum cum excrementitiis omnimode proſcribantur. Prius præſtamus per repellentium ac reſolventium uſum, quo ad vaſa adæquata recedere coguntur extravaſata fluida, modo hæc reducibilia ſint: poſterius

Refluxus humorum impeditus quomodo juvandus.

per

per remedia evacuatoria varii generis, in affectibus, quorum cauſa continens ad vaſa reduci nequit, v. g. ſanguis in ſuggillatione majore, & ad cavitatem quandam corporis profuſus, una cum ſero aſcitico; aut quæ reduci haud debet, v. g. urina, pus &c. in ventre quodam corporis hærentia, ac idem pus apoſtema conſtituens. Et quidem tam per vias naturales, v. g. inteſtina ac veſicam, quam diæreſi chirurgica factas, v. g. paracenteſi, trepanatione & abſceſſuum apertione.

Circa quales tamen e cavitatibus naturalibus humorum extravaſatorum eductiones notetur, has quidem indicanti ſuo proximo & immediato ſatisfacere, minime tamen impedire, quominus eorum plus affluat, morbumque priſtinum, Hydropem v.g. Empyema, continuet: ideo nimirum, quod ſcaturigini eorum obicem ponere & ruptis vaſis mederi haud liceat. Frequentius adminiſtratam novi Paracenteſin abdominis ac ſcroti, hinc non ſine levamine aſciticorum evidente eductas fuiſſe aquas copioſiſſimas, v. g. in viro quodam olim ſucceſſive ultra centum & viginti earum menſuras, cum euphoria ſingulari per aliquot menſes continua, viribus quotidie increſcentibus ac actionibus in integrum fere reſtitutis. Recrudeſcebat interim toties hæc ſeroſa colluvies, & ad repetendam chirurgiam urgebat, donec tandem poſt ſextum menſem ægrum opprimeret & ſuffocaret illa: educta quidem cauſa continente, non vero antecedente, quæ illius locum mox repetebat, ſeu minus obturato ejus fonte perenni. Contra recordor adoleſcentis cujusdam, mihi cognati, aſcitici valde, qui aquis per crura ſcarificata (quamvis non ſine ancipitibus valde ſymptomatis) eductis tandem reconvaleſcebat, a natura, non a medico, obturatis ſcatebris: qualem ſalutarem eventum vidi pariter ſuperiore vere in viro triginta circiter annorum aſcitico, per menſes aliquot conſummato, poſt ſublatas per catharctica, diuretica & ſcroti perforationem aquas errantes. Nec empyicorum cunctorum idem fatum, memini ſiquidem horum ſartoris juvenis, in Xenodochio S. Johannis lethaliter decumbentis, & quidem ex pleuritide ſuppurata, poſt ſaniei copioſiſſimæ ex pectore eductionem perfectiſſime ſanati: memini tamen a viginti circiter quatuor annis etiam Studioſi cujusdam, generoſioris proſapiæ, qui ex vulnere,

Confluunt denuo humores, e cavitatibus educti.

duodecimo menſis Auguſti pectori inflicto, intra quatuor ſeptimanarum ſpatium, remittentibus & tantum non evaneſcentibus ſymptomatis, reconvaleſcens, circa finem Septembris anxietatibus præcordiorum ſuffocatoriis denuo cum febre continua corripiebatur ac ab his ſeptimo Octobris interficiebatur, ejus vero cadaver latus thoracis olim perfoſſum, totum ichore ſanioſo ac fœtido repletum nobis monſtrabat, ſcaturigine hujus a primo vulnere non deleta aut certe recrudeſcente.

CAPUT XVIII.

De
Spirituum animalium medela.

Morbum ſive definiamus per impotentiam actiones naturales exercendi, ſive per diſpoſitionem præternaturalem, per quam actiones fruſtrantur; utraque ratione ſpiritus quoque ejus ſubjectum concipi poſſunt: utpote qui non raro impotentes ſeu inidonei exiſtunt, ad munia ſeu functiones, quibus a natura deſtinantur, obeundas, eo ipſo ſc. dum a conſtitutione ſua naturali plus minus recedunt, vel dum deficiunt, ſive imminuuntur, vel dum motu peccant. Deficiunt ſpiritus in tremore, affectibus ſoporoſis, atque aliquando in deliriis ſive moribundorum, ſive comatoſis ſymptomatis combinatis: & quidem vel quod non ſufficienter generentur, vel geniti abſumantur. Illud modo ob materiæ, ſanguinis nimirum, ſeu lymphæ, penuriam, modo ob texturam fluidorum horum compactiorem & conſiſtentiam firmiorem, modo propter cerebri, tanquam organi, vitia: hoc per labores animi ac corporis immoderatos, & liquoris ſpermatici excretiones immodicas; it. per vigilias & animi mœrorem. Penuria materiæ vel digeſtionibus vitioſis, vel evacuationibus præternaturalibus ac nimiis, v. g. Lienteriæ, Cœliacæ paſſioni, Hæmorrhagiis & Lactioni immodicæ ſeu diuturniori, in acceptis ferenda: eorundem vero humorum tenacitas ſeu conſiſtentia compactior, hinc particularum ſubtilium cum ſpiſſioribus arctior implicatio, ſicut obſervatur in Leucophlegmaticis, Hypochondriacis aliis-

Defectus ſpirituum cauſæ.

aliisque pituitoſis, qui hinc plurium ſenſuum torpore & motus difficultate ſeu laſſitudine laborant, ita varias ſui agnoſcit cauſas, digeſtiones inprimis pariter vitioſas, quemadmodum organi quoque morbi varii deprehenduntur.

Motu peccant ſpiritus 1. ſi agilitatem naturalem deponant, ſeu minus alacriter agitentur ac partes actuandas influant, itidem in affectibus ſoporoſis, ſenſuum ſtupore & motus languore atque impotentia: 2. ſi impetuoſius ferantur, v. g. in deliriis cum ferocia, vigiliis & convulſivis motibus: ac 3. ſi perverſe atque inordinate jactitentur, itidem in deliriis quibusvis, convulſivis motibus ac vertigine. Priori morbo occaſionem præbet (1) ſpirituum eorundem penuria: (2) narcoſis ſive intrinſecus genita, ſive per venena ſtupefacientia introducta: ac (3) admiſcela heterogeneitatum quarumvis, v. g. ſeroſarum, ſcorbuticarum, febrilium &c. Qualis heterogeneitatum acceſſio eosdem ſpiritus etiam aliquando plus juſto exagitat, ut inquietiores & ferociores evadant, quemadmodū in temulentia & febribus aliquando evidens eſt: ſicut eosdem pariter in motus perverſos rapit, ſeries ſeu continuitatem eorum interrumpendo ac illos eousq; conturbando, ut a confuſaneo hoc fluido ſpecies ſenſuum externorum ac internorum perperam excipiantur ac volutentur, niſus etiam illius ad motus partium fibroſarum neceſſarii vacillent, v. g. in tremore. Quamvis forſan tales heterogeneitates aliquando modo per acrimoniam, modo quamvis incongruitatem, ſi non ſpiritus ipſos immediate, certe canaliculos ſeu fibras tubuloſas cerebri ac nervorum, per quos undulant, vellicando, ad inordinatos motus ſtimulare, non improbabile ſit.

Motu quomodo peccent ſpiritus?

Ex quibus facile colligi poteſt, munus medici circa ſpirituum medelam in eo conſiſtere, ut cauſas remotiores affectuum horum tollat, ſpirituum vero apparatum integrum conſervet, ſeu, ne deficiant, curam gerat. Priorum quia variæ, ita ſingulæ earum ſua monſtrant indicata horumque inſtrumenta adæquata, ut ex diverſis praxeos capitibus hauriendum. Poſterioris vero auxilia & inſtrumenta, i. e. quæ fluidi hujus animalis ſyſtaſin integram tueantur ejusve defectus ac hebetudinem corrigant, ſeu quod illius perditum reſtituant, innuere, difficillimum eſt, cum profundiſſime adhuc ob-

Spirituum integritatis conſervatio res difficilis.

ſcondita deprehendatur fluidi hujus animalis theoria pathologica non minus ac phyſiologica genuina: falſas nihilominus admittere, aut formare circa ſtatum ejus naturalem hypotheſes, abſurdos parit de ſtatu illius præternaturali conceptus; ex quibus falſas & perverſas elicit indicationes, ſecundum has perperam mederi conatur, utrinque fallit ac fallitur, tyro.

Quia ratio & experientia in hoc paſſu deficit.

Agendorum in arte noſtra directrices rationem atque experientiam eſſe, nemo ambigit: ubi E. utraque deſtituimur, ſane, quid agendum, ignoramus, proin latet quoque nos, ſi non omnimode, certe maximam partem, medela ſpirituum male ſe habentium. Quod meum aſſertum ne adeo frivolum judicent alii, mihique vitio vertant, quod per meam ignorantiam alios in hoc argumenti genere æque ſtupidos decernere velim, Viros de re medica & hujus incremento præclare meritos: monitos hos cupio ac rogo, primo, ne ſcientiæ ac famæ ſuæ derogare credant, hanc vel illam rem minus noſſe, quod hebetudini ſenſuum debemus; deinde ut præjudicio, quod de ſua aliorumque hypotheſi in hoc negotio hactenus foverunt, depoſito, audita demum cauſa ſententiam dicant, præſumentes, me in dogmatibus de ſpirituum ſtatu naturali ac præternaturali evolvendis & recitandis non omnino eſſe jejunum, poſterioris medelam ſolennem & remedia trivialia ac varia ex commentariis noſſe, illam hactenus exercuiſſe hæcque applicuiſſe multoties, ſine illo tamen frequentius effectu, quem mecum deſiderabant ægri, aut, ſi ſalutaris aliquando contigerit, de hujus connexione cum remedio, ſeu modo agendi, nihilominus hallucinor adhuc.

Exiſtentia ſpirituum a poſteriore tantum innoteſcit.

Sicut pariter eorum ſubſtantia corporea.

Exiſtere ſpiritus, non a priore, ſed a poſteriore tantum, id eſt, per ſenſus & motum, quos præſtant, innoteſcit: adeo quidem, ut influxu eorum impedito omnes partes exſolvantur minusque ſentiant, aut illi inordinate ſeu inæqualiter exagitati variis ſpaſmis has exagitent, deliria, vertiginem &c. præſtent. Quemadmodum ſubſtantia corporea eosdem gaudere, vel experimentum *Bellini* circa nervos phrenicos varie compreſſos ac ſtrictos, hincque ſyſtolem diaphragmatis intercipientes & revocantes, vel hoc vulgare, docet, quo, dum brachio durius & diutius juſto innitimur, ad compreſſionem ſc. nervorum, anticam ejus partem ſubeuntium, interceptum hinc ejusdem fluidi

fluidi impulſum mox torporem ad paralyſin usque per momenta inducere obſervamus, quod vulgo **das Einſchlaffen** ajunt; laxatis vero illis nervorum anguſtiis & remeantibus denuo liberius ſpiritibus, puncturas quasdam moleſtas, ſub formicationis ſenſu, in eodem membro percipi, donec hoc æquabili demum magis eorum appulſu actuatum priſtinum vigorem recuperet: quale quid in cruribus quoque, horum ſummitate, ſeſſione v. g. incongrua aliquandiu compreſſa, deprehendimus. Porro mobile valde, proin ſubtiliſſimæ indolis, fluidum ſpirituum ſyſtema eſſe, innuit tubulorum, per quos feruntur, ſubtilitas, quod, præter tactum forſan, omnes ſenſus fugiant, velociſſime in motu pariter ac ſenſu ferantur: ita tamen ut ſub mobilitate hac incomprehenſibili, a fluidis ſubtilioribus aliis, hactenus notis, in hoc diſcernantur, quod illi non adeo ſint exhalabiles, prout v. g. de aëre & ſpiritibus, ſulphureis atque urinoſis, conſtat; ſed nervis & fibris partium, permeabilibus ac perſpirabilibus valde, tenacius ac ſtrictius inhæreſcant. Neque hoc fluidum liquoroſum eſſe, ut multi aſſeruerunt, evictum; quin potius, quod ligatus nervus in vivo animali non intumeſcat, dubium hoc maneat: donec illud cum intumeſcentia nervi plenius demónſtratum, aut, cur nervus ligatus, ſtante hac ſucculentia, non infletur, mechanice magis declaratum fuerit, ac quidem hactenus obſervare licet.

Et ſubtilitas ac mobilitas ſumma.

Non tamen ſunt exhalabiles.

Fluidum eorum liquoroſum eſſe, dubium.

Facile mihi foret a Modernis quibusdam hunc in finem prolata ſuccutere, niſi a contradictionis ſtudio alienum me mallem, declinaremque omnibus modis ſuſpicionem libidinis aliorum dogmata ſtringendi; quo quidem illud ad minimum me impetraturum confido, ne meas conjecturas ſine ſufficiente ratione ſuggillent, utpote a quibus aliquando ſponte recedere mihimet ſemper integrum ac liberum tenui. Illud tantum præſentis erit, quod, quamvis forſan ſucculentam fluidi nervi compagem mihi perſuaderi paterer, dubia tamen maneat hujus textura & modificatio: qua, tanquam ipſi naturali, ignorata, nec, quibus modis ab hac recedat ſeu vitioſa evadat, & quo genere remediorum vitiis his mederi liceat, determinari valet. Neque eorum, qui aëreæ, æthereæ ſimilisve naturæ ſpiritus hos autumant, quam hypotheſin me olim quoque coluiſſe recordor, nec qui igneos, lucidos, urinoſos, ſulphureos &c. eos aſſerunt, dogmata

Item quale hoc?

Spiritus animales non ſunt

aëreæ, æthereæ &c. naturæ.

Nec igneæ, lucidæ, urinoſæ, ſulphureæ.

Nec ex hypotheſibus his elici poterunt ſpirituum remedia.

Male ex phœnomenis quibusdam particularibus formamus hypotheſes univerſales.

mata omni ambiguitate carent, quam exponere pariter detrecto: vel ne actum agere, nel ne ϛοργὴν illam teneram, qua in fœtus ſuos illi feruntur, impie conturbare videar. Sufficit, neutrum eorum disquirendis ac inveniendis remediis, morbis eorum appropriatis, favere; aut forent hæc ignifera ſeu lucifera, aëris ſubſtantiam, aut elaterem, vel ætherem nutrientia & formantia: qualia nihilominus ignoramus cuncti, ac dici nequeunt medicamina officinalia, quæ ſpiritus roborare, exagitare, perverſos eorum motus corrigere, hactenus credidimus.

Sane culpa haud vacat mens noſtra, dum ex paucis nonnullis, quæ forſan ſenſibus obvia, alia plura abſtruſiora dijudicare, & unius alteriusve modulo cuncta aut pleraque metiri, ſatagit: quatenus ex præjudicio hoc pravo infiniti numeri falſæ, in rerum naturalium harumque operationum textura, modis & cauſis determinandis, emerſerunt hypotheſes; dum qualiter in una corporum ſpecie hæc deprehenduntur, præpropere in altera quoque ſibi eadem conceperunt ac tradiderunt. Mineralibus ac metallis ſulphur & Mercurium inexiſtere, ac per has ſui partes conſtitutivas varios effectus eadem præſtare, experientia & ratione edocemur; inde tamen Paracelſiſta, præcipitanter ſatis, in vegetabili atque animali regno rem pariter ſe habere, concludit: cum diverſis his eorumque corporibus diſparia plane ſine dubio inexiſtant principia moventia; quoad hoc ad minimum, quo unum horum ab altero genere differt, i. e. vegetabile a minerali, & animale ab utroque illorum. Et proin in operationibus horum explicandis perperam mihi laborare videntur, qui actiones animales a vegetabilium motibus diſcernere ignorant, hasve per potentiam ſulphuris mineralis languidi, putredine ac arte eductum ſal urinoſum &c. declarare contendunt, & per analogiſmos ejuſmodi minus adæquatos totidem abſurditatum ac errorum genitores evadunt. Satius ſibi credentes per levem & utrinque claudicantem, ſimilitudinem de fluidorum vitalium textura & agendi ratione fingere & mundo obtrudere hypotheſin mutilam ac mancam, quam ſuam ingenii hebetudinem profiteri ingenue. In hoc nempe conſiſtit generum illa diſparitas, ut ſive partes conſtitutivas, ſive harum modificationes, habeant diſpares: & in hoc diſcrepat vitalitas hominis

minis atque animalis cujusvis a vitalitate vegetabilis & multo magis mineralis, quod, etſi forſan quædam habeant communia ratione quarundam ſuarum operationum, harumque cauſarum; quia nihilominus animal earum nonnullas peculiares ſibique ſolitarias inſimul præſtat, ab aliis etiam principiis, cauſis, motibus &c. vim eam videatur habere. Hinc, quoniam cum cœteris animalibus propriam, a vegetabilibus & mineralibus vero peculiarem, vim movendi ac ſentiendi tenet homo: cur non aliam quoque & his omnimode peculiarem ac ſingularem ejus admittimus cauſam; proin impetum facientium indolem ab aëris, ignis, ſulphuris, olei, ſalis &c. natura non alienam ſuſpicamur?

Et ne ad generaliora nimis evager, mox circa fluida illa macrocosmi, omnibus forſan concretis naturalibus conſervatoria & ſuo modo conſtitutiva, ambigere fas erit, num in eo ſenſu poſſint ac debeant dici univerſalia, quod ſingulorum corporum fluidis conſtituendis ita inſerviant, quin alia inſuper & particularia iis inexiſtant, diverſorum ad minimum regnorum & generum? aut, annon illa fluida univerſalia, quibus pro perpetuatione ſui fruuntur ſingula naturalia, diverſis eorum generibus ita accommodentur ac in iis eousque modificentur, ut non amplius per fluoris ſui univerſalis habitudines, ſed reſtrictas & determinatas magis, in iis integrandis horumque functionibus peragendis concurrant? Atque hoc quidem in animalibus præprimis, quorum fluida vitalia horumque energiæ ac impetus ſingularia multa præ fluidis univerſalibus & cœterorum regnorum corporum exigunt. Habent fluida hæc particularia aliquid commune cum aqua & aëre, fluorem nempe, habent etiam peculiaria multa, dum ab aqua differunt ſenſibiliter olea, Mercurius mineralis, ſanguis & lympha animalis: aqua & aër ſolvunt ſalia, oleum & ſanguis minus, nec Mercurius, qui metalla corrodit, quiq; pondere reliqua ſuperat &c. alia ſolvit. Innoteſcit aquæ vis humectandi, innoteſcit etiam ejus aëris impetus alia corpora & machinas movendi: aſt qua ratione in & ſub ſanguinis ac lymphæ textura vitales motus exequantur, per univerſalem eorum fluorem declarari nequit. Aquam ſolvere ſalia, agere in ferrum, in ea ſub phlegmatis nomine diſſoluta ſalia, pro conſtituendis ſtagmatis acidis aut ſpiritibus urinoſis &c. hincque dictis

Fluida universalia non eadem ratione ſe habent in omnibus concretis.

In ſpecie fluida animalia differunt ab univerſalibus.

ctis menſtruis, ſolvere vegetabilia, mineralia &c. neminem latet: ſed quale menſtruum, ſive ratione aquoſitatis, ſive intertexti huic ſalis, ſit Lympha ventriculi digeſtrix, quæ ex aſſumptis educat chylum lacteum & gelatinoſum, vitalem &c. determinare, hæret aqua; quia potius judicare urgemur, a natura aquæ communis aliorumque ſalium menſtruum hoc animale longe recedere, ut olim in *diſſertatione, de Menſtruo univerſali animali*, declaravi.

E. ab analogia petitæ hypotheſes minus validæ.

Quibus ita ſe habentibus errare videmur, ſi ſolis analogiis in rebus naturalibus explicandis utamur, neque idoneæ ſatis erunt pro fluidorum animalium textura declaranda ſimilitudines, a fluidis vegetabilium ac mineralium, item ab aquæ, lucis atque aëris habitudine, motu &c. petitæ. Negare equidem haud licet, quin hæ nonnihil lucis afferant rei, experimentis comprobatæ, eandem tamen haud omnimode conficiunt; cum non ex omni parte ſibi ſimiles ſint, hinc nec eſſentiam rei una vel altera tantum habitudo ſeu phœnomenon, quod cum alio commune habet, evidentem reddat. Inter animalia ac plantas equidem datur aliqua analogia, ratione nutritionis & accretionis per ſucculentias & motus determinatos; inter aquam macrocoſmi & lympham microcoſmi, ratione fluoris & motus perpetui: quales tamen, quia non ubique quadrant, nec omnes utriusque generis habitudines & circumſtantiæ ex utraque parte applicari valent; nec fluidis animalibus, & inter hæc nec ſpiritibus, denegari debet præ aliis fluidis textura peculiaris, per animaleitatis nempe prærogativam, qua moveant, videant, audiant, tangant &c.

Cum nec fluida animalia eandem texturam habeant.

Atque hoc vel eo minus, quod nec fluida animalia unius texturæ atque energiæ obſervemus, aliterque longe ſe habeat bilis præ ſucco pancreatico, præ chylo lympha, cruor &c. qualibus proin, quia fibras non tendunt, objecta ſenſibilia horumve impreſſiones non recipiunt ac ad commune ſenſorium non deferunt, aliqualem quidem cum fluido nerveo ſimilitudinem, non tamen itenditatem, concedere poſſumus. Et per conſequens quamvis v. g. objecta ſenſibilia in fluidum ſenſitivum ſimili ratione agere dici poſſint, ac v. g. corpus ſolidum, aquam aut aërem percutiens horumque fluctuationem ordinariam ad momenta alterans ſeu aliter determinans: non tamen exhaurit hæc hypotheſis naturam illius fluidi, nec ſenſationis modum

dum ſufficienter exponit; multo minus, quomodo fluidum hoc unius generis & homogeneum, per nervos haud diſparis texturæ, lucem oculum ferientem, ſonum per aurem irrumpentem, palato affrictos aculeos ſapidos, adeoque ſpecies diverſas, communi ſenſorio, adducat. Concipiat ſibi lympham quis cujuscunque ſubtilitatis & puritatis, minime tamen adæquata hæc erit pro operationibus impetum facientium in corpore noſtro declarandis; & ultro comparebit ſententiam de fluido nerveo liquoroſo, quia phœnomenis hujus explicandis minus quadrat, hypotheſeos genuinæ nomen haud mereri. Mihi interim credere atque aſſerere concedatur ex præmiſſis, fluidum illud nervoſum indolem ſibi peculiarem, & quali nulla fluida extra animalia, aut univerſalia, gaudent, habere: ac oleum atque operam perdere, qui igneæ, aëreæ, ſulphureæ, ſalinæ, lymphaticæ, naturæ ſpiritus animales volunt; ſed adeo ſingulare hoc fluidum exiſtere, ut ſibi ſimiſe, & cum quo ſe comparari patiatur, in rerum natura haud inveniat. In profundo itaque etiam hucusque latet ejusdem fluidi pathologia, nihilque determinat, qui illud deficere, incraſſari, igneſcere ſeu accendi, obtenebrari, vappeſcere, torpeſcere, perverſe commoveri, ait: ignorans, quid deficiat, an ad ſpiſſitudinem induendam, umbram ac torporem admittendum, aut vappeſcendum ſit aptum? an inflammabile exiſtat? an & quomodo a tranſite naturali deflectat? per conſequens, nec vitiis ignotis, aut de quorum exiſtentia incerti, mederi nobis licebit. Adeo quidem, ut, etſi a poſteriore quoque de negotio hoc ſermocinari velimus, i. e. ex remediis, quæ ſpirituum defectum & anomalias corrigere, hactenus credidimus, pathologiam eorum aliqualem formare allaboremus, nec hinc tamen aliquid ſolidi arti noſtræ accreſcat: ut ex accuratiore illorum examine, i. e. ſine præjudicio adornato, conſtabit.

Fluidum nerveum maxime differt a fluidis macrocoſmi univerſalibus.

E. latet nos quoque pathologia illius.

Nec ex remediis hactenus admotis hanc eruere licet.

Inter medicamenta ſpiritus afficientia papaveris, hujus ſucci inſpiſſati, quem opium appellant, & cœterorum narcoticorum vis evidentior eſt, per quam ad ejuſmodi ſtatum reducuntur, ut ab omni ſenſu ac motu aut omnimode ferientur, aut ab his ſenſibiliter remittant, vel eosdem depravent: modus interim eorum agendi, ſeu quid ſpiritus a virtute hac ſtupefactoria ſuſtineant, i. e. an inſpiſſentur, an

V. g. non ex effectu narcoticorum.

extinguantur, an ſuffocentur &c. profundiſſime adhuc latet; aut per neutrum recenſitorum modorum, quo in ſpiritus agere illa concipimus, firma aliqua de horum eſſentia hypotheſis erui poteſt. Cœtera medicamina, quæ ſpiritibus, vigorem horum exaltando ſeu roborando, proſpicere creduntur, triplicis exiſtunt generis, ſc. volatilia, fixiora & media: qualia recenſere ſupervacaneum duco, utpote in vulgus nota. Fixa in genus nervoſum hujusque incolas agere, his activitatem imprimere eosque ſuſcitare atque exagitare, comprehendere nequeo, neque his ingenii mei nebulis diſcutiendis ætherei illorum influxus ſeu irradiationes, quales a Cinnabari hujusve ſulphure fixo, v. g. in morbis ſpaſmodicis, ſibi pollicentur communiter, huncque ideo cum *Cratone* epilepſiæ magnetem, imo cunctis fere cæteris cerebri affectibus appropriatum remedium, proclamant, pares ſunt. Adeo quidem, ut, ſi experientiam conſulamus, vix aliquem evidentem effectum in ſpirituum ſyſtema conturbatum monſtrare detur, conqueruntur mecum alii quoque medici ingenui, qui non tam ſuæ, quam artis, exiſtimationi litant, ſe in affectibus ejusmodi Cinnabarina utplurimum fruſtra propinaſſe. Miror interim inſimul, ſulphur Cinnabaris a chymicis fixum pronunciari, cum ſulphur commune fixitate haud ſuperet: ſi ſc. hujus formalitas in inflammabilitate ſeu combuſtibilitate minus prompta conſiſtat. Nec apparet, qua ratione ſulphur hoc fixius in ſpiritibus roborandis, temperandis, horumque turbis corrigendis plus præſtet, quam volatile, aromaticorum ſc. ac horum oleorum & ſpirituum ſulphureorum: poſtquam inprimis experientia edoceamur, hæc immediate magis in fluidum animale agere, atque huic torporem manifeſtius excutere, ut mox dicetur.

Virtus cœterorum cephalicorum dubia.

V. g. Cinnabaris.

Cujus quoque generis non judicare non poſſum cætera fixiora cephalica, ſpirituum medelæ vulgo mancipata, v. g. Corallia, Margaritas, Ungulam Alcis, Cranium humanum, Unicornu marinum, Lapides pretioſos &c. quæ aſſumpta ſicut cum Cinnabari immutata per alvum rejiciuntur, ita nec aliquid ſubſtantiæ, nec virium, hinc cerebro inferri ac ſpiritibus affricari valet. Et ſi forſan in affectibus cephalicis aliquando emolumentum aliquod contuliſſe obſerventur recenſita, dubitare integrum relinquitur, an Cinnabarina hoc agant

Ac cæterorum fixorum.

non tam ratione ſulphuris, quam Mercurii, ſibi intermixti, primarum viarum contenta hoſtilia corrigendo, abſorbendo ac detergendo, hinc fibrarum earum ſpaſmos immediato magis contactu demulcendo, harumque conſenſum morbificum cum cerebro interpellando. Dubium etiam manet, an hujus generis medicamenta reliqua humores potius præter modum turgeſcentes ac irritantes, in febribus v. g. ſcorbuto, quam ſpiritus effrenes, afficiant, illos immediate, hos mediate demum, temperent ac refrenent, ſc. in doloribus, ſpaſmis ac deliriis &c. i. e. corrigant illas heterogeneitates, quæ quocunque modo genus nervoſum irritant.

Agunt quippe forſan in humores potius, quam in ſpiritus.

Conjecturari me ita jubent diverſa 1. quod ſola remedia evacuatoria ſymptomata ejuſmodi ſolvant: 2. illa ſpecifica propinata ſpiritus immediate & evidenter haud commoveant, ſeu in hos agant: 3. nihilominus de virtute eorum in primarum viarum contenta penes omnes conſtet.

Senſibus magis obvia eſt activitas volatilium quorumcunque in ſpiritibus torpidioribus excitandis horumque motibus dirigendis, minime tamen, quaſi cum iis coëant, hosque per analogiam ſubſtantiæ enutriant, quod confortare communiter ajunt: ſed quod per mobilitatem & impetus ſuarum particularum penetrantium fibras organorum ſentientium vellicent ac laceſſent. Qualia ſunt Aromatica, Moſchus, Ambra, Caſtoreum, hincque parata olea & ſpiritus ſulphurei, item ſalia urinoſa cum ſpiritibus ejusdem indolis, acida etiam generoſiora, v. g. Acetũ ſimplex, aut cum Ruta, flor. Lavendulæ, Liliorum Convall. &c. medicatum, prout ſpiritus Vitrioli pariter vel volatilis, vel cum ſpiritu aromatico volatiliſatus &c. Cuncta hæc ſpiritibus non tam implicari, quam eosdem ab extra ad motus impellere, probabile fit, (1) quod plus præſtent & in morbis ſpirituum efficacius agant naribus ac palato affricta, quam ore hauſta: vel (2) propinata citius, ac in ventriculum demittuntur & antequam cerebri compagem penetrare poterant, vim ſuam exerant: (3) eorum pleraque cum chylo ſeu ſanguine cerebro ſuffuſa ſpiritus potius conturbent ac ſub inebriaminum & opiatorum modo obnubilent; per conſequens iis non ſint homogenea, ſed heterogenea potius. Accedit his (4) exilitas molis, qua ad ingens illorum (ut creditur) diſpen-

Quomodo ſpiritus excitent volatilia?

Motu ac impulſu.

ſpendium reſarciendum minus proportionata exiſtere videbantur, ſive aſſumpta, ſive naribus inſpirata: item (5) quod graveolentia ſeu fœtida, quæque ſpiritibus moleſta cenſentur, æque ac ſuaveolentia, ſeu quæ iis grata & adæquata magis creduntur, torpidos in affectibus ſoporoſis, apoplexia & epilepſia excitent & vim novam iis imprimant. Quemadmodum (6) idem præſtant acria quævis cephalicis nunquam annumerata, aut naribus ſub forma ptarmicorum vel errhinorum immiſſa, aut ori infuſa, v. g. ſpiritus Nitri, Vitrioli; aut ſi cum his lingua & palatum tantummodo fricentur, v. g. Sal commune, Theriaca, Confectio Anacardina &c. Imo tandem (7) ſenſibilia excellentiora quævis, frictiones nempe ac vellicationes partium vehementiores, clamores, qualia nemo ſane ſpiritibus materiam concedere aut horum defectum reſtaurare, aſſeret, eos torpidiores ſuſcitant: organorum fibras nerveas vellicando & ſpiritus intra has undulantes eousq; impellendo, quo motus ſibi impreſſos ad cerebri usque meditullium continuent, ut vel hinc inferre liceat, volatilium quoque cephalicorum ſpicula, narium, palati, gulæ ac ventriculi villos vibrantia & horum fluidum exagitantia impulſu & vibratione hac tantum ſpiritus languentes ad priſtinos motus cogere. Quæ medio demum modo ſe habent medicamina, ſpiritibus roborandis dicata, v. g. Betonica, Pœonia, Doronicum, Primula veris &c. parum admodum in ſpiritus ac nervos agunt, cum eorum aculei & impetus leviores ſint: & quicquid in motibus horum juvandis ac corrigendis præſtant, per vim eorum, glutinoſos humores incidendi inprimis contingit.

Cœtera minus volatilia etiam in humores tantum agunt.

Ars igitur noſtra deſtituitur remediis ſpiritus roborantibus & corrigentibus.

Hinc non adeo paradoxum erit meum aſſertum, Arti noſtræ deficere ejuſmodi remedia, quæ ſpirituum animalium inopiæ ſuppetias adæquatas & immediatas ferant, ſeu in eorum ſubſtantiam convertantur, horumque motus perverſos emenderit, ac ad impetus æquabiles ſimulque vegetiores reducant: nec reprehendendus ero, quod tyrones hujus defectus admonuerim. Egi ſiquidem hoc eum in finem, non ut a morborum cephalicorum medela omnino abſtineant, ſeu de eadem deſperent, ſed ut operam ſedulam magis præſtent in cauſis remotioribus eorum profligandis, torpidioribus interim ſpiritibus impetus incutiant remediis recenſitis & oppido notis,

tis, donec his adminiculis adjuta ſyſtaſis fluidi animalis ſibimet novas copias paret, & ad motus priſtinos ſe recipiat.

Caput XIX.
De
Doloris mitigatione.

Circa morbos organicos ſeu partium ſolidarum diſpoſitiones p. n. harumque medelam generalia vix ſuppetunt animadvertenda, neque circa rerum toto genere p. n. ſublationem: quin potius, cum utriusque generis plures ſint ſpecies, varient etiam hæ pro diverſitate ſubjectorum, cauſarum, adjunctorum, aliarumque circumſtantiarum, ſecundum ſpeciales has differentias iis medelam facere conveniat. Porro quantum & quomodo ſymptomata indicent, *cap. 10* dictum, ſingulorum vero medelam praxis ſpecialis hinc inde ſubminiſtrat, & quidem modo veram, modo palliativam ſeu fucatam, ſicut in ſpecie doloris diverſorum membrorum, v. g. artuum, inteſtinorum, ventriculi, dentium, oculorum, nephritidis, pleuritidis, cephalalgiæ &c.: quæ tamen non impediunt, quo minus ſub conceptu generaliore de Doloris medendi ratione tyronem erudiam, ac neceſſarias hujus cautelas exponam. Eſt quippe dolor ejusmodi ſymptoma, quod vires non modo enormiter dejicit, ſed cujus ingrata & triſtis ſenſatio ægris adeo moleſta exiſtit, ut præter hanc omnia, mortem etiam aliquando, perpeti malint, nihilque magis, ac hujus levamen & ſublationem, urgeant: imo, ut alias monui, ſpaſmi dolorifici cauſarum morbificarum aliorumque ſymptomatum remotionem aliquando ſufflaminant, ut hæc vix commode, niſi illis aliquantum ſedatis, v. g. calculus renum, fœces alvi, in Colica ſuppreſſæ, eliminari ac educi queant; per conſequens etiam hujus intuitu ſui mitigationem poſtulant.

Doloris compeſcendi neceſſitas.

Quod ut dextre magis fiat, ratione formalitatis & cauſarum doloris mihi præmonendum, eum minus commode vel, juxta *Sylvium* tactum auctum, vel cœterorum pleroſque depravatum, ſeu hujus vitium, appellari poſſe: cum non tam hujus organum ſeu cuti intertextæ

Dolor non eſt affectio tactus.

textæ papillæ nerveæ, quam fibræ quævis ſenſiles, a re dolorifica afficiantur. Id eſt, quamdiu culter v. g. ſecans, medicamentum cauſticum papillarum harum tangentium prominentiolas extremas tantum leviter ferit, aut calor mitior ſuperficialiter tantum in partes agit, nihil moleſti, triſtis, doloroſi &c. illæ ſentiunt, donec iis & cutis fibroſæ ſubſtantiæ profundius adigantur illa, ferrum candens fibras criſpet ac laceret, i. e. ſuperata ſphæra ſeu extremitate dictarum eminentiarum tangentium. Sc. eo ipſo, dum (1) dolorificam moleſtiam non infert, quamdiu, ut tangibile externum, compagem tantum illarum papillarum percellit, (2) præter has papillulas quævis partes fibroſæ, quas haud tangere, nunc penes plerosque in confeſſo eſt, dolorificas impreſſiones ſuſtinent, nec (3) ſub integritate, ſed læſione ſeu tenſione demum fibrarum immoderatiore, illud fit: non tactus vitium ſeu fruſtratio, ſed irritabilium ſeu ſenſibilium fibrarum paſſio, videtur dolor; i. e. irritantur fibræ ad ſui contractionem extraordinariam.

Subjectum doloris adæquatum ſunt fibræ nerveæ.

Subjectum E. doloris fibræ ſunt nerveæ & ex his contextæ partes quævis, v. g. membranæ, muſculi &c. utpote quæ ſenſibiles atque irritabiles, dum a re extra ſe conſtituta plus juſto tenduntur ac lacerantur, paſſionem hanc experiuntur, quatenus tenſioni ab extra factæ contractione ſua reluctantur, ſeu ad renitentiam ejuſmodi ab illis, quæ præter modum tendunt, provocantur, quod olim continui ſolutionem ajebant. Ita quidem, ut fibræ tenſæ ſimul vicinas, utut impreſſionem illam objecti dolorifici haud ſuſtinentes, in conſenſum rapiant, quæ pariter renitendo in laceratas ſeu tenſas reagunt, ſeu easdem denuo convellunt. Cui contractioni hinc inde factæ combinatur partis dolentis pulſatio, hinc facile inflammatio, quod veteres dicebant, dolorem affluxum parere; adæquate magis explicari poterat, per circulationis ſanguinis, in parte dolente, conturbationem ſeu impedimentum. Imo ſub ſpaſmis his dolorificis non tantum partis eſſentialiter ſeu immediate magis a re dolorifica affectæ, ſed ſimul in conſenſum raptæ (atque hujus aliquando ſine dolore evidente) functiones propriæ læduntur, ut v. g. in dolore nephritico ad nauſeam & vomitus ſtimuletur ventriculus, motus diaphragmatis ac cordis, ad dyſpnæam & lipothymiam usque, conturbetur,

Cauſa doloris formalis.

Dolor in conſenſum rapit partes alias.

tur, i. e. ſymptomata varia per conſenſum partium fibroſarum prodeant.

Atque hanc fibrarum tenſionem incongruam hincque factam violentiorem criſpationem ad ſenſorium commune determinari, (1) continuitas illa, quæ cum hoc, mediantibus nervorum ramis & truncis, iis intercedit, innuit, (2) quod dolores vigilias concitent, adeoque cerebri etiam incolas inquietos reddant, ac eosdem (3) excipiant ſpaſmi & motus convulſivi, plus minus univerſales, ſi nimirum, diuturniores ac graviores, ſpirituum animalium intra cerebrum ac nervos motus conturbent ac impetuoſius exagitent: quibus (4) accedit, partes etiam detruncatas dolere, ſeu de dolore harum, primo ſenſorio antehac impreſſo, conqueri adhuc mutilatos; item (5) quod opiata aſſumpta in ſpirituum ſyſtema agentia horum motus dolorificos in hoc vel illo membro ſiſtant. *Dolor non partem tantum, ſed ſenſorium quoque commune, afficit.*

Cauſarum dolorificarum, ſeu tendendo fibras irritantium, diverſæ ſunt, ſecundum partis dolentis diverſam texturam varia dolorum genera & gradus, ſive mole, ſive motu, ſive quavis particularum ſuarum modificatione incongrua, præſtantes: & quidem tam externæ, quam internæ: Illæ ſunt quælibet ab extra in fibras ſenſiles vehementius, tendendo, ſecando, urendo &c. agentia: Internæ vero obſervantur modo ſubſtantiæ ſolidiores, v. g. calculus, os luxatum, item lumbrici ſeu vermes rodentes; modo heterogeneitates fluidiores ac ſubtiliores, v. g. ſanguis & lympha ſtagnando & diſtendendo, item lympha, pus, per acrimoniam ſuam rodendo, dolores concitantia. Nec in his ſemper acrimoniam ſingularem concipere oppido neceſſarium videtur, cum ſub quavis incongruitate fluida fibras nerveas, quibus minus adæquata, irritare valeant, ac v. g. guttulam aquæ vulneri inſtillatam & filamentum levius, ad idem delapſum, mox exquiſitum in hoc dolorem parit. Fieri tamen vel concipi poterit nunquam ullus dolor, quin ſolidum ac fluidum nerveum ſimul motus incongruos ſuſtineant, utut primus hujus inſtinctus, ut dixi, diverſam agnoſcat cauſam. *Cauſæ dolorum remotæ.* *Humoribus dolorificis non ſemper ſubeſt acrimonia.* *Cauſa proxima.*

Quibus præmiſſis dicendum, Therapeiam dolorum generalem Indicationes ſpeciales tres involvere, cauſæ nimirum ſublationem, fibrarum tenſarum laxationem, harumque irritabilitatis contemperationem. *Indicationes doloris tres.*

A cauſarum remotione non ſemper inchoandum.

rationem. Cauſæ remotioni ante omnia eſſe litandum, ſana equidem ratio poſtulat, & quidem, prout illa variat, per modos & inſtrumenta diverſa: quod nihilominus tenſioni fibrarum dolorificæ harumque irritabilitati, illa relicta, aliquantum ſuccurrere liceat, extra omne dubium & manifeſtum eſt, v.g. in dolore nephritico, qui frequentius, antequam calculus expellatur, compeſcitur, neque hic, antequam ille mitigatus, educitur. In quo cum antiquis conſentientes deprehendimus modernos, utroſque ante omnia per anodyna & narcotica operari jubentes, priusquam calculum pellentia propinentur; imo fruſtra etiam hæc, antequam dolor ſopitus, exhibentur. Colicæ cum alvi conſtipatione ſeu paſſionis Iliacæ par ratio eſt, ubi alvum laxantibus anodyna & opiata præmittuntur: quo ſpaſmos inteſtinorum convulſorum prius leniant; ſicque hæc vel ſponte, vel a purgantibus ſollicitata, liberius tranſmittant ac dimittant contenta hactenus congeſta atque oneroſa. Et quamvis palliativa ac temporaria tantum hæc videatur doloris medela, dum cauſa manente ille facile recrudeſcere, ac hæc novos ac majores minoresve impetus exerere poſſit: per eam tamen, quia ſpiritus ad quietem diſponuntur, vires per ſubſequentem ſomnum eousque reſtaurantur, ut cauſæ novæ vel recrudeſcentis novum inſultum ferendi eamque digerendi vel eliminandi pares evadant; ſeu advertente *Hartmanno*, dum cum morbo (ſeu ſymptomate) quieſcit corpus, cauſa doloris frequentius expellitur.

Sed frequenter quoque a fibrarum demulſione.

Adeoque ab anodynis & narcoticis.

Licet ad tempus tantum agant.

Fibrarum criſpaturas quæ leniant?

Fibrarum interim tenſiones ſeu criſpaturas leniunt localia anodyna ſeu paregorica, alias emollientia ſeu laxantia dicta, varia: quæ emolliendo illas ad rigiditatem tenſas laxant & quaſi elongari faciunt, ut tenſione illarum remittente objecto æque dolorifico ac ſpirituum ingruentiæ promptius cedant, ſicque dolor remittat. Species ſc. (1) emollientes ac mucilaginoſæ cunctæ ſub forma humidiore, v.g. ſacculorum lacti vel aquæ incoctorum, item cataplaſmatum, admotæ, cum ipſa humida ſeu humectantia in partes, harum villas laxando, agant: quo ſpectant medulla panis cum lacte vitello ovorum, ſtercora animalium v.g. juxta *Thonerum*, in dolore artuum; omnia pinguia temperatiora, v.g. axungiæ & medullæ oſſium animalium, butyrum, olea temperatiora expreſſa vel ſimplicia, vel cum

aliis

aliis cocta, v. g. liquor oleoſus ex floribus verbaſci & ſambuci per deliquium in clibano paratus. (2) Antiſpaſmodica interne atque externe applicata, v. g. lumbrici terreſtres, hincque præparatus liquor atque oleum, item urinoſa, camphora, ſuffimigium ex ſuccino, cinnabarina & caſtoreata, ſapo cum ſpiritu vini in linimentum redactus cum balſamo Peruviano, oleo ranarum atque bufonum.

Anodynis ſimile quid præſtat ſanguinis eductio, in doloribus variis demulcendis præſentaneum remedium: non tantum quatenus ſanguinis ac lymphæ ſtagnationes dolorificas, ſicque cauſam doloris proximam, ſolvit evacuatio hæc: ſed quatenus utrumque hoc fluidum, quo hactenus vel ſecundum naturam, vel propter criſpaturas ſuas, turgebant, fibris ſubtrahit, ut hinc flacceſcentes ſeu minus tenſæ ingruentiis ſpirituum impetuoſioribus ſeu doloroſis cedant, nec his & objectis moleſtis adeo renitantur, hinc in ſpaſmos dolorificos leviores tantum illæ cieantur. Spectant etiam huc veſicatoria, parti non dolenti applicata: quatenus non tam materiam peccantem, quam ſpirituum impetum, a parte dolente avertendo, agunt, juxta *Hipp. 2. aph. 46. duobus doloribus in diverſis partibus obortis vehementior minorem obſcurat;* quod idem de dolore, quem veſicatorium infert, expectandum, ideoque parandum, ut dolorem priſtino ſi non majorem, certe haud minorem faciat.

Etiam ſanguinis miſſio.

Et Veſicatoria.

Spirituum denique orgaſmum, ſive in cerebro, ſive in parte affecta, exagitatorum, temperant ac cohibent ſtupefactoria ſeu narcotica quævis, diverſi generis, interne pariter, ac externe, applicanda. Inter quæ ſine dubio primum locum tenent papaverina ac opiata, frequentioris etiam præ foliis ac ſemine hyoſcyami, ſtrammonici & radice mandragoræ uſus: Intrinſecus ſc. propinata opiata ſub exiliſſima doſi ingentes in doloribus immenſis ſiſtendis effectus præſtant, activitatem ſpirituum naturalem ac præternaturalem refrenando atque compeſcendo, ut ab hac minus actuatæ fibræ ſenſibiles laxentur ſeu torpeſcant, quo impreſſiones cauſarum dolorificarum minus perſentiſcant; Ut mirari ſubeat, nonnullos practicos, ſatis veteranos, uſum opii adeo formidare, non attendentes encomia, quibus celeberrimi & magnæ fidei atque experientiæ Scriptores illud extollunt, dum v. g. *Hartmannus* medicamentum hoc magnum in Medicina

Spiritus tumultuantes ſopiunt narcotica.

Uſus opii in doloribus, haud formidandus.

arcanum pronunciat, *Sylvius*, ſe malle non medicum eſſe, quam Opio carere, ac *Williſius* eo artem carere non poſſe, ſcribunt: quorum *poſterior Pharm. rat. ſ. 7. c. 1* aliquot effectuum ſumme dolorificorum & moleſtiſſimorum, pro deploratis habitorum, curationes, ſolius Opii beneficio peractas, recenſet; & *Platerus* demum in laudibus ejus decantandis ad illud Hyperboles abripitur, ut aſſerere non ſit veritus, ſe rota confractum mediante illo aliquandiu ſuperſtitem conſervaturum.

Nec major ejus doſis & uſus frequentia.

Neque alios Practicos ejuſmodi obſervationibus deſtitui puto, ex quibus conſtat, quam ſtupenda ſit hujus ſedativi vis in doloribus gravioribus ac contumacibus, aliquando quamvis ad horrendam ſeu incredibilem quantitatem uſurpati, quæ hinc inde penes eosdem evolvi poſſunt: liceat mihi unicam tantum, præ aliis ſimilis generis, notare. Quatuor circiter abhinc annis juvencula, uxor mercatoris cujusdam primipara, in primo hoc puerperio, febrem acutam cum vomitibus, lipothymiis, motibus convulſivis &c. incidebat, qualia ſymptomata intra decendium circiter per remedia appropriata aliquatenus diſcusſa lipothymias, anxietates præcordiorum ac ſtrangulationes pone ſe linquebant, inprimis vero dolorem artuum exquiſitiſſimum nocturnum, arthritidis vagæ æmulum, nullis auxiliis, nec opiatis, in mediocri doſi propinatis, ſuperabilem, qualem nihilominus intendere & frequentius exhibere, alter Medicus mihi ſocius meticuloſior ambigebat, donec tandem ambo convicti, cernentes majorem paulo medicamenti hujus quantitatem nihilominus noctes quietas magis præſtare, eam ſingulis veſpertinis ac nocturnis horis bis, ter, imo quater exhibuerimus, ſemper levamen hinc, ab intermiſſo vero ejus uſu eosdem dolores cum miſera experti: adeoque demum continuato hoc noctibus inſequentibus, & ſic ultra uncias tres intra binas ſeptimanas Tincturæ opii tartariſatæ conſumptis, cruciatus illi cum cœteris ſymptomatis omnimode evanuerint.

Damna opii.

Frequentiore pariter experientia edocemur, minus congrue aut imprudentius propinatum Opium evidentiſſime nocere, ſpirituum torporem evidentem, mentis hebetudinem, ventriculi oppresſionem atque aggravationem, affectus comatoſos, imo ſoporem æternum, dum inducit: quales noxas tamen declinabimus præprimis

mis cavendo ab ejus quantitate nimia uſuque crebriore, hincque attendendo monitum *Sylvii*, toties ab hoc inculcatum, ut propinetur in quantitate exiliore, & partitis potius vicibus doſis major vel media quoque. In ſpecie vero haud facile aut parciſſime exhibenda ſunt opiata infantibus, utpote quos, propter cerebrum mollius & ſyſtema ſpirituum tenerius adhuc facile in convulſiones & epilepſiam lethalem conjiciunt, aut hebetioris ingenii atque memoriæ reddunt: nec cacochymicis & cachecticis valde, ſeu pituitoſis ac ſeroſis, qui ſpiritus languidiores alunt; aut quibus vel ab ipſo dolore ac vigiliis, vel a morbo combinato, vires enormius conſumptæ. Quemadmodum ratio maxime habenda eſt quorundam idioſyncraſiæ, qui ſub uſu opiatorum nihil omnino levaminis a dolore, ſed ſaltem laſſitudinem extraordinariam ac torporem cum delirio ac vigiliis, ad comatis vigilis modum, ſuſtinent.

Quibus opiata minus quadrent?

Extrinſecus applicatorum vis narcoticorum aut exilior forſan, in doloribus leniendis obſervatur, quamvis in praxi vulgari quotidiani uſus ſint: niſi quatenus eorum quædam minima ſubtiliora fibras partis affectæ ſenſiles profundius penetrant, & ſecundum harum tractus ad ſpirituum ſyſtema abſorbentur. Vulgi equidem eſt traditio, opiata membris inflammatis non raro gangrænam, ad mortificationem usque inducere, per conſequens vim eorum narcoticam per cutem interiora penetrare ac hac ratione etiam dolores lenire: quod ſi tamen experientiam conſulamus, aut hæc illud denegat, aut aſſertum hoc fallaciam non cauſæ, ut cauſæ, involvit, dum ſub cataplaſmatis ſimilisve mixtura applicato opio, hyoſcyamo &c. tribuitur, quod cœteris ingredientibus aut remediis antecedaneis majore jure in acceptis erat referendum. Cum narcotica hæc non in fibras agant hasque laxent, vel ad mortificationem usque laxare queant, quemadmodum lenientia & paregorica mucilaginoſa ſimiliaque actu humida & humectantia, de quibus ſuperius dictum. Facit huc & errorem indigitatum declarat illud *Zacut. Luſ. prax. admir. l. 2. obſ. 174* de quodam, cujus genu valde dolenti admota ſtupefactoria ex Hyoſcyamo, Mandragora & Opio ſphacelum huic lethalem induxerint: ubi ſimul legitur, illum plurima a medicaſtris alia admiſiſſe auxilia, cum aceto hæc Emplaſtra, vel fomenta potius, fuiſſe formata; cuncta ambiguum

Opii extrinſecus admoti vis exilis.

Adeoque nec partibus inflammatis ſphacelum inducit.

dimittentia Lectorem, an a prioribus, an poſteriori, an ab aceto, an hyoſcyamo, opio &c. narcoſis illa mortifera evenerit? Caute nihilominus adminiſtranda ejuſmodi ſtupefactoria membris ſenſibilibus magis, ſeu quorum fibræ patentiores ac teneriores, v. g. denti carioſo, auribus, alvo, podici, quibus relaxationem ac ſtuporem difficilioris medelæ inferunt, ac ad narcoſin usque totius ab iisdem imbibuntur, ut ab opio denti carioſo intruſo, clyſmate narcotico &c. quosdam extinctos legamus ac recordemur.

Nocet tamen partibus ſenſibilibus valde.

Stuporem inducunt topica adſtringentia.

Stuporem partibus evidentius inducunt topica adſtringentia & auſtera potentiora, v. g. Acetum, Alumen, Vitriolum, Gallæ &c. quorum vim ſedativam in odontalgia frequentius experimur: forſan, quod villos partium irritabiles conſtringendo horum renitentiam in impetum ſpirituum, præter naturam commotorum, intendant ac firment, ſicque ſtuporis peculiare quoddam genus forment, quale ab uſu ejuſmodi remediorum in dentibus ac cœteris oris partibus reſiduum deprehendimus. Quo etiam actu frigidiora referenda, Aqua ſc. frigida, Nix, Glacies &c. qualia membris, quæ contingunt, ſtuporem inducere, palam eſt: quatenus nempe ſpirituum appulſum illa inhibent ſeu a parte affecta repellendo avertunt, congelant &c. quemadmodum colicam glacie ſanatam refert *Bartholinus de nive*. Qualium tamen uſum tutius reprobare, quam approbare, licet, quatenus frigus diutius aut incautius admiſſum partes brevi in ſphacelum conjicit, lipothymias parit & ad ſomnum fatalem diſponit. Sicut topicis ſtupefactoriis quoque accenſenda acriora varii generis, v. g. Spiritus ſalis, gangrænoſis membris, annotante *Fr. Hofmanno* anodynum efficax, item radix Pyrethri, Origanum, Caryophylli, horumque olea deſtillata: quæ ſine dubio, plus minus rodendo, perinde ac cauſtica actualia, partes ſenſibiles quaſi mortificant, v. g. in dentium dolore: quem oleum caryophyllorum rodendo æque horum meditullium, ac ferramentum ignitum idem adurendo, ſedare videtur, ideoque in ſphacelatis partibus a ſanis ſeparandis uſuale, & ferrum ad crocum ſeu rubiginem rodere aptum. Aut acriora hæc, fibras ab extra dum irritant ac convellunt, perinde ac cœtera adſtringentia vulgo dicta, eas eousque firmant, ut harum renitentia objecti pariter dolorifici, ac ſpirituum, ſuperet impetum.

Item actu gelida.

Et acriora.

Deni-

Denique Mercurii vivi, extrinſecus applicati, vim ſedativam huc refero, qualem adeo eximiam teſtatur *Walæus inſt. med. lib. 3. c. 3.* ut illos etiam dolores mitiget, qui ab aliis remediis ſanari non potuerint. Et experimur hanc ejus efficaciam hinc inde, v. g. in Cancro occulto pariter ac manifeſto, ſive ſimplicis, ſive cum plumbo amalgamati, aut, ſi lamina tantum plumbea, illo incruſtata parti affectæ imponatur: item in gummatum gallicorum aliisque artuum aut hujus generis immanioribus, doloribus, in quibus unguenta & emplaſtra Mercurialia topicis opiatis palmam præripiunt. Sicut in Cephalalgia quoque effera maxime præſentaneum remedium obſervamus Emplaſtrum de Ranis cum Mercurio, duplicato aut triplicato inprimis hujus pondere: imo artuum dolores catarrhoſos quoque pertinaciſſimos idem ſolvit. Equidem ſedativam hanc virtutem nonnulli texturæ ejus penetrativæ ſeu fuſoriæ, qua viſcidum morbificum perinde attenuet & ſolvat, ac metallorum compactiora corpora ſub amalgamatione ſumma agilitate penetret, adſcribunt; qualem etiam ipſi denegare nolo: quia nihilominus illius abuſum ſeu incautam manipulationem atque admiſſionem ſpirituum ſyſtaſi ſtuporem inducere, paralyſis, tremores, convulſiones, lethargus apoplexia & impotentia virilis in metallurgis aliisque operariis, qui Hydrargyrum frequentius tractant, a *Fernelio*, *Solenandro*, *Begnino*, *Oetheo*, *Ponzetio*, *Foreſto*, *Williſio* ac multis aliis annotata ſymptomata, teſtantur, moderatiorem & congruum ejus uſum leviorem atque ſalutarem narcoſin inducere, & per hanc dolorificorum objectorum impetum retundere, probabile fit. Sicut Mercurius vivus quoque.

CAPUT XX.

De *Moderanda diæta.*

Qui diætam virium tantum conſervandarum ſeu indicationis vitalis inſtrumentum, quod ſanitatem, cauſam hujus & functiones integras, vel in ſtatu naturali earum reliquias, conſervet, tradunt, cum *Sennerto* ſc. plerique, valde mihi errare videntur, Diæta remedium eſt non tantum conſervatorii,

ſed curatorium quoque.

cum oppido clarum ſit, illam humorum etiam vitia corrigere, viſcidos incidere, acres temperare, ſtagnantes commovere, cruditates ventriculi ſolvere, alvum conſtipatam laxare &c. adeoque cum Pharmacia & Chirurgia Indicationis, tam conſervatoriæ, quam ſublatoriæ, eſſe inſtrumentum.

Male veteres quidam ſub diæta victus tantum moderamen complectebantur.

Porro male quoque egiſſe videntur antiquiores, quod, equidem ſex res nonnaturales cunctas ſub diæta ſtare aſſerentes, neglectis tamen & poſthabitis, in commentariis ſuis diæteticis generalioribus, cœteris, cibi & potus tantum rationem habuerint, hincque triplicem diætam, craſſam, mediocrem ac tenuem, ſecundum victus diverſam quantitatem & nutriendi aptitudinem, conſtituerint. Unde factum, ut, ſi de diæta ſeu vivendi regimine quæratur ſanus vel æger, officio ſuo ſatisfeciſſe & accuratiorem diætam ſe coluiſſe, ſibi perſuadeat uterque, ſi nullum in victu errorem commiſerit: increpans aliquando Medicum, qui aliter conjecturetur ſeu ejus vivendi rationem taxet; ignorans, etiam cœterarum quinque rerum nonnaturalium uſum & abuſum diætam bonam & pravam, licet victus & hujus moderamen optime ſe habeant, præſtare.

Sc. inter inſtrumenta medica primum locum tenet cunctarum ſex rerum nonnaturalium congruus uſus: & pars Medicinæ diætetica audit, quæ adminiſtrationem illam dirigit, in ſanis pariter, ac ægris.

Etiam ſanorum diætam moderatur Medicus.

Adeo ut falli videantur, qui diætam ſanorum ad Artem non ſpectare ſentiunt: cum infirmis non tantum ac in ſtatu neutro conſtitutis, ſed vere ſanis quoque, quo in ſalubritate conſerventur, adæquata competat vivendi ratio, a Medico determinanda, ab ægro & ſano vero ſervanda. Inprimis tamen regiminis accuratioris admonere neceſſarium eſt illos, qui ex prava diæta aliquem affectum præternaturalem ſibi contraxiſſe videntur, & quænam illa ſint, in quorum uſu hactenus deliquerint, indicare: ut ab his in poſterum abſtineant, vel ſaltem, quantum poſſibile, caveant. Qualis admonitio quo penes ægros promptius locum inveniat, & ut his facilius perſuadeat,

Cui inprimis inſervit experientia.

quod linquendum, vel faciendum, cupit Medicus, opus eſt, ut per propriam eorum experientiam & noxam hos ab ulteriore errorum perpetratione avertat: quem in finem accuratius ſimul obſervet mutationes ad bonum ac malum, quæ ſanis æque ac ægris a ſex rerum

nonna-

nonnaturalium uſu ſano & perverſo eveniunt. Potiſſimum cum non omnes æque ab his vel illis, quorum uſus nihilominus ſuſpectus, lædi, experientia comprobet, ut inferius per partes conſtabit. Et nulli Medicorum citra experientiam determinare licebit, quale unicuique quadret regimen, ac quales nocituri aut profuturi ſint rerum nonnaturalium uſus vel abuſus: verum etiam hic illud tritum attendendum erit præceptum: *a juvantibus ac nocentibus certiſſimam peti indicationem*, ſeu, quod prodeſt, continuandum vel admittendum, quod nocet, diſſuadendum ac fugiendum; i. e. in diæta decernenda ponderet medicus, quod uniuscujusque ſubjecti natura ferat, quid ferre recuſet. Quem in finem frequentius ac ſollicite interroget ſingulos infirmos, qualia commode ſuſtineant, ac a quibus ſenſibiliter lædantur, cum, uti dictum, non ſinguli a ſingulis eodem modo afficiantur: qualia ſi hactenus ignorent, adigendi ſunt, curatius magis ea attendere & medico diſtinctius referre.

Quod ſi vero diligentiore medici ſciſcitatione & ex fideli ægri relatione conſtet, pravam diætam morbo aut ſymptomati occaſionem ſubminiſtraſſe, ſeu quoties ſingularem ſub illa mutationem contigisſe, hic obſervat; toties ſedulo & ſpecialius affectus illius cauſam veram ſcrutetur, quo huic, quantum poſſibile, per regimen æq; contrarium ac alia præſidia, ſuccurrere queat: neve morbo & cauſæ adſcribat, quod diætæ erroris eſt, neque diætæ, quod morbi; in quali judicio ferendo medicus non raro fallitur. Hinc vitium diætæ omni ſtudio corrigat, æger vero monitis hujus obſequioſe auſcultet, illudque ſecundum præſcripta prompte vitet: irritum quippe eſt conſilium Medici prolixius, niſi ſalutaribus ejus cautelis obtemperet ille, ſique forſan ſuæ magis luxuriei & affectibus pravis, quam præceptis artis, litet.

Poſt diætam ægri morbi rimetur cauſam.

Æger obtemperet Medico.

Quamvis nimium in diæta præſcribenda rigorem ægris aliquando moleſtum, neque adeo proficuum ſemper, experientia innuat, ut *cap. 4* declaravi. Quibus nunc addo, ipſum *Hippocratem* diverſis in locis ejuſmodi medicis deſideratorum gratificationes commendare, *1. epid. 4. t. 7. & 8.* & in ſpecie quoad victum *2. aph. 38: Paulo deterior & potus & cibus, verum jucundior, melioribus quidem, ſed injucundioribus, præferendus eſt.* Quem textum *Galenus* ita interpre-

Non tamen rigidus nimis ſit Medicus.

terpretatur: non ſolum ideo eſſe connivendum, ut ægro gratificemur, ſed quod deſideratum utile quoque exiſtat. Quatenus quæ cum voluptate aſſumuntur, iſta ventriculus amplexatur & facilius concoquit; ſicut illa, quæ diſplicent, refugit, cum inſequente nauſea & obſtructionibus: quemadmodum quotidie obſervamus, nonnullos a morbis chronicis vix reconvaleſcere, congrua interim alimenta faſtidire, donec appetitui eorum circa minus ſalubria viſa ſatisfiat. Cujus exemplum *Hildanus 1. obſ. 37* recenſet de muliere quadam, ulcere maligno circa fauces laborante, ita ut alimenta non, niſi magno cum labore, deglutire potuerit, hanc appetiiſſe haleces, carnes & piſces ſalitos ac fume induratos aliosque duriores cibos, hosque ſine difficultate deglutiiſſe, amygdalata, hordeata juraque carnium ſtomacho abhorrente, qualia nec ſorbere poterat. Veſcebatur proin his ſine noxa, quæ morbum intendere poterant; reſpuebat vero, quæ ſalubria, & ſi hæc aſſumere allaboraret, nauſeam & nonnunquam febriles paroxyſmos experiebatur.

Quæ conniventiam in diæta moderentur?

Et conniventiam hanc determinabunt potiſſimum tria, primo nempe receſſus alimenti inſalubrioris a ſalubri major minorve, tam ratione pravitatis, quam quantitatis. Priorem non magnum *Hippocrates* verbis: *paulo deterior & potus & cibus*, concedit, i. e. in quo commiſſus error vel a natura, vel arte, facile emendari valet: poſteriorem vero illud ejusdem *Hippocratis 6. epid. ſ. 4. t. 14. Exercitatio ſanitatis eſt veſci citra ſaturationem*, ſeu *Helmontianum, non qualitas, ſed quantitas eſt, quæ nocet*, innuit. Cui ſecundo accedit, ne omnium æq; horum appetitui aſſentiatur medicus, cum nonnulli adeo moroſi atque intemperantes deprehendantur, ut, ſi tantillum his concedatur, occaſione hac, inſcio illo plus ejus quærant & aſſumant: cum qualibus rigidius agendum. Ante omnia autem tertio ſtudioſe obſervandum, qualis & quanta ex gratificatione ejuſmodi noxa ægrotanti evenerit: qualis minor ulteriorem conniventiam admittit, major ſeveriorem poſtulat Medicum. Imo corrigere non adeo magnum errorem aliquando licebit modo, in ſanis præprimis, ſecundum *Hipp.* l. a. labore ſeu motu corporis; modo medicamentis, cruditates ſolventibus.

Cœteras gratificandi ægris in diæta occaſiones ad ſpecialiora ſingulo-

ſingulorum reſervabo loca, inpræſentiarum recenſiturus cauſas, quæ potiſſimum eam aliquando minus rigidam concedant & lenius regimen poſtulent. Harum prima videtur idioſyncraſia individualis, cujus vi alios abſtemios & hydropotas, alios vino addictos, ſeu ad aquam & cereviſiam male ſe habentes, offendimus. *Vino in febricitantibus, ut alimento, uti poſſumus*, ſcribit *Canonherius de admir. vini virtut. l. 1. c. 3. quatenus idioſyncraſiæ in omnibus morbis curandis magnam poteſtatem habent, ita ut nonnulli adeo ad vinum comparati obſerventur, ut in extremis morbis ab illo non abſtinere queant: aut, ſi abſtinere cogantur*, obſervante *J. B. Sylvatico controv. 12. magis excandeſcant:* quosdam lac, butyrum, caſeum &c. faſtidientes; alios multi, alios pauci, ſomni obſervamus: aërem frigidiorem ac rigidiorem ferunt, quibus habitus compactior contigit; minus, quibus laxior. Auram tenuiorem plerique morborum chronicorum exigunt, perhibet nihilominus *Mundy Biochreſtol. Commentar. 1. c. 8.* ſe noſſe ſubjecta ejuſmodi valetudinaria, quibus moleſta illa extiterit, & craſſiorem repetere quæ coacta fuerint. Quemadmodum per eandem idioſyncraſiæ ſeu temperamenti diſparitatem evenit, ut exacte ſalubri ſeu temperato aëre commode fruantur corpora temperata, conſervetur etiam in hoc integra eorum valetudo, ſeu temperies huic congrua, i. e. ſimili ſeu temperato aëre juvetur: aſt quorum temperies a mediocritate per qualitatis cujusdam exceſſum recedit, non, niſi intemperato, conſervantur, tali nempe, qui illius reſpective contrariæ exceſſus eſt, v. g. frigidiore aut calidiore. Variat pariter alimentorum demenſum ſeu aſſumendorum quantitas pro ſingulorum conditione, ſecundum quam pueri ac ætatis floridioris homines, laboribus vacantes, Septentrionales ac alias robuſtiores, majorem ferunt ac poſtulant, præ ſubjectis ſenilibus, vita otioſa gaudentibus, Auſtralibus, tenerioribus ac valetudinariis. Quorum ſane conſtitutionibus individualibus in commendandis ac prohibendis rebus recenſitis aliisque hujus generis interdum abblandiri, ratio & experientia jubet, i. e. abſtemio perſuadere vix poteris vini potum, nec imbecillioris ventriculi homini aquæ hauſtum: & quorum virtus digeſtrix potentior, ſeu, ut veteres loquuntur, quibus plurimum

Regimen moderatur idioſyncraſia.

Aliæque corporis conditiones.

mum calidi eſt, quia multo opus habent alimento, his ratione morbi minus detrahendum, qui contraria ratione ſe habent, plus; & ſi talibus frugalior aſſignetur victus aut ad inediam urgeantur, mox animo linquantur, & carnes eorum brevi exſolvantur. Adeo quidem quamvis *Hippocrates 1. aph. 11.* in acceſſionibus ſeu paroxyſmis febrium cibum dare intempeſtivum & noxium pronunciet, quod tamen in bilioſis ſeu picrocholis, qui ſub acceſſionis principio, ob acriorem bilem, ad orificium ventriculi confluam, animo linquuntur, hæc regula limitanda veniat, præter *Valleſium*, *Hollerium* aliosque interpretes experientia docet: utpote in qualibus, ſi omne alimentum iis denegetur, ex intermittente facile continua, ſyncopalis & lethalis, fiat; exhibitum contra aliquando non tantum hæc pericula inhibeat, ſed febrim ipſam quoque antevertat. Quibus acceſſere etiam convenit ſenes, qui, utut tenuiorem victum facilius ſuſtineant, non tamen ſine omni alimento, ingruente paroxyſmo, ob ſyncopem pariter metuendam, linquendi ſunt.

It. conſuetudo.

Cœterorum eadem ſit ratio, id eſt, connivendum utique ſanis ac ægris, ſi iis inexiſtant momenta naturalia, rigorem diæteticum temperantia. Accedit his aliquando natura altera ſeu aſcititia, conſuetudinis nomine veniens, quæ quemadmodum cum natura ipſa ſeu congenita diviſum in corpora noſtra imperium habet, ita magna quoque ejus tenenda erit ratio, neque facile per ſanitatem ac morbum mutanda, ut *alleg.* pariter *loco* ediſſerui, & nunc per pleraque ſex rerum non naturalium genera exponam. Atque condeſcendere ſane per rationem æque ac experientiam jubemur axiomati illi *Hippocratico 2. aph. 50. Ex multo tempore conſueta, etiamſi deteriora fuerint, inconſuetis minus moleſtare ſolent.* In ſpecie hujus vim experimur in aëris inclementia toleranda penes illos, qui a teneris calori ac frigori intenſiori ferendis adſueti ſunt: minus enim hinc in morbos propendent, & ab his facilius evadunt. Sic de regionum ſeptentrionalium incolis referunt, eos gerere durata connato frigore præcordia, & quidem conferente præter natale ſolum ad hoc plurimum conſuetudine: ut *Scheferus Lappon. c.3* ſcribit, non ſuſtineri æque frigus hoc ab omnibus, niſi qui a prima nativitate illud addidicerint,

In aëris inclementiis ferendis.

cerint, imo illos quoque, qui ſub tali cœlo nati non ſunt, longo uſu ad illam intemperiem ferendam adſuefieri, perinde ac ad contrariam ſeu fervidiorem quoque firmentur, quale quid de iisdem populis Borealibus recenſetur. Quos durum illorum ab ineunte ætate vitæ genus contra frigidioris pariter ac calidioris aëris injurias, harumque ſubitas alternationes valde firmare videtur: dum natos nunc balneis fervidioribus exponunt, nunc frigidæ immergunt, ſicque iis habitum concilient aëris aliisque injuriis diverſis ſuſtinendis parem. Cui ſimile quid etiam inter noſtrates, ſive milites, ſive venatores, piſcatores &c. experiuntur, qui frigidi aëris, aquæ & ventorum moleſtiis ita adſueſcunt, ut nihil ab illis afficiantur, aut hinc morbos patiantur, qui alios moleſtiarum harum inſuetos frequentius corripiunt: & dum hominum agreſtium plerique, montium inprimis incolæ, liberos ſuos, ſub rei veſtiariæ inopia, laceratos ac tantum non nudos media hieme dio gelidiori committunt, ab hypocauſti calore fervente regelaſcentes, operariorum quoque nonnulli, v. g. Salinatores vicini, qui furnorum æſtu deliquati atmoſphæram gelidiſſimam irruunt, hancque cum flammeo fervore reciprocant; corpora ſolidiora & morbis non adeo facile obnoxia ſibi ac ſuis parant.

Referre huc poſſem odores gratos & ingratos, a quibus ſub aëris vehiculo per conſuetudinis rationem aliter atque aliter quosdam affici notum: niſi ſuperius & *loco alleg.* hoc aliquot exemplis egiſſem. In victu, ejus quantitate ſimilibusque circumſtantiis determinandis non minor eſt illius efficacia. Cum & vitæ uſu diſponi tandem queat corpus, ut inediam plus minus toleret, juxta *Hipp. de victu acut. t. 15. & 16. His, qui bis in die cibum ſumunt, & his, qui ſemel, repentinas mutationes noxas ac ægritudines inducere, & eos, qui prandere non adſueti ſunt, ſi pranſi fuerint, ſtatim infirmos facere hoc:* ſc. qui moram ferre per conſuetudinem didicerunt, ut ſemel tantum, vel parum, de die comedant, ſtatim pejus ſe habent, ſi vel frequentius, vel plus juſto alimentorum, aſſumant. Ut non adeo difficile videatur, quemvis per continuatum ejuſmodi vitæ ordinem portentoſam ſuſtenturum impoſterum inediam, præſertim ſi cœtera vitæ conditio ipſi ſimul faveat: ac illud Religioſorum genus, quod per ſanctimoniæ & abſtinentiæ quandam ſpeciem genium ſuum maximore defraudat, In victu.

 hinc-

hincque umbris, quam vivis, ſimilius evadit, conſuetudini potius, quam Religioni, hæc jejunia & alimentorum rudiorum minusque alibilium uſurpationem, advertente *Pechlino de aëris & alim. defectu*, in acceptis ferre, minusque devotionis ſibi hinc fingere, queat. Sunt contra, qui a prima juventute cibo multo ſe replent, ſunt, qui in potu ſibi plus indulgent, quali guloſitati ita aliquando adſueſcunt, ut illi ſine valetudinis diſcrimine valedicere nequeant. Et ſicut ſolito crebrius vel rarius de die alimenta asſumere, valetudini præjudicare dixi, ita inprimis advertere hoc convenit in operariis ſeu operis gravioribus ac multis deditis, quibus prandium & cœna non ſufficit, ſed qui jentaculum ac merendam inſuper poſtulant, non ubique & ſemper per naturæ forſan exigentiam, ſed aliquando conſuetudine tantum hoc juſſi; cum aliis ſimili vitæ generi & gravioribus pariter laboribus mancipatis tres paſtus ſufficiant. Qualem vivendi nihilominus morem ſi non undique accuratius ſinguli obſervent, vel crebrius, vel rarius, comedendo, male ſe habent, & valetudinis periculum incurrunt. Adſueſiunt porro nonnulli ferculis lautioribus, ſolidiora cum obſoniis ferre haud poſſunt: ſicut his educati abhorrent illa, imo, ſi iis veſci cogantur, non raro hinc peſſime ſe habent, v.g. ruricolæ. Suſpectum eſt vinum febricitantibus atque arthriticis, concedendum nihilominus in his quoque aliquid conſuetudini, per quam eorum quosdam a potu vini generoſioris mire convaluiſſe, a denegato vero & potulentis aliis illi ſubſtitutis eorundem coctiones fuiſſe interturbatas, vomitus & alvi fluores concitatos, innoteſcit maxime.

Vinum etiam arthriticis aliquando concedendum.

Victum laudabilem melius ferunt pravo adſueti, quam pravum delicatiori addicti.

Ubi tamen obſervare licet, illos, qui duris hactenus ac dyſpeptis cibis utuntur, molliora delicatiorave alimenta demum facilius ferre, quam qui teneræ diætæ mancipati, ſolidiora ac coctu difficiliora: quemadmodum vini potum promptius admittunt hactenus abſtemii, quam eo carere poſſunt, qui a teneris illud libarunt. Et hinc eſt, quod ruſticorum ſimiliumque hominum ſtomachi a turdis, perdicibus aliisque eſculentis tenerioribus non adeo male ſe habeant, quam a lardo infumato, polenta allioque palatum delicatius: nec tam brevi læditur a Vino Saxo, quam a ceveviſiis noſtratibus Gallus. Quemadmodum ad peregrinationem, militiæ ſimiliumque moleſtias

ſtias longinquiores utplurimum idonei magis deprehenduntur præ cœteris Septentrionales populi, ac agreſtes homines præ oppidanis, opipare viventibus; duro & rudi victui adſueti, ad alium tamen admittendum non adeo obſtreperi.

Hujus loci fieri poterat uſus exceſſivus Aquarum ardentium ſeu Spiritus Vini ſimplicis atque aromatiſati, quali nonnullos adeo delectari conſtat, ut noxas hinc quamvis evidentes percipiant, ſc. appetitum ventriculi proſtratum, digeſtionem vitioſam, corpus cachecticum, hydropicum, phthiſicum &c. abſtinere tamen eo nolint ac nequeant: ſive ex mero præjudicio, quo, dum ſtomacho laborant, alimenta nauſeant &c. quaſi ille naturaliter infirmior, accuſant inſontem, ſaltem ut deliciis & appetitui depravato lenocinentur, revera tamen his hominibus vel ipſum venenum ad vitam conſervandam neceſſarium videatur; ſive per conſuetudinem perverſam eo adacti, ut ſi hoc potu abſtinere urgeantur ac malint, ſine noxa corporis ſenſibili hoc minus fiat. Cujus etiam generis ſunt Nicotianæ fumi ductores quotidiani, itidem modo ex falſa perſuaſione, modo per conſuetudinem, eo delati, ut eum aut linquere nolint, aut ſine valetudinis diſcrimine non poſſint. **Conſuetudo prava in uſu Spiritus vini & Nicotianæ fumo.**

In motus & quietis regimine multum quoque valet conſuetudo, per quam ſi quis mature aut laboribus, aut otio, ſe dediderit, illos facilius & difficilius ſuſtinebit: ita ut, juxta *Hipp. 2. aph. 49. qui conſueti ſunt labores ferre, etiamſi fuerint debiles aut ſenes, non adſuetis fortibus ac juvenibus facilius ferant.* Id eſt, perinde, ac cum jumentis, res ſe habet, quorum quæ laboribus perpetuis non exagitantur, mox ſudant ac delaſſantur; frequentius exercitata plus roboris ac firmitatis præ ſe ferunt. Hinc qui motum, ambulationis v. g. poſt paſtum, commendare ſolent, non cum Schola Salernitana paſſibus deſcribere hunc audent, ſed conſuetudini etiam in hoc genere regulæ vim concedunt: poſtquam multis diuturnior aut vehementior deambulatio noxia, quam proficua, magis obſervatur. **Vis conſuetudinis in motu exercendo.**

Nec, ſomnum ac vigilias conſuetudinem moderare, dubitari poteſt, quod non tantum per hanc ille certis horis nos obrepat, ſed ſtato quoque tempore evigilemus: circa idem tempus ſpiritus, dum opera & commercia externa relinquunt, quieti indulgent, ſolitis ve- **Ac in ſomno & vigiliis.**

ro horis ad motus priſtinos redeunt. Per eundem uſum reiteratum fit, ut quidam multo, alii pauciore, ſomno gaudeant: quorum quibus hic præmature interrumpitur, inde ſe debilitatos & laſſos ſentiunt; perinde ac longiore & profundiore præter ordinarium ſepultos. Quod de meridiano quoque ſomno verum deprehenditur, cui ita ſe manciparunt nonnulli, ut, ſi eo carere cogantur, toto reliquo die caput torpidum ac negotiis expediundis ineptum circumferant; aliis ſomnum ejuſmodi a prandio ſuſceptum ſimili capitis gravitate luentibus. Facio hujus loci decubitus modos varios, tam ratione ſitus corporis, quam lecti & ſtragulorum, in & ſub quibus ſomno indulgemus. Priorem quod ſpectat, jacendi variæ & ſuæ ſingulis obſervantur formæ, ac ſola conſuetudine ſtat, quæ illarum huic vel illi commoda & proficua magis ſit: quatenus earum etiam ineptiſſimæ frequentia uſus addiſci ac habituales & gratæ fieri poſſunt. Ac proin non raro dolores ſimilesque moleſtiæ hunc vel illum decubitum, v. g. in latus alterutrum, ſupinum, interturbant, ſæpe etiam urgent, & ſic hac quoque occaſione ejus aliam & a priſtina atque alias conſueta alienam formam ſeligimus, utut aliquando minus commodam & ineptam, v. g. pronam ac capite demiſſiore. Sed quoad alterum, exemplorum non unum *ſuperius* recenſui hominum ſingularis ingenii & ruditatis, qui durius lapidum lignorumve & ſtraminis ſtratum præ mollioribus culcitris ſibi gratum & ad ſomnum ſuaviorem idoneum magis crediderint: quibus nunc ex *Boneti Mercur. compital. l. 19. de diæta ægror.* annecto, ſc. Virum quendam generoſum, qui militiæ modo valedixerat, valde febricitantem, poſtquam noctes octo inſomnes duxerat, neque ſomnus ullis præſidiis ipſi conciliari potuerat, interprete uxore noctem proximam in ſtramine tranſigere, ſub certa dormiendi ſpe, exoptaſſe: cui ejus deſiderio cum medicus non abnuiſſet, quantæ ſit conſuetudinis vis, conſcius, palea ipſi ſubſternitur; cui cum vix incubuiſſet, arcto mox prehenditur ille ſomno, ad ſalutem ſucceſſive refocillante. In Germaniæ plerisque provinciis ex uſu ſunt culcitræ & ſtragula plumea, in Gallia, Belgio &c. lanea: quorum illa præ his noſtrates in regionibus dictis exteri deſiderant, reformidant, tanquam ſibi moleſta, Galli & Belgæ penes nos ſi commorantur, textilibus ac villoſis ſuis adſueti inſtratis. Et narratum mihi

Item in decubitu.

Ac ſtratis ſeligendis.

mihi fuit olim in Gallia degenti, Gallum quendam, in Germaniam iter facientem, cum in diverſorio lectum operimento plumeo inſtructum cerneret, ab hoſpite anxie ſimulque ridicule rogitaſſe, ne hominem molis & ponderis majoris ſibi imponi aut incubare permitteret: perſuaſum ſiquidem ipſi erat, integumento plumeo alium neceſſario incubiturum, ſibi ſine dubio oneroſum ac moleſtum.

In Excretis & Retentis, ſeu excernendis ac retinendis potius, magna itidem deprehenditur conſuetudinis potentia, qua alvum & veſicam ſtatis temporibus evacuare addiſcimus, rarius quidem nonnulli, crebrius alii: ita tamen ut, ſi ſecundum hoc, quod moris hactenus ſibi fuit, quiſpiam excrementa illa non reddat, aut frequentius deponat, varia hinc experiatur ſymptomata. Quale quid illis inprimis evenit, qui ubi ſtimulanti naturæ reniti & alvum per negotiorum neceſſitatem morumve civilitatem aliamve cauſam cohibere coguntur; quibus, ſi hæc evacuatio frequentius interpelletur, defectus in conſuetudinem tandem plus minus moleſtam abit, ut alvus non ita, ut olim, conatibus eorum reſpondeat: cujus rei experimenta quotidiana ſunt, & quidem eorum nonnulla ſatis paradoxa, penes obſervationum & hiſtoriarum medicarum Scriptores evolvenda. Quæ cuncta tamen forſan ſuperat, quod a *B. Meibomio* olim mihi relatum memini, ſc. per multos annos, ſine notabili tamen moleſtia, niſi quam ſcybalorum durities inter egerendum præſtabat & quam majorem metuebat, adoleſcentem quendam tanta alvi difficultate laboraſſe, ut vix ſemel intra unam ac demum intra duas ſeptimanas illa ſolveretur, & a ſe hujus vitii remedia petiiſſe: qualibus aliquandiu tentatis cum alvus ſui officii reminiſceretur, & quotidie ſemel, aliquando etiam bis, contenta ſua ejiceret, a medico denuo ægrum poſtulaſſe, ut ab ulteriore medela deſiſteret & priſtinæ conditioni ſe reſtitueret, quippe qui virium ſingularem debilitatem a laxiore reddita alvo perſentiſceret.

In excernendis ac retinendis.

Aſt quoad animi tandem pathemata negari itidem nequit, quosdam in hoc, quosdam in aliud, eorum genus eſſe proclives magis: non tantum per humorum & ſpirituum habitudinem ingenitam, ſed conſuetudinem quoque vitioſam, ſeu moralitatem. Qua nonnulli facilius v. g. iraſcuntur, & leviſſima occaſione non excandeſcere

In animi pathematis.

deſcere nequeunt: imo hinc vix, ut aliis a minima ira contingit, male ſe habent, quin potius iracundia hæc iis in ſanitatis remedium conſervatorium abeat. Alios objecta haud magni momenti vehementius terrent ac in profundiorem mœrorem conjiciunt, per triſtium frequentiorem ingruentiam ad imbecillitatem extraordinariam fractis ſpiritibus: dum alii a crebriore malorum perpeſſione, eousque occalleſcunt, ut animi plus quam humanam firmitudinem induant; gravioribus fatis ac doloribus ferendis parem; utplurimum tamen feliciores adverſam fortunam difficilius ſuſtinent, non, niſi proſperioribus caſibus adſueti.

Conſuetudinis ratio habenda. Conſuetudinis E. efficacia ad ſanitatem conſervandam & morbos arcendos multum confert, hinc in medendo maxime attendi poſtulat, in ſpecie, in diæta formanda: quæ haud temere ac præcipitanter mutari debet, ne huic illata vis naturam ipſam etiam violentius exagitet atque conturbet; imo ab eadem, tanquam juvante ac nocente interdum indicatio ſumenda. *Ut enim*, juxta *Ariſtot. 1. probl. ſ. 28. ſi piſcis in aëre, aut homo in aqua, perſeverans male ſe haberet: ita conſuetudinem mutantes ægre ab ea diſcedunt, atque, ſi ad conſueta redeant, ſalus ipſis eſt, quaſi ad naturæ ſtatum redeuntibus.* Adeo ut etiam hoc in ſenſu vere dictum compareat, Conſuetudinem eſſe alteram naturam, interdum natura potentiorem: quia tamen eadem aliquando naturæ primæ ſeu conſervatrici vim infert hujusque œconomiam deſtruit, mutationem quoque ſui indicare nonnunquam videtur, ex nocentium genere quia tunc eſt.

Eadem aliquando mutanda.

Servanda ſalubris. Ut proin de ſervanda & abroganda conſuetudine evidentius conſtet, puto, ſervandam eſſe omnino laudabilem, ſeu legibus diæteticis conformem, i. e. ipſam diætam ſalubrem: ſub hac tamen cautela, ne quis facile uni ſemper vivendi rationi ſe mancipet, quod *Galenus 2. aph. 20.* periculoſum pronunciat. Quatenus vita humana, cui ſe quilibet accommodare tenetur, huicque quotidie obvenientes mutationes, illud diſſuadent, difficilis hincque & periculoſa evadit rei, per adſuetudinem quaſi naturalis factæ, mutatio: i. e. pro vario vitæ genere, pro locorum mutatione, pro temporum neceſſitate obvenientibus cum euphoria mox cedere vix licet. Audiendus potius *Celſus 1. cap. 1. Sanus homo, qui & bene valet, & ſui ſpontis eſt, nullis*

nullis ſe obligare legibus debet, ac neque medico, neque iatrolipta egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus, modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiusque in agro, navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequenter ſe exercere &c. Prodeſt etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis, uti: modo ungi, modo id ipſum negligere: nullum cibi genus fugere, quo populus utitur: interdum in convictu eſſe, interdum ab eo ſe retrahere: modo plus juſto, modo amplius, aſſumere &c.

Quod conſilium qui ſpernunt & vel ſponte, vel per delicatiorem educationem, eo adducti, in juventute ab omni aëris inclementia & victu praviore cavent, v. g. non, niſi probe digeſtibilibus & delicatioribus cibis veſcuntur, calida bibunt, veſtimentis pelliceis utuntur, ſudoribus matutinis indulgent, vel ad hos ſe componunt, & quæ ſimilia: ſi poſthac aliquando occaſio minus ferat adſuetis his frui, eademque evacuatio, v. g. inter peregrinandum aliquatenus & ſemel forſan interpellatur, hinc pro ejus diverſitate aliter atque aliter ſe gerere cogantur, iis inſueta hæc maxime moleſta, imo ad morbos usque graviores periculoſa, evadunt; dum v. g. juxta modo nominatum *Celſum l. cap. 3. ideo quoque nimis ocioſa vita utilis non eſt, quia poteſt incidere laboris neceſſitas.*

Aliter ſe res habet cum conſuetudine prava, ſeu quæ a regulis diæteticis plus minus recedit: qualis aliquando mutanda, aliquando tamen ipſi etiam mos gerendus; aut, ſi mutetur, non temerarie, ac ſine circumſpectione hoc fiat. Minime eidem auſcultandum, ſed diæta conſuetudinaria emendanda, ſi aliqua noxa hinc evenerit, aut, licet non præſentanea, metuenda tamen, fuerit: v. g. a vigiliis & lucubrationibus ſi vires frangantur atque hanc illamve functionem evidenter conturbari conſtet; aër uliginoſus & fuliginoſus ſi in catarrhum, phthiſin &c. conjiciat; fumus Nicotianæ ſolennis, ſi ex appetitu ventriculi, quem proſternit, graviora ſuſpicemur ſymptomata; compotationes quotidianæ, abuſus ſpiritus vini nimis frequens, propter hydropem hinc imminentem hujusve prodromos. Atq; hoc fieri debet quamprimum, hinc ipſo etiam ægrotationis tempore, cum morbum ejusq; cauſam, ſi non conjunctam, certe antecedentem, foveat ejuſmodi prava diæta; & in cujusvis ætatis ac conditionis ſubjectis: ut aërem conſuetum æger mox mutet, ſi morbus forſan inde cœperit,

Mutanda prava plerumque.

Et quidem aliquando in ipſo morbo.

perit, potulentorum ubertatem mox vitet ac ſitiat, ſi hydrops eum corripuerit, niſi morborum horum fruſtraneam velit medelam; ſicut in ſpecie abſtinentiam a potu multis hydropicis ſalutarem eveniſſe, perhibent *Dodonæus obſ.116.& 117. Holler.de morb. int.1.c.39. Hildanus 4. obſ. 41. Panarolus pent. 4. obſ. 88. Riverius pr. l. 11. c. 6. & obſ. a Jacozio commun. 21. Williſius ph. rat. part. 2. ſect. 1. cap. 5. Sydenham de hydrop.* ac *Lyſterus de morb. chron. de hydrop. ægrot. 1. & 17.* Imo aliquando diætam pravam corrigere jubet ipſe morbus, etſi ab hac minus contractus; modo a contraria levamen aut emolumentum ſperet vel ſentiat infirmus, v. g. otio adſuetis calculus & arthritis motum imperant, ſicut iracundiam compeſcere mox jubent mala quævis hinc orta aut timenda, v. g. Arthritis & Epilepſia.

Alias demum eo ſuperato. Extra quales ſimilesve caſus urgentes circa diætæ mutationem non facile aliquid tentandum, ſi quis morbo actu laboret, ſed conſuetudini aliquantulum connivendum, ac recuperata demum ſanitate de correctione ejus cogitandum: ob virium tunc temporis imbecillitatem, quæ mutationes etiam leviores non facile ſuſtinet.

Interdum pravam conſuetudinem ſervare confert. Contra eidem conſuetudini minus laudabili non adeo frivole valedicendum, ſed potius conſervanda 1. illa, ſub quali valetudo cujusvis integra permanet; hoc enim eſt, Naturam cuſtodire, v. g. ſegnior alvus nihil moleſtiæ creet: 2. ex cujus tentata mutatione pejus quid evenerit: 3. cui ſe natura accommodet, ut v. g. ab aëre rigidiore firmetur & induretur magis corporis habitus, a paſtu pleniore quadratum & robuſtius evadat illud &c. ac demum 4. quæ inveterata & ab aliquot annis ac a tenera ætate nota; adeoque nec a ſenibus adeo facile deſerenda, utpote quibus magis radicata, horumque corpora debiliora mutationes nullas commode perpetiuntur, hinc novæ diætæ difficulter adſueſcunt, quin mutationum ejuſmodi pœnas utplurimum graves luant.

Media ratione agendum circa diætam indifferentem. Quædam denique diætæ momenta ad valetudinem noſtram indifferenter magis ſe habent, & horum conſuetudinis conſervatio ablatiove ambigua ac res meræ voluntatis videtur, per conſequens facilius & tutius quoque mutatur. Diſceptatur v. g. an hyeme in loco calido, an frigido, dormire ſalubrius ſit? & affirmatur, niſi tenellæ vel ſenilis ætatis, aut morboſæ conſtitutionis fuerit habenda ratio, poſte-

poſterius, quod ſub hac atmoſphæra quietior contingat ſomnus: Conſuetudinem unius alteriusve ſi conſulas, dubius hærebis, teſtatur ſiquidem hæc, in loco frigido æque ac calido ſuaviter ſatis quemlibet illorum dormire. Semel, aut bis, de die cibum ſumere, perinde eſt: quod ſi tamen prandio ac cœnæ a longo tempore quis adſuetus fuerit, a more ſuo priſtino non facile recedat; nec binos paſtus quærat, uno hactenus qui ſaturatus fuit. Sua cuivis conſuetudo conſtet integra in re adeo indifferente, aut mutetur, ſi de ſalubritate diætæ ſuæ ambigat.

Qualis mutatio tamen ut commodius & ſine notabili periculo fiat, denuo evolvatur *Celſus*, qui *alleg. loco* ſcribit: *Neque vero ex multa fame nimia ſatietas, neque ex nimia ſatietate fames idonea eſt. Periclitaturque & qui ſemel, & qui bis in die cibum incontinenter, contra conſuetudinem aſſumit. Item, neque ex nimio labore ſubitum ocium, neque ex nimio ocio ſubitus labor ſine gravi noxa eſt. E. cum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit adſueſcere.* Sc. non minus in mala conſuetudine emendanda tranſitus ad bonam paulatinus eſſe debet, ac a bona ad malam feſtinanter tranſire; peſſimum judicatur: & ſenſim contraria inducenda ſunt, imo his aliquantulum interquieſcendum, quo, quantum proſit vel noceat aut non noceat mutatio ejuſmodi, conſtet, ſicque vel in ea pergere, vel ab eadem deſiſtere, tempeſtive liceat. Et ſicut in medendis morbis medico τὸ *feſtinare* vitio vertitur, ſic alteratio per diætam, tam in medela, quam prophylaxi, niſi lento gradu fiat, culpanda. Ne aliis prolixioribus Lectori tædium pariam, Aëris tantum exemplo hoc aſſertum declarabo. Salubre & gratum naturæ equidem videtur, ex coarctato & concluſo in liberum & perflabilem aërem transferri: imbecillioribus nihilominus, aut qui ex morbo aliquo nondum perfecte reconvaluerunt, hæc mutatio aliquando detrimentoſa deprehenditur. Quatenus per conclavium calorem rarefactum & apertum corporis habitum frigus ſuperveniens mox profundiſſime penetrat, rarefactum hactenus ſanguinem inſpiſſat, motum hujus turbat, hinc diaphoreſin intercipiendo recidivam aut alium morbum parit. Similiter, ſi a præcedaneo frigore corporis pori fuerint reſtricti humoresque condenſati, repentinus ſuperveniens hypocauſti vel cæli calor

Mutatio diætæ fiat pedetentim.

V. g. in aëre mutando.

calor humores vehementius agitando corpus non raro morbis atque exitio exponit: idque eo magis, quo habitus ſpiracula conſtipatiora fuerint. Experiuntur hoc utplurimum in Hungaria & Tranſylvania caſtra ſecuti, æſtum diurnum cum gelu nocturno quotidie alternantem tolerantes, hincque peſſime ſe habentes. Inedia diuturniore emaciatos aut frugaliori vel agreſti victu uſos, ſi pleniori aut lautiori ſalutem ſuam committant, graviores morbos incidere, quotidianum eſt.

Ubi tamen ratio quoque habenda erit aliarum cauſarum externarum.

Denique diætam variare quoque deprehenduntur cauſæ quædam externæ, quales Hippocrates *1. aph. 17.* ac *3. de diæta t. 1. 2. &c.* innuit, ubi præter conſuetudinem in moderanda diæta aliquid dandum eſſe & tempori & regioni, & ætati. Temporis anni rationem habere jubemur per plures ejusdem *Hippocratis* textus: ſc. *1. aph. 15. Ventres hyeme & vere calidiſſimi ſunt; quapropter in his temporibus alimenta plura exhibenda ſunt.* Item *aph. 18. æſtate & autumno cibos difficile ferunt, hyeme facillime, deinde vere;* item *3. aph. 2. Naturarum quædam ad æſtatem, quædam ad hyemem bene vel male ſe habent, aph. 3. Morborum alii ad alia tempora bene aut male ſe habent: & ætates quædam ad tempora & regiones & victus,* & *aph. 18. Secundum tempora vere quidem & prima æſtate pueri, & qui his ætate proximi optime degent, & maxime ſani ſunt: Æſtate vero & autumno aliquandiu ſenes: reliquo autumno & hyeme mediam ætatem habentes.* Pro ſtatu E. corporis naturali conſervando & præternaturali avertendo atque corrigendo alia diæta opus erit ſub cœlo congruo ſeu propitio, quam adverſo, alius aër ac victus quærendi ſunt hyeme, alius in æſtate: æſtas ad ocium, hyems ad exercitia & motus, invitant.

Sc. temporis anni,

Regionum diverſa ad diætam habitudo, quia ab atmoſphæra modo calidiore, modo frigidiore, dependet, eandem pro diverſitate hujus, æſtivæ, hyemali &c. ſimilis, diætam admittit ac poſtulat: id eſt, regio calidior æſtivam, frigidior hyemalem. Quantum & qua ratione diætam variet ætas, ſupervacaneum puto recenſere, negotium eſt in vulgus notum & a variis, qui de prophylaxi morborum ac diæta aliquid commentati fuerunt, explicatum. Addo his vitæ genus ſeu inſtitutum, quod ea complectitur, quæ homines frequentius agunt & tractant, ac cum conſuetudine crebro confunditur, aut ſaltem

regionum, ætatis & vitæ generis.

tem cum eadem in eo fere convenit, quod, perinde ac illa, habitudinem corporis tractu temporis aliter atque aliter ad agenda & toleranda diſponat, hinc multum quoque ad moderandam diætam conferat. Ita qui in aëre gelidiore ac circa aquas degunt, frigidam ac humidam induunt temperiem; calidiorem atque ſicciorem, circa ignem occupati: Aëris inclementiam ac laboris commodius ſuſtinent operarii, athletæ &c. quorum membra laboribus duris & exercitiis frequentioribus firmata præ his, qui vitæ ſedentariæ mancipati, hinc molliores & teneriores exiſtunt: illi plus alimenti poſtulant, quod hos gravat, quibus frugalior paſtus ſufficit.

Aſt ne diætæ legibus nimis derogare & hujus erroribus indulgentior videar, recipio me ad principaliora ejus momenta, horum moderaminis quaſdam cautelas generales notaturus. Aërem quam potentiſſime in corpora noſtra agere, hisque diſpoſitionem modo ſalubrem, modo morboſam, imprimere, penes omnes in confeſſo eſt: utrumque vel per modum ſubſtantiæ ſeu compagis, modo per qualitates, modo denique motum varium; ratione quarum habitudinum temperatus ac intemperatus vulgo audit. Quamvis aliquando aër in ſe minus temperatus, relative nihilominus talis & huic vel illi conſtitutioni congruus ac ſalubris ſatis, contra abſolute temperatus ac homogeneus magis eidem inſalubris ac infeſtus, deprehendatur. Auram tenuem ac ſinceram, i.e. nec humiditate nimia ſcatentem, nec exhalationibus peregrinis inquinatam, & a ſolis cœterorumque ſiderum calore & lumine rite explicatam, hinc ſerenam, ſiccam & levem, plerique expetunt, utpote valetudini maxime proficuam; ita quidem ut febribus chronicis expoſiti, phthiſici aliique valetudinarii tantum non deſperati ad loca, ejuſmodi atmoſphæra gaudentia, cum magno eorum emolumento ablegentur: vix tamen horum omnes, quibus nempe ſanguinis & habitus textura rarior contingit, de cœtero ſani, eam ferunt, ſed craſſiorem deſiderant; imo ex valetudinariis illis, quorum alias conditio ejuſmodi aëris tenuitatem & homogeneitatem poſtulat, nonnulli ad craſſiorem auram ſe recipere coguntur; quorum nempe ſanguis fluidior & plus deliquatus tenuiorem reſpuit. Porro quemadmodum atmoſphæra ratione qualitatum temperatior ſubjectis temperatis ſalubris,

Aër quomodo noſtra corpora afficiat.

Aër temperatus non omnibus æque ſalubris.

fervidior humorum maſſam impetuoſius exagitat, hinc febres ardentes, fluxus alvi, choleras &c. concitat: ſic eadem frigidioribus ac pituitoſis, ſenibus &c. ſalubritatem potius promittit, illius cruditates ac viſciditatem diſſolvendo ejusque motum inteſtinum ſegniorem intendendo. Et ſic cum cœteris aëris conſtitutionibus, a temperatiore recedentibus, res ſe habet: quod non quibusvis naturis æque incongruæ ſeu inſalubres, ſed nonnullis ſatis adæquatæ, exiſtant.

Aër craſſior quomodo mutandus?

Si proin cuipiam harum aliquam incongruam obſervemus, mutationi ejus allaborandum, quod aliquando fieri poteſt ſolum & cœlum mutando, ſeu ægrum de loco ad locum transferendo; ex aëre ſc. craſſiore, qualis utplurimum magnarum civitatum eſt, ad tenuiorem ſeu ſerenum magis, ruris nempe. Rara ſiquidem ſunt ſubjecta, quibus aura craſſior proſit, ut in aſthmatis plerisque obſervamus, qui in locis nebuloſis ac fumoſis ſummam pectoris anguſtiam perſentiſcunt, ad ſerenum autem ac tenuiorem aërem deducti evidentiſſime ac brevi convaleſcunt. Sine dubio, quod atmoſphæra tenuior pectori dilatando minus renitatur, ſed ſpatium adæquatum magis huic concedat, ab aëre tenuiore & æthereo magis fœculenti infarctus pulmonum diſſolvantur & ſanguini elater vegetior imprimatur. Neque tamen omnibus beneficio hoc æque frui contingit, tametſi valetudo illud commendet: quos vel regionis habitudo, vel negotiorum aut egeſtatis neceſſitas, in eadem atmoſphæra degere, commorari ac commori jubet. Sicut nec frigidiorem ſemper aërem cum calidiore, nec contra, pro lubitu commutare licet, cum anni inprimis temporibus, hyemi ac æſtati, ex neceſſitati veniat indulgendum: niſi forſan exceſſus hos conclavium mutatione corrigere, i. e. cubiculum modo Septentrionem, modo Meridiem ſpectans, eligere concedatur. Poterit etiam aër valde incongruus, inprimis frigidior, pluviis ventisque expoſitus vitari, ſi intra domum & parietes ſe contineat æger, cum minus conturbetur ac noxius exiſtat intra has concluſus: cui accedit, quod intra cubiculum idem non adeo magno negotio & per varia adminicula plus minus temperari ac emendari valeat; tempore hyemali focum parando, æſtivo parietes ac pavimentum aqua frigida conſpergendo, aut hanc in vaſis hinc inde diſpoſitis in angulis cameræ collocando, item, flabellis eundem ventilando atque exagitando.

Ad

Ad atmoſphæram infirmorum moderandam ſpectat, ne nimia ſuperſtitione januæ ac feneſtræ rigidius claudantur: magnumque errorem committunt, qui ægros, inprimis febricitantes, non tantum in hypocauſtis ferventibus & vaporoſis, omni aëre liberiore excluſos tenent, ſtragulisque ſimul multis cooperiunt ac tantum non ſuffocant. In adeo ſiquidem clauſis cubiculis fuligines ex ægro & adſtantibus exhalantes aërem juſto craſſiorem ac impuriorem reddunt, & cum hoc inſpiratæ eidem plus damni inferunt, omni nimirum ventilatione per novi aëris acceſſum denegata. Metuunt quidem communiter, quaſi apertis feneſtris ac oſtiis aër frigidior ſe ingerens cutem denſando, diaphoreſin cohibendo &c. noceat: incommodo tamen huic obvenire datur, ægri corpus ſufficienter cooperiendo, focum accendendo, nec feneſtras & januas ſimul omnes, ſed tantum aliquam earum ita aperiendo, quo ab aëre externo perfletur ac ventiletur internus & a fuliginibus mundetur.

Intra cameras calidiores ægri haud rigidius coërcendi.

Regimine hoc calefactorio abutuntur, aut perverſe utuntur, penes varioloſos, præter Medicos imperitos fœmellæ, eorum nutrices, cunctos illorum ſtatim, ac ubi ſub ebullitionis tempore de exantematis his nondum certi, in hypocauſtis æſtuantibus detinent ac ſtragulis profuſe torrent atque hac ratione ad internecionem frequentius ducunt: quos liberiori nihilominus ac temperatiori aura committere, ſub principio inprimis morbi, decebat. Non eſt recens, ſed vetuſtus ſatis, hic error, adeoque non tantum ex modernis *Sydenham. obſ. circa morbos acutos* hinc inde, it. *de variol. confluent.* ſed ante hunc *Joh. Dan. Horſtius obſ. anat. 9.* & olim jamdum *Foreſtus 6. obſ. 44.* eum carbone notarunt ac damnarunt. Utinam hinc noſtrates ad ſaniorem ſe reciperent frugem & illum caloris abuſum praxi corrigerent, non equidem aëri frigidiori ſuos ægrotantes exponendo, eosdem tamen ſub blandiore tepore conſervando.

In ſpecie varioloſi.

Nec infirmis probe proſpiciunt, qui febricitantes, puerperas ſimilesque multum ſudantes, ſanguinem fundentes, frequentius inunctos, ſub induſiis, camiſiis, ſtragulis, culcitris & cujuscunque generis linteaminibus ſudore madidis, cruore ac ſanie rigidis ac ſordidioribus, linquunt ac coërcent, piaculum credentes linteamina ejusmodi immutare, quaſi illi hinc reddantur imbecilliores & facile a

Nec ægris linteaminum mutatio deneganda.

frigore

frigore externo, dum corpus denudetur, pori ad irreparabile aliquando damnum conſtipentur, ubi per habitum inprimis evacuatio vel metaſtaſis critica expectanda. Innuerunt ac reprobarunt hunc errorem olim jamdum cum *Hippocrate*, quando omnia circa ægros munda eſſe vult, *Hollerius 2. cap. de febre ardent.*, *Lev. Lemnius 4. de occult. nat. mirac. 8. Ronſæus epiſt. 39.* ac inprimis *Valleſius 1. de morb. acut. t. 8*, nec ſine ratione. Quatenus ex linteaminibus ejuſmodi ac veſtimentis fœdis horumque ſqualore nova miaſmata morbifica corpori infirmi aſſidue accreſcunt, hocque inde perpetuam quaſi labem ac contagium ſuſcipit, a ſudore refrigeſcente ac ſtrigmentis cutaneis minus deterſis & coacervatis tranſpiratio inhibetur, quam liberam tamen conſervare *Galenus* jubet. Præter illas moleſtias, quas a pœdore & ſpurcitie hac ægri patiuntur, iidem inſomnes hinc inde ac inquietos ſe jactant; donec linteamina ſordida fuerint remota, ubi immunditie ejuſmodi exuti de evidente refocillatione gaudent & in placidum labuntur ſomnum: perinde ac infantes, qui plorantes non raro nec nutricis mamilla, nec cunarum agitatione, nec ullo cantelenarum modulamine deliniri ac ſedari poſſunt, niſi ſqualidis linteis recentia, munda ac nitida ſubſtituantur; ubi a fletu mox ceſſant & profundiſſime obdormiunt. Nec eſt, quod a linteaminum mutatione timeamus, cum per calorem foci omne frigus & humiditas noxia expellatur, aut in cubili tantum calidiore aliquantulum detenta eousque facile tepeſcant, ut a calore corporis humani parum aut nihil diſcrepent. Cavere etiam commode licet ſimul, ne ſub mutationis momento corpus præter modum & imprudentius denudetur, ac ut frigus externum hinc arceatur, neve acceſſionum aut criſeos tempore, dum v. g. efflოreſcentiæ cutaneæ imminent, aut nondum ſufficienter evacuerunt vel evaneſcere incipiunt. Sic quippe citra ullum damnum illam fieri poſſe ac debere, conſulunt, qui ægrotantibus, ſecundum monitum *Hippocratis* gratificari, & non minus de morbo, ac de aliis neceſſariis externis, proſpicere ſatagunt.

Confluxus viſitantium ægro præjudicat. Quia vero illi aëris craſſitiei & fuliginoſitati damnoſæ multum confert, ſi plures cubiculum intrare permittantur; qualis amicorum turba, ſecundum *Galenum* cubiculum calefacit, juxta *Sanctorium de vitand. error. lib. 13. c. 4.* multorum halitus aërem corrumpunt: confluxum

fluxum hunc viſitantium omni ſtudio avertere aut ſaltim temperare, e re erit, potiſſimum cum alia inſuper hinc timenda ſint incommoda. Quatenus qui amici animum ægrotantis ſedare ac demulcere debebant, potius hunc exagitant & inquietum magis aliquando reddunt: multis & prolixis cum eo habitis confabulationibus ejus viribus evidenter derogant, & proſtratum hunc valde relinquunt, ac ſermonibus interdum ingratis atque odioſis vel ad excandeſcentiam, vel mœrorem aliumque affectum provocant. Et eſt aliquando tanta quorundam adſtantium imprudentia ac importunitas, qua, quid coram ægro loquendum, haud perpendunt, adeoque ſermonibus ſuis aut tædioſum valde, aut ſuſpicacem, eum reddunt, vel quovis alio modo ejus animum conturbant. Imprimis hoc vitii genere laborant fæmellæ ineptæ ac loquaces, tam neceſſario adſtantes ſeu ſervientes, quam non vocatæ ſe ægro obtrudentes, & penes hunc blaterationibus ſuis horas conſumentes; quarum fabellæ ac nugæ illi non tantum moleſtæ, ſed non raro pernicioſæ quoque, deprehenduntur. V. g. penes dyſtocia laborantes obſtetrices ac harum amanuenſes caſus referunt aliarum parturientium tragicos, adſtantibus etiam horrendos, quos præſenti quoq; quam impudentiſſime applicant: hinc puerperam miſeram meticuloſam magis ac deſperabundam faciunt. Aliæ de morbo, hujus cauſis & remediis inſulſe ratiocinantur, medicum hujusque operam cavillant, empiricorum commendant, ægrotum hinc ambiguum & cum medico inquietum præſtant.

Ab aëre tranſeo ad alimenta horumque moderamen, forſan non adeo abſurde acturus, ſi a recens nati alitura, lacte nempe ac lactatione, initium fecero. Ubi ſane evidens & naturæ regulis conformius eſt, ut ipſæ matres, & quæ fœtui in alvo nutrimentum præbebant, idem agant in nato tenello, nec adeo facile nutricibus alienis hoc negotium committant. Verum quia modo vita luxurioſa & voluptuaria, cui multæ fœminæ nobiliores æque, ac ignobiliores, deditæ, incommoda ac moleſtias, ſine quibus alitura hæc vix fieri poterat, fugere & lactationem ſobolis detrectare jubet; modo mammillarum quarundam gracilitas naturalis aut præternaturalis atque exſiccatio pietatis hoc officium præſtandi alias ineptas reddit; quod idem modo evenit, ſi penes illas, quæ, ut junceum corpus gerant,

Cur matres natorum lactationem detrectent?

arctiore thoracum duriorum ſtrictura papillas retropellunt, hæ adeo profunde latent, ut iis evocandis tenellus infans aut non par ſit, aut inæqualiter ac non ſine cuticulæ ſubtilioris, qua obvelantur, laceratione dolorifica admodum, eas protrahere annitatur; modo denique matribus imbecillioribus ac cacochymicis, vel ſui, vel lactentis, cauſa hoc diſſuadetur: ſi incolumes & ſanos conſervare velimus natos, hos nutricibus conductiis aliquando concedere neceſſe eſt, hinc neceſſitati per delectum congruæ conſulere, medici officium videtur. Ubi mox non improbare haud poſſum illum communem muliercularum errorem, quo ad optionem hanc formandam inſpectionem lactis ſufficere putant, hocque eum in finem medico cognoſcendum tranſmittunt: quaſi ex ejus colore, conſiſtentia, ſapore, pinguedine &c. huic adæquatum de illius bonitate ſcrutinium inſtituere ac de nutriculæ aptitudine aut ineptitudine ferre liceat judicium: quale vel ideo fallax frequentius deprehenditur, cum occulta & ſenſibus minus obvia exiſtant lactis vitia; & plura ſint in nutricibus conſideranda, animum & corpus earum ſpectantia. Equidem animi & morum indaginem nec ad medicum ſpectare, nec ad ſcopum hujus multum facere, nonnulli autumant, cum a pravis nutriculæ moribus non ſanitati infantis derogetur, licet forſan male moratus hinc evadat. Sed nec hoc ſcrutinium negligendum omnino videtur, ſi non, ne pravos mores & ad ſcelera propenſionem cum lacte imbibat lactandus, certe, ne ab iracundia flagrante, triſtiore ſeveritate aut libidine incoërcibili lacti de corruptione varia, infanti de ſymptomatis non raro truculentioribus & lethalibus, metuendum ſit, ut quotidiana edocemur experientia.

Quæ in delectu nutricum obſervanda? Non ſufficit lactis ſcrutinium.

Sed nutricis morum quoque,

Corporis habitum quod ſpectat, de hujus valetudine exploranda ſollicitum pariter decet eſſe medicum, num ſc. nutricula perfecte ſana ſit, non lithiaſi, ſcorbuto, phthiſi, ſcabie, lue venerea ſimilive cachexia, quæ in infantem facile derivari queat, laboret? Porro, quia a lacte materno, cui intra uterum hic adſuetus, alienum per individualem idioſyncraſiam haud dubio diſcrepat, & vel ipſam hanc alimenti ac conſuetudinis mutationem tenerum ejus corpus valde alterare & inprimis ventriculi digeſtionem conturbare, probabile eſt: e re maxime videtur, disquirere, quantum habitus nutricis conductitiæ

& habitudinis corporis.

ductitiæ matri accedat, vel ab hac recedat, cum matre graciliore exiſtente conſultius ſit graciliorem, pinguiore & plenioris habitus quadratam magis, eligere. Nec dextre judicant ſemper, qui alituram evchymam duntaxat attendentes ſolidioris conſtitutionis compagis & ſucculentiores expetunt nutriculas, huncque errorem ſero ſæpius deplorant parentes, cum ex teneriore matre natus nutrici carnoſæ ac obeſiori traditus per lactis inſueti & pinguioris juſto anomaliam in morbos varios conjiciatur, & textura ejus molliore hinc labefactata ſeu gravata brevi ſuccumbat. Simile fatum obtingit illis quoque, quibus nutrix, quæ aliquot menſes jamdum lactavit, & cujus lac temporis tractu ſpiſſius evaſit, conſtituitur, utpote a quo gravia pariter perpetiuntur mala, ſpiſſitudine & pinguitudine nimia, ventriculis ſuis minus adæquato: conformis ſit ætas infantis nutricis lactationi, ut nimirum recens natus recentiore, adultior vetuſtiore, fruatur lacte. **Lactans non ſit vetuſta.**

Denique ridendæ ſunt noſtrates mulierculæ, dum, ſi nutriculam forſan vel terrore, vel ira, exagitatam intelligunt, mammarum ſuarum compreſſione non omne lac, ſed tantillum modo hujus, eam exprimere & rejicere jubent, antequam infanti iſtas præbeant, ſibi perſuadentes, hac ratione ideam vel characterem vitioſum a pathemate illo impreſſum cum lacte corrupto rejici, ſimplici ac inepta ſatis conjectura: cum veroſimile ſit, corruptelam ab animi affectu proficiſcentem in omnem lactis penum, ſi non in totam humorum maſſam, transfundi, hinc lac remanens, ac quod infanti porrigitur, quoque eadem labe contaminatum huic exitioſum exiſtere. **Affectu animi exagitatæ nutrici haud ſufficit, tantillum lactis emulgere.**

Alias vero in ephebis & provectioris ætatis hominibus alimentorum uſum legitimum ſubſtantiam, quantitatem, tempus, & aſſumendi modum reſpicere, quam notiſſimum: pauca tantum circa unum alterumve horum momentorum liceat adjicere monita. Noxia communiter pronunciantur & diſſuadentur eſculenta, quæ difficilioris exiſtunt concoctionis, non cunctis tamen individuis æque nociva & concoctu difficilia: dum aliquando eorum talia occurrunt, quæ pro dyſpeptis habita, v. g. lardum, carnem bubulam fumo induratam, piſces aridos &c. commodius digerunt, quam quæ inter concoctu faciliora numerantur, ova ſorbilia v. g. & lac ſenibus **Alimenta difficilioris coctionis non omnibus noxia.**

pariter alias ac pueris, utrisque ventriculi infirmioris creditis, facile digeſtibilia. Adeo quidem ut nonnullorum appetitus torpidus vix excitari eorumque Cacoſtomachia corrigi queat, niſi adæquata & fermento eorum digeſtivo digna offerantur fercula, duriora & crudiora. Quid frequentius eſt, ſub febrium declinatione, ubi appetitus ac vis concoctrix adhuc languet & cunctas delicias faſtidit, illum eſculentis paradoxis atque dyſpeptis feliciter vellicari & excitari: ut ejuſmodi convaleſcentes braſſicam fermentatam, carnem ſuillam farciminave fumo indurata, aſellum, haleces &c. expetant, & ſi talibus frui contingat, hinc eousque mox refocillentur, ut poſtmodum alia diverſi generis, & quæ hactenus reſpuerant, admittant atque eſuriant. Et, ne hujus loci faciam Pica & Malacia laborantes, qui præter alimenta vitioſa a natura plane alienas quoque res avidius appetunt commodeque digerunt, quorum exemplum ſingulare præſtat prægnans illa penes *Tulpium* Daventrienſis, quæ halecibus ſalitis adeo impenſe delectabatur, ut geſtationis tempore mille ac quadringentos eorum ſine ullo damno & moleſtia devorarit, niſi quod fœtus appetitum ſuo adeo ſtricte manciparit, ut hic editus, cum nec dum poſſit verbis, ejulatu tamen, expetierit haleces, quibus tam effuſe ſe dederat mater: ex *Pechlini 1. obſ. 51.* huc transferam illum Jureconſultum ſexagenario majorem, qui, quoties ſtomachum crapula corruperit, non alio poſt plurium annorum conſuetudinem, inſtaurare ventriculum atque appetitum collapſum potuit, quam appoſitis in cœnam arefactis paſſeris marini ſuccidiis, cibo duro & adipoſo, quique in condimentum magis, quam alimentum aſotorum ventriculis ſervire ſolent; & ſic demum revocato appetitu ſomnum quoque facilem obrepiſſe, inque dies integrum extenſum fuiſſe appetitum. Et ex *eodem* Vetulam ſeptuagenariam, quæ nullo unquam morbo, niſi, Nephritide & cruditate quadam ventriculi laborarit, quarum hanc non alio, præterquam duriſſimo cibi genere, paſſeribus nimirum exſiccatis emendarit, illam vero ſemper crudo pinguiſſimoque lardo delinirit. Præterea, quæ communiter adſtrictoria præſumuntur alimenta, quibusdam ventrem laxum reddunt, quemadmodum laxantia aliis eundem conſtipant: utrumque paradoxe ſatis. Quorum prioris exemplum ſubminiſtrat Rhetor ille apud *Galenum 2.*

Imo præ evpeptis magis congrua.

de

de alim. facult. cui poſt eſum pyrorum ac pomorum auſterorum alvus ſolvebatur, imo ejusdem & poſterioris generis obſervationes quotidianæ ſunt.

Quod autem nonnulla alimenta, alias non omnimode ſalubria, quibusdam bene cedant, imo ſanitatem reſtituant vel juvent, occaſione lymphæ ventriculi digeſtoriæ & acrimoniæ hujus determinatæ evenit, quæ non, niſi ſolidiore, glutinoſa ac pinguiore eſca ſaturari ejusque ſpicula infringi ac temperari valent; perinde ac chloroſi ac malacia laborantes lateribus, arena, calce, creta veſcuntur, quod inter eſculenta ordinaria, quæ huic fermento ferociori domando ſint paria, non facile inveniantur. Neque utut ejuſmodi pravorum atque incongruorum aſſumptionem chylificatio vitioſa excipiat, ægris hinc neceſſario aliquid noxæ contingit, quin potius per hanc ſanitas aliquando reſtituatur: forſan, quod ex alimentis non adeo laudabilibus formetur chylus aliquis medicamentoſus, qui vitioſis ægri corpori inexiſtentibus humoribus corrigendis atque emendandis inſerviat; perinde ac medicamenta acriora pituitoſis, viſcida & acida ſcorbuticis, bilioſis &c. prodeſſe, utraque ſanis nocere, in propatulo eſt. Quinimo ipſa alimenta viſcidiora, acria, refrigerantia, calefacientia aut per quemcunque qualitatum exceſſum temperatioribus corporibus minus ſalubria, intemperatioribus & a ſtatu naturali declinantibus proficua obſervantur, calefaciendo hos, quorum calor debilior, incidendo pituitam, obliniendo & inviſcando acrimoniam, laxando alvum, & quæ aromatica bilioſis nocent, pituitoſis proſunt; hinc alimenta medicamentoſa appellata. **Quæ hujus rei ratio?**

Triviale circumfertur proverbium, *Omnis repletio mala, panis vero peſſima*, quod nihilominus omni authoritate deſtituitur, ejusque fidem ratio atque experientia ſuſpectam reddunt. De authore quippe ejus haud conſtat, teſtaturque *Savanerola*, Medicus ſui temporis eruditiſſimus, ſe penes nullum Scriptorem hoc effatum legiſſe: & *Sanctorius 4. de errorib. vitand. c. 8.* non panis, ſed carnis potius, nimiam ingluviem a Græcis taxari, nec ullum tamen horum allegat. Plerique *Avicennæ* hanc ſententiam tribuunt, inter quos *Primeroſium 3. de error. vulgi c. 24.* quoque deprehendo, qui tamen eum cum aliis pariter deceptum ait: quamvis nec penes illum aliquid hujus opi- **Panis repletio haud pejor ac aliorum ciborum.**

nionis reperire liceat, niſi in ſenſum flectere placeat ejus verba, ex *lib. 1. fen. 3. doctr. 3. cap. 7. Amplius ſcire debes; quod impedimentum panis, cùm non digeritur, eſt multum, ſed carnis nutrimentum, cum non digeritur, eſt minus hoc;* in quibus tamen non de largiore aſſumptione ſeu repletione, ſed de læſa digeſtione, panis agitur. Præterea & eo ipſo, dum inter cuncta eſculenta humana ſine dubio frequentiſſimum ac conſuetum magis reperitur panis, omnium alimentorum facile temperatiſſimum, temperatiora autem & familiariora minus corruptionis induunt ac minus lædunt: haud apparet, cur panis repletionem ſeu uſum nimium aliorum ciborum repletione pejorem ac peſſimum proclamemus. Quin potius panem probe fermentatum & coctum cæterorum alimentorum condimentum exiſtimemus: obſervantes, qui ſolo pane veſcuntur, quam optime ſanos exiſtere, quos ſi imitarentur cœteri, rariores forſan cruditates ac morbos experirentur, quales ex carnium aliorumque, quæ ſubſtantiæ ac qualitatum quoque ratione minus ſalubria, abuſu frequentius eveniunt.

In alimentis deſignandis experientia potiſſimum attendenda.

Proin, qualia alimenta cuivis quadrent, aut moleſtiam creent, diſcernere tenetur medicus, quamvis in multis, ut vel ex recenſitis, vel alias, conſtat, falli queat, in uno aliter ac in altero, eadem etiam corporis conſtitutione præditis & ſimili ægritudini obnoxiis, evenientibus: Dum v. g. plerique hypochondriacorum lac dulce haud ferunt, ſed peſſime hinc ſe habent, eorum nihilominus nonnulli ſine omni perturbatione & noxa illud hauriunt. Quod ſola diſcernit experientia & individuorum ſingularis obſervatio, quo ſcientia, in univerſalibus quæ moratur, haud pertingit.

Qúomodo ſuccurrendum illis, qui in congruis veſcuntur?

Interim, cum nec ſani, nec ægri, ſemper abſtineant omnimode ab alimentis incongruis & prohibitis, allaborandum ſimul erit, ut medicamentis appropriatis illorum noxis ſuccurratur, eorum digeſtionem juvet, ac cruditates deleat per peptica hujus illiusve generis, flatuoſitatem ſolvat per carminantia &c. Medicus. Quod per condimenta quoque culinaria ſeu medicamenta alimentoſa fieri poteſt ac ſolet, vitiis alimentorum emendandis ac cavendis deſtinata: donec temporis tractu in abuſum degenerarint eorum pleraque, & hodie ſaporibus potius ſuavioribus ac variis inducendis inſerviant palatoque lenocinentur illa.

Quan-

Quantitatem alimentorum in genere determinat illud Hippocratis *2. aph. 4. Non ſatietas, non fames, ſi naturæ modum exceſſerint, bonæ ſunt:* i. e. nimius pariter, ac parcior juſto, victus corpus lædit. Per nimiam quippe alimentorum ingluviem (1) primarum viarum eveniunt cruditates atque apepſia: (2) excrementa alvina cum flatibus cumulantur: (3) crudior chylus ad maſſam ſanguineam ablegatus cachexiam & obſtructiones hinc inde parit: aut, ſi per robur excellentius ventriculi atque inteſtinorum copioſiora alimenta in chylum laudabilem faceſſant, plethora & humorum laudabilium exuperantia, periculoſa admodum, metuenda. Contra inedia ſeu victus parcior tametſi ad ſalubritatem corporis hoc conferat, ut vitioſos humores, per repetitas cruditates congeſtas, ſolvat, hocque nomine, ſucci alibilis diſtributionem ac diaphoreſin facilitando, univerſum corpus pervium reddat & excrementorum cunctorum evacuationem promoveat: ſi tamen diutius continuetur, tum ſanis, tum ægrotantibus, haud parum incommodat. Humores ſiquidem laudabiles ac ſpiritus conſumit, per conſequens ſolidiorum quoque partium ſubſtantiam roſcidam ac gelatinoſam colliquat, noxios & acriores vero humores, conſueta alimenti novi benignitate & mucilagine inviſcante deſtitutos, pro vario jejunantis temperamento & apparatu morboſo, varie exagitat: unde *Hippocrates* haud perperam, melius in pleniore, quam in pertenui, victu errare, aſſerit. Demenſum tamen alimentorum pro ſubjectorum conditione diverſa variare, ſuperius dictum.

Nimiorum alimentorum damna.

Damna inediæ ſeu victus parcioris.

Inpræſentiarum deteſtandus potius eſt muliercularum noſtratium mos pravus, quo ægrotantibus non tantum plus juſto alimentorum indulgent, ſed nolentes volentes ad hoc urgent: quaſi debilitatis, vel a morbo, vel ab evacuatione medica paſtus plenior neceſſarius ſit, pro viribus exhauſtis reſarciendis, ac quaſi, quod ſenſim ſenſimque perditum, mox uno paſtu ac die ſit reparandum; minus penſitantes, huic concoquendo & digerendo illas non ſufficere, hincque obrui. Potior erat antiquorum prudentia, qui infirmioribus ejuſmodi tenuioris cibi exiguum exhibebant, cum incremento virium victus quantitatem augentes. Ac *Hippocrates*, tametſi conſuetudinem facile mutare diſſuadeat, minus tamen ita interpretandus,

Non urgendi ad victum pleniorem ægri.

quaſi

quaſi ægroti eodem modo cibari debeant, ac antequam ægrotarent, i. e. antequam ulla mutatio corporibus eorum contigerit, quæ alimenti mutationem poſtulet. Poſtquam enim a morbo evidenter immutatur corpus, deſiderat ipſummet alia quoque alimenta aliamque horum quantitatem: per conſequens, quibus in ſtatu ſano plus roboris, plus dandum eſt; quibus in morbo minus virium, minus concedendum. Quod quamvis aliis *Hippocratis* & *Galeni* aſſertis videatur repugnare; ægro nimirum cibum concedendum eſſe, quo, donec morbus ſuperetur, ſubſiſtere poſſit, conſtet vero, robuſtiorem præ debiliore magis, ac proin cibi auxilio minus indigere, contra debilem minus durare, hinc alimenti plus opus habere; item, inediæ quidem locum concedendum in valentioribus viribus, largiore autem cibo utendum, ubi hæ exiſtunt imbecilliores. Facile tamen decidi poteſt negotium, ſi, quod de Indicationibus in genere dictum, ſupponamus, habere Indicantia non raro ſua Prohibentia: vires nimirum debiliores plus alimenti poſtulant, idem tamen disſuadent ſeu prohibent digeſtiones, ſub ejuſmodi ſtatu imminutæ ac depravatæ. Proin equidem, quantum illæ indigent, quo durent, ſimul tamen non plus, quam quantum coquere valent, modicum nempe, exhibeatur, cum quod aut quantum alimenti non digeritur, nec viribus proſpicit.

Alimenta aſſumendi tempus conſuetudo determinet.

Error porro in alimentorum aſſumptionis tempore non levis perpetratur, ſi vel hora non conſueta, vel nondum confectis alimentis prius ingeſtis, nova ingeruntur. Conſuetudinem ſiquidem ut in cœteris, ad ſalubritatem corporis facientibus, ita inprimis in cibandi tempore, magni momenti eſſe, ex *Hipp.* ſuperius monitum: *nam & his, qui bis in die cibum ſumunt, & his qui ſemel, repentinæ mutationes noxas & ægritudines inducunt, & eos ſane, qui prandere non adſueti ſunt, ſi pranſi fuerint, ſtatim infirmos facit hoc, & toto corpore graves, debiles &c.*

Item coctio abſoluta aut minus abſoluta.

Quodſi vero quis, ventriculo circa priorum alimentorum digeſtionem adhuc occupato, novos cibos ingerat, ſtatim is hujus gravitatem, oſcitationes, ructus, anxietates &c. perſentiſcet, indicio manifeſto prius aſſumpti cibi digeſtionem ab alterius intempeſtive ſuperingeſti cruditate turbari, & ambos in cruditates abire; quo errore nullum deteriorem *Avicenna* profitetur, his verbis: *nihil*

eſt

eſt in corpore deterius, quam quando nutriens ſuper nutriens, quod non digeſtum, demittitur: Proin illis, qui debilioris ſtomachi, a prandio cruditates obſervant, quosque nulla fames urget, a cœna abſtinere conſultius videtur: neque omnibus iisdem horis cibos ſumere convenit, ut jentaculum quoque vitandum veniat illis, quibus cœna nondum omnimode excuſſa.

Qui ordinem in ciborum aſſumptione attendere monent, molliora, fluidiora ac facilioris digeſtionis ſolidioribus ac dyſpeptis, laxantia adſtringentibus, & quæ facile corrumpuntur v. g. fructus horarios, cæteris præmittere jubentes; quaſi hunc neglectum digeſtio vitioſa ſequatur, dum citius ſoluta & laxantia per orificium ventriculi inferius, a crudioribus adhuc ac minus laxantibus obturatum, deponi nequeant, hinc mora digeſtionem depravent, ac vitioſum conſtituant chylum: ex præjudicio agunt autopſiæ repugnante, quo nimirum pylorum in fundo ventriculi ſupponunt, & contenta hujus non tam tendentia propria ad inferiora, quam contractione & impulſu ejus, per pylori anguſtius orificium ad inteſtina rejiciuntur. Neque ſtrata ejuſmodi alimentorum ſucceſſive ingeſtorum, in ventriculo concipere licet, poſtquam cuncta eorum, quam diverſiſſimi generis in hoc ſine ordine confundi ſeu commiſceri, probabile eſt. Nec quæ alvum ſubducendi vi pollent, citius hanc exerunt aliis præmiſſa, ac ſi illis ſuperingerantur; niſi forte cœtera longius antecedant, i. e. inteſtina ſubintrarint, aut impulſu ſatis fortuito orificio inferiori adigantur, antequam illa superveniunt: perinde ac medicamenta laxantia, ſive cœnæ præmittantur, ſive poſtponantur, alvum leniunt.

Ordo in aſſumendis cibis nullius momenti eſt.

Simili ratione res ſe habet cum varietate eſculentorum, quam adeo deteſtantur ſcrupuloſiores Medici, formidant, qui ex horum præſcriptis vivunt. Communis eſt traditio, ſimpliciorem victum quam ſaluberrimum exiſtere & vitam prologare: contra alimentorum ſimul ingeſtorum varietatem tot prope, quot eduliorum & condimentorum genera, morbos parere. Infelices proin proclamant guloſos, qui intelligere nolunt, magno, ſanitate nempe, palati ejuſmodi oblectamenta ſtare, & vitam ante terminum depredari, cum non fieri non poſſit, tantam ingeſtorum farraginem, propter diverſam

Varietas eduliorum vix adeo noxia eſt, ut communiter creditur.

verſam

verſam ſui texturam & faciliorem difficilioremque digeſtibilitatem, chylificationem enormiter conturbare, hinc poſt cacochymiam cachexias morboſque infiniti generis inducere: ſimpliciorem victum concoctu eſſe faciliorem, hinc laudabilioribus conſtituendis ſuccis magis idoneum. Provocant ad plebejos, qui ignorantes ejuſmodi luxuriei commenta, ſub uſu panis, lactis, caſei & paucorum leguminum ſaniſſime ac diutiſſime vivant: provocant ad victum ſimpliciorem antediluvianorum & brevi poſt eorum tempora viventium, quaſi illi ad plura ſecula, hi ad plures nihilominus ac noſtrates annos incolumes ac ſuperſtites manſerint: provocant ad bruta, quorum ſylveſtria, dum unius tantum generis eſca utuntur, ſaniora ac longæviora; domeſtica ſeu incluſa, quod varium ac mixtum alimentum iis exhibeatur, cruditatibus ac morbis exponantur: provocant demum ad febricitantes, quibus idem victus ſimplicior, præ tot eſculentorum confuſanea mixtura conducat.

Quodſi tamen experientiam conſulamus, nec ruricularum ſimiliumque hominum viliorum, nec aliorum frugaliter viventium, menſæ omni obſoniorum multiplicitate expertes deprehenduntur, ad multam tamen ætatem illi vivunt, & qui gulæ minus indulgentes in eodem paſtu pane, carnibus, acetariis, oleribus, butyro, caſeo, cereviſia ac vino ſine noxa utuntur, ſub hac quoque alimentorum diverſitate commode degunt & longævi evadunt. Ut per conſequens haud adeo damnanda videatur omnis eorum varietas, quin concedenda potius, pro appetitu integro conſervando atque ſtimulando. Imo ſimpliciora olera aliquando heterogeneitatem evidentem involvunt, ut alia eorum ſubſtantia laxet, alia conſtipet, alia ventriculo facile pareat, alia ejuſdem activitatem reſpuat, inſint carni partes fibroſæ ac ſolidiores, inſint gelatinoſæ & promptius ſolubiles: ita ut nulla ſimplicior eſca in relatione ad chylificationem indolem homogeneam & uniformem includat. De antediluvianorum Patriarcharum longævitate equidem ex ſacris Literis conſtat, an autem omnes eorum coætanei & ſoboles illam attigerint, nec aſſerere, nec negare datur: poſtquam incertum, an ad ſeros adeo annos pervenerint per ſingularem Dei directionem, an per cauſas magis naturales; & poſt Noachum hujus poſteri, Abraham, Iſaac, Jacob &c. non

adeo

adeo longævi obſervantur, frugaliori & ſimpliciori victui quanquam pariter mancipati. Exemplum a brutis depromptum triplicem involvit petitionem principii, ſc. primo, an ſylveſtria unius tantum generis pabulo utantur, dum diverſæ herbæ, frutices, frumenta, fructus, illis obviam fiunt, & in hæc ea graſſari conſtat: deinde nec perpetuæ veritatis, domeſtica ad varia magis alimenta cogi: quemadmodum tandem nondum comprobatum, ſylveſtria præ incluſis, unius ſpeciei, ſaniora & diuturnioris vitæ, & quidem propter alimoniæ ſimplicitatem, exiſtere. Febricitantibus demum ſimpliciorem victum neceſſarium & congruum magis eſſe, largior, non tamen propter ſimplicitatem, ſed exilitatem ac tenuitatem: cum nihil impediat, quin juſculum, ovum ſorbile, panis & plura, modo appetitus hæc admittat & iis frugaliter utantur, ipſis ſimul porrigantur, ſine noxa ab aliquot exilioribus ferculis metuenda. Ac utut his multifarium ejuſmodi eduliorum genus haud adeo proficuum foret, *Sanis tamen omnia ſana*: i.e. carnibus, piſcibus, vino &c. equidem frui non licet febricitantibus, quæ nihilominus in alimoniam laudabilem cedunt firmioribus; proin nec alimentorum varietas, tametſi ægris non conferat, nocebit ſanis. Quibus accedit, qui vere ſic dicto victui ſimpliciori mancipati, ſc. villicos miſeros, captivos, caſtra ſequentes famelica, ex hoc haud adeo ſanos & robuſtos vivere, ſed ex colore eorum lurido, habitu macilento eos genio maxime defraudari, in propatulo eſt: refocillantur autem & vigorem ac robur novum adipiſcuntur, ſi huic paulo indulgere iis concedatur, i.e. pani mero aſſocientur carnes aliaque obſoniorum genera lautiora & varia.

Illam interim dapum & cupediarum multitudinem nimiam, ubi facile corruptibilia & difficilioris digeſtionis aliis combinantur, frixa cum elixis, pinguia cum dulcibus, acida cum aromatis, carnes varii generis cum piſcium farragine, lac & lacticinia cum fructibus pluribus ingerantur, iisve vinum modo recens, modo vetus, cereviſia plus minus fermentata, ſuperinfundantur, damno; bradypepſiæ & cruditatum radices. Et luunt hujus luxus pœnas graves frequentius aulici ac quicunque commeſſationibus dediti, dum non tantum ſeneſcentes, ſed in floridiore quoque adhuc ætate, quam ciborum

Niſi ſe mutuo corrumpentium.

 infini-

infinitorum quotidiana ingurgitatione & crapulis fregerunt, hydrope, phthiſi, doloribus colicis, nephriticis, articulorum ac contracturis, aut ad minimum immedicabili ventriculi imbecillitate, appetitu proſtrato & nauſea excruciantur, defatigantur ac emaciantur. Inprimis autem vitanda erit illa eſculentorum ac potulentorum cum condimentis varietas, qua unum alterius pravitatem & nocendi rationem intendit & quaſi multiplicat, v. g. fructuum horariorum diverſorum, vel per ſe, vel cum ſaccharo ſimilibusque dulcibus, a qualibus in certiorem & impetuoſiorem fermentationem abripiuntur, ingeſtorum; ſi aromata cum vino generoſiore aut ſpiritu vini ſanguinem & viſcera in excandeſcentias abripientia, ſimul deglutiantur: quave per diverſas & contrarias magis facultates illa eorumque vitia non tam corriguntur ac temperantur, quam corrumpuntur & prava magis redduntur, v. g. lac cum aceto & acetariis, vino aut fructibus acidulis hauſtum, in coagulum, ventriculo cœterisque viſceribus exitioſum, degenerans.

Aut pravitatem aliorum intendentium.

Utrum prandium cœna largius eſſe debeat, hinc inde, v. g. penes *Fuchſium*, *Langium*, *Cardanum*, *Sennertum*, *Deodatum*, *Hœferum* ac alios diſceptatur, atque morem & tempora noſtra ſi attendamus, pleroſque liberalius prandere, quam cœnare, obſervamus; adeo ut ſi quis in paſtu excedere malit, in prandio hoc commodius fiet, quod frugaliore cœna, vel omnimoda ab hac abſtinentia error hic emendari queat: Salubritati tamen ſi litandum, cœnam potius largiorem & lautam magis cum pleriſque commendo. Quod majus ſemper intervallum inter cœnam & prandium, quam a prandio ad cœnam, intercedat, hinc in priore plus alimenti confici & cruditas hinc nata commodius ſuperari valeat: quodque ſomnus cœnæ ſuccedens chylificationem nocturnam magis juvet, contra vigiliæ cruditates generent, prout inferius pateſcet.

Utrum prandium cœna largius eſſe debeat?

Potulentorum uſu indigemus ordinarie pro cibis ſolidioribus in ventriculo commodius macerandis, chylo magis diluendo & per meatulos anguſtiores ubique transvehendo, pro fluxibilitate humorum perpetuanda ac recrementis ſalinis imbibendis, detergendis & per vias urinarias aliaque emunctoria eliminandis. Quamvis potus aſſumptionem non usque adeo neceſſariam mihi perſuadere poſ-

Cur potus adeo neceſſarius?

poſſim; quaſi ventriculus menſtruo hoc macerante ac diluente deſtitutus non commode chylificet, ſed chylus quoque omni vehiculo defraudetur, & quaſi illi ac inteſtinis tantum humiditatis non ſuppetat, quantum ad negotium hoc poſtuletur: potiſſimum cum pleraque eſculentorum aliquid humiditatis habeant, vel a ſalivæ admiſcela inter maſticandum recipiant. Dum vero multum ſeri per diverſa organa excretoria rejicitur, ne tandem hoc vel in toto, vel in primis viis, deficiat, quotidiana opus videtur ejus reſtauratione, quam potu præſtamus.

Potulentorum quædam ſunt ſimpliciora, nempe aqua, uſibus indigitatis magis adæquata, quædam particulis farinaceis ſeu nutrientibus & activis magis ſimul impraegnata magiſque voluptuaria, nempe cereviſiæ infinita genera, lac, vinum, mulſa, & liquores ex pomis, pyris ſimilibusque fructibus per fermentationem parati, cum ſpiritu vini ſeu aqua ardente. Simplicior ac tenuior quo potus, eo ſalubrior eſt, & illis, qui ſolidiore & evchymo alimento fruuntur, cereviſiæ ſpiſſiores minus quadrant, quemadmodum nec illis, qui vinum bibunt: cum ejuſmodi cereviſiæ, particulis farinaceis ſeu chyleſcentibus jamdum turgidæ, eſculentis macerandis & ſolvendis minus adæquatæ exiſtant; cum vino autem, per vim inebriandi & caput conturbandi communem, ſtare nequeant. Neque tamen illis, quorum ventriculus debilior, & quibus alimenta difficilioris digeſtionis ſunt frequentiora, quemadmodum Saxoniæ inferioris incolis ac ruriculis noſtratibus, ut cereviſia craſſiore ſeu pinguiore, ut ajunt, utantur, diſſuadeo, utuntur etiam hac cum ſenſibili emolumento, & habitus craſſeſcentia atque obeſitate: condimenti ſiquidem vices præſtat ejuſmodi potus, ſtomachi digeſtioni ſubveniens & cruditates arcens. Vinipotoribus potum reliquum tenuem conſulo, quod generoſius aqua commode diluatur, cereviſiæ combinati hauſtus, per vim pariter narcoticam, caput citius gravari faciant: adeo ut non infrequentes illi, qui inter compotationes largam ſatis quantitatem vini ſolitarii ſine temulentia ſuſtinent, mox tamen ſub uno vel altero cereviſiæ hauſtu ab exiliore longe vini quantitate inebrientur. Belgas, Anglos ſi attendamus, vinum bibentes, hos nunquam ſimul cereviſias ſuas ſpiſſiores, ſed ſecundarias & tenuiores magis, cum illo

Potulentorum varia genera.

Cur & quibus potus tenuior craſſiorve conferat?

haurire, deprehendimus. Nec ſemel, ſed pluries, penes valetudinarios evenit, ut nauſeant, vomant, gravitate ac dolore capitis, flatibus, alvo duriore &c. moleſtentur, quamdiu cereviſiam conſuetam hauriunt, ceſſent hæc ſymptomata ac melius longe illi ſe habeant a cereviſia ſecundaria, decocto hordei ſimplici aut mera aqua.

Vinum inadſuetis nec ſuadendum, nec denegandum adſuetis.

Ratione vini adhuc notetur, æque difficile eſſe, ejus uſum non adſuetis commendare, ac idem ſubtrahere, penes quos conſuetudine ille inoluit. Prioris exempla hinc inde in hydropotis ſeu abſtemiis deprehendimus, vinum eousque aliquando abhorrentibus, ut perinde ac illi, qui caſeum, butyrum aliaque per idioſyncraſiam quandam faſtidiunt, ex tantilli vini invita delibatione in lipothymiam conjiciantur, aliquando etiam hæmorrhagiis corripiantur. Contra febricitantibus atque arthriticis, quibus alias merum minime conducit, hoc vix omnimode denegandum, ſed etiam hoc in paſſu conſuetudini condeſcendum, eſt, prout ſuperius monitum, & experientia multifaria comprobat. Ita quendam febre Hungarica decumbentem Vini Hungarici copioſiore & ad temulentiam usque ingurgitatione per ſudorem profuſiſſimum fuiſſe ſanatum, *Miſcell. nat. cur. decur. 1. ann. 3. obſ. 45* perhibent: & in arthritide illis, quorum ætas, conſuetudo ac ventriculi imbecillitas vinum urget, hoc concedunt *Crato conſil. 153. Crucius quæſit. per epiſt. p. 12. R. Fortis 4. conſ. 172.* & *Sydenham. de podagr. p. 89.*

Vini virtutes.

Virtutes vini ex Autoribus tranſcribere ac harum experimenta congerere, ſupervacaneus mihi videtur labor, prolixiſſime hoc egit *Canonherius de admir. vini virtut.* quem loco plurium commendo: nec inepte de eodem diſſeruiſſe videtur *Plato 1. & 2. de leg.* quando illud *timoris pharmacum, ſenectutis refocillationem, mœroris & inopiæ oblivionem, ſomnii illecebram, ſpiritus ex puriore ſanguine geniti fomitem, fortitudinis calcar, mentis ingeniique incitabulum, quo, ut ferrum igne, ita animus vino moderate ſumpto miteſcat*, ait. Quorum verborum poſteriora ſatis paradoxa videri poterant, præcedaneis, ubi *mentis ingeniique incitabulum & fortitudinis calcar* dicebatur, collata, quibus idem ſpiritus ſimul domare Divinus Philoſophus aſſerit: niſi *Xenonem* adſtipulantem noſſemus, ſcribentem: *ut lupini amari crebra aquarum adſpergine macerati dulceſcant, ita animum vino irrigatum*

tum miteſcere. Id eſt, Vinum, moderate hauſtum, diſtractos & in turbinem quaſi actos ſpiritus reducit ac in ordines priſtinos componit: ita ut animus tædio quocunque affectus ſeu conturbatus hoc antidoto tantum non univerſali ſedetur & ſpiritus ad conſueta motusque magis ordinatos ſe recipiant. Singulare hujus rei exemplum ſubminiſtrat *Pechlinus 3. obſ. 16.* in ſacerdote quodam, cui ex phantaſia corrupta videbatur, cum foras egrederetur, reſpirandi neceſſitatem in aëris jam jam defecturi ſenſu majorem eſſe, quam domi, tandem etiam omnimode abrumpi; comitantibus hanc ſollicitudinem cordis anxietatibus, ſudore frigido aliisque ſymptomatis, quæ non ceſſabant, quam alvo ſemel iterumque dejecta rediret animus, poſt horas aliquot nova ejuſmodi acceſſione exercendus. Unde a munere eccleſiaſtico & colloquio alienorum hominum ſe abdicare eum coactum fuiſſe, quod ſtatim inde excitari metum & ex hoc moleſtias illas intelligeret: dum contra domi in lecto ſe continens nihil fere earum comparuerit, mox recidivantibus ſimul ac peregrini aut ignoti hominis colloquium aut aëris externi uſum affectaret; donec poſt plura remedia fruſtranea, quod nec medici, nec æger, morbi ingenium ſatis cognoviſſent, quidam eorum animi hunc errorem deprehenderit, & vini meracioris hauſtum, ad animum erigendum & a priſtina imaginatione divellendum, ſuaſerit: quo non tantum a paroxyſmo hoc & ſucceſſive, continuato meri potu, ab erronea idea, quam contumax phantaſia formaverat, omnimode liberatus fuerit, revocatis in priſtinos ordines ſeu gyros naturales ſpiritibus. Hoc eſt, perinde ac Vinum calamitatum ac planctuum oblivifci facit & circumagendo animo idoneum eſt, ita a cogitationibus etiam alienis eundem avertere ſibique reddere poteſt, quocunque demum modo hoc agat: uno verbo, prout ab eodem ſœpe ideæ ſaniores corrumpuntur, ſic deformia ac corrupta phantaſmata ad priſtinum & rectum ſtatum hoc reducere probabile fit.

Vinum phantaſiam corruptam corrigit.

De cœtero vinum, ſi generoſius, & ejus plus hauriendum fuerit, aqua plus minus dilui debet, ſub proportione non una, ſed pro diverſitate ſui, quantitatis bibendæ, ſubjectorum & temporis varia. Singularem vinum aqua temperandi encheiriſin deſcribit *Hœferus Herc. med. lib. 8. cap. 5* quæ hæc eſt: Cyathus æqualis amplitudinis

Vinum generoſum aqua diluendum.

Vinum aqua attem.

vino

perandi ſingularis modus. vino repletur, huicque vitrum anguſti orificii aqua plenum inverſum immittitur, ita ut latioris vaſis fundum orificium hujus non attingat: ſic aquam ſenſim deſtillare in vinum, tantum vero hujus ſubtilioris ſubſtantiæ ſeu ſpiritus per medium aquæ in ſuper impoſitum vitrum aſcendere & aquæ parti leviſſimæ commiſceri deprehenditur. Suſpicatur Author, hoc dilutum vinum illud cum aqua extractum eſſe, cujus *Horſtius 4.obſ.24.* ſub nomine gezogenen Weines meminit. Fateor, me dubitaſſe primum de ſucceſſu hujus experimenti, ob diverſas rationes; aſt rem tentans poſt aliquot horas aquam ſuperioris vitri vino ſenſibiliter tinctam, hujusque odore ac ſapore imbutam, contra vaſis inferioris vinum ab aqua deſtillata itidem valde dilutum deprehendi.

Reiterabam experimentum cum vini reſiduo & poſt octo horarum circiter ſpatium extraxi phiolam, cujus aqua tantillum tantum coloris ac ſaporis vini, ſenſibile tamen, præſeferebat: tertio autem experimento, utut phiola cum aqua ad triduum vino immerſa manſerit, hanc tamen omnis plane tincturæ cœterarumque vini qualitatum expertem, ſeu puram putam aquam, protrahebam, vini autem reſiduum ratione ſaporis, & coloris aquoſius longe, quam aquam primi experimenti, mecum judicabant alii. Hinc inferebam non totam vini compagem hac ratione elevari ſeu extrahi, ſed aliquid ejus remanere; anceps tamen manebam, an, juxta *Hœferum* ſubtilior tantum ſeu ſpirituoſa vini portio hac ratione extracta & caput quoddam quaſi mortuum relictum fuerit: cum non ſpiritus, ſed totius ſubſtantiæ, vini qualitates dilutum elevatum præ ſe ferret, nec aqua frigida idoneum inſtrumentum videatur vinum in ſpiritum & phlegma diſcernendi. An vero artificium hoc vinum diluendi praxi bibentium aliquot vel plurium par futurum ſit, judicabunt illi, qui hoc tentabunt.

Potus paſtus intermedius minus conducit. Cum aſſumptorum ſolidiorum commodius macerandorum ac digerendorum potiſſimum gratia potulenta deſiderentur, evidens fit, non ſine iis ſcyphos facile eſſe exhauriendos, unde etiam potus hic commixtivus communiter appellatur, & qui extra prandendi ac cœnandi tempus bibitur, intempeſtivus nec adeo ſalubris cenſendus. In ſpecie damnandus maxime potus matutinus, ſeu ventriculo jejuno,

no, quo ſe ingurgitant nonnulli: quale quid, niſi ex prava conſuetudine contingat, aut crapulam præcedaneam, aut certe viſceris alicujus diſpoſitionem vitioſam, ad cachexiam inclinantem, innuit, coctiones labefactat, cruditates generat, caput conturbat & ſerum juſto fluidius ac copioſius, quemadmodum quivis potus nimius, reddit. Pariter digeſtionem primam inchoatam inſigniter turbat potus, prandium atque cœnam intermedius, ſub hac tamen circumſtantia: quod hæc offenſa metuenda ſit, ſi concoctio in vigore magis exiſtat, ſecunda nempe vel tertia a paſtu hora; minus circa quintam vel ſextam, ubi fere peracta eſt eadem. Hoc tempore, cœnæ propinquiore, qui hauritur, potus delativus quibusdam audit, quod ad cibum, prima concoctione confectum, antequam novus aſſumatur, e ventre in totum corpus diſtribuendum bibatur; vel potius ut reliquias alimentorum digeſtorum e ventriculo detergat, huncque de novo ſtimulet. Quod a vini hauſtu, cœnæ brevi antecedaneo inprimis fieri obſervamus, qui appetitum ad eſculenta ſenſibiliter excitat & famelicos reddit: quamvis idem in conſuetis cereviſia generoſior præſtet. Qui vero extra paſtum ſitis cauſa expetitur, potus, & ſedativus dicitur, equidem rigoroſe denegari non poteſt, ſive illa a morbo, ſive ab eſculentorum ſalſugine ſimilive habitudine, v. g. eſu cyprinorum, contingat: moderandus tamen, quantum cauſæ ejus permittunt, aut periculum, quod a nimio potu metuendum, exigit, v. g. in febricitantibus, quos potulentorum nimia ingurgitatione hydropicos aliquando fieri, experientia loquitur. Niſi ſub certis conditionibus.

Vitandæ pariter ſunt quam ſtudioſe potationes nimis ſeræ & in multam noctem extenſæ: atque hoc quidem vel ob rationem modo explicatam, quod illæ eduliorum, in cœna aſſumptorum, digeſtionem turbent; vel quod potus ſerotini per noctem ſeu inter dormiendum intra vaſa retenti ad partes nobiliores reſtagnent, dolorem capitis, laſſitudinem ac tremorem membrorum &, ſi hoc vitæ genus diutius continuetur, paralyſin, hydropem &c. pariant. Moratur autem hoc potus ſerum ſomni tempore diutius in corpore, notante *Lowero de Corde*, quod non tanta urinæ quantitas, nec cum hac potulentorum aquoſitas tunc ſufficienter excernatur, quanta in vigilantibus & extra Vitandæ etiam ſunt potationes ſeræ. Tanquam noxiæ.

lectum conſtitutis deponitur, cujus imminutæ mictionis pariter non una eſt cauſa. Quippe primo tepor lecti & ſtragulorum tranſpirationem ſeri per poros quemadmodum liberiorem conſervat, ſic ſecretionem atque excretionem lotii non parum ſufflaminat, perinde ac habitus ab atmoſphœra frigidiore conſtipatus & diaphoreſis cohibita utramque illam juvat ac auget. Deinde nec veſica urinæ, intra ambitum ſuum congeſtæ, ſtimulum ita percipit: quod ſub decubitu declivi ejus onere minus gravetur ſeu tendatur hujus cervix, & propter ſpirituum, vel a ſomno, vel a temulentia, torporem, aut ab extremis verſus cerebrum remeatum, torpeſcat & ſui muneris tantiſper obliviſcatur eadem. Quibus accedit, quod decubitus ſuper planum in lecto declivior appulſum ſanguinis, ſero potus diluti, verſus cerebrum promptius admittat, non tam commode tamen hic, ac corpore erecto, ex illo remeet: unde tandem hydrocephalus, cephalæa, affectus ſpaſmodici, vertigo, paralyſis ſimilesve capitis morbi eveniunt; imo ejuſmodi noctubibuli de eorum prodromis, v. g. gravedine ac dolore capitis, ſomnolentia, tremore & faciei inflatione proximo mox mane conqueruntur, inter dormiendum vero turbulentis ac gravioribus inſomniis exagitantur. Ita ut conſultum videatur, ne, quos ſero bibendi vel occaſio, vel conſuetudo, urget, ſtatim lecto ſe tradant, ſed aut ambulantes, aut ſedentes, liberiori aëri, caute tamen, aliquandiu ſe exponant, donec ſe maximam potulentorum partem per urinarias vias, ſi non per alvum, reddidiſſe augurentur.

Somnus & vigiliæ moderandæ. Tertium rerum non naturalium genus, per diætæ regulas dirigendum, ſomnus & vigiliæ ſunt, quorum alternationes congruæ functionibus vitalibus præſtandis ac perpetuandis maxime inſerviunt; ſi autem mediocritatem exceſſerint, evidenter nocent, juxta *Hipp. 2. aph. 7. & 7. aph. 71.* Somni ſiquidem capeſſendi licet naturæ quædam lex ac neceſſitas, pro ſpiritibus animalibus, a laboribus defeſſis ac diſſipatis, reficiendis ac reſtaurandis, incumbat: idem tamen, ſi nimius, ſpiritus animales quaſi ſupprimit iisque torporem inducit, quo humorum motus naturales retardantur, crudi ac pituitoſi ſucci generantur, ac omnium ſenſuum & motus animalis vires hebeſcunt; ſicut vigiliæ nimiæ eosdem ſpiritus exhauriunt, alimentorum digeſtionem turbant,

turbant, gravitatem ac fluctuationem ventriculi concitant; appetitum proſternunt ac humoribus modo viſcicidatem, modo acrimoniam, partibus vero ſolidis laſſitudinem ac debilitatem, conciliant.

Neque tamen omnibus una ſomni & vigiliarum decerni poterit menſura, modo eousque duret ſomnus, ut chylificationem confectam ac nos robuſtiores redditos intelligamus. Quod quamvis non eodem intervallo omnibus eveniat, ſed pro diverſitate ætatis, aſſumptorum ac conſtitutionis ventriculi variet: communiter nihilominus ac frequentiſſime digeſtio prima ſeptem ad ſummum horarum ſpatio peracta ac viribus proſpectum videtur; imo abſolutam aut non abſolutam eſſe illam ex aliis quoq; ſignis conſtat. Inprimis vero etiam hic diſpoſitionis internæ & conſuetudinis habenda ratio, dum nonnulli utriusque aut alterutrius harum ope ſomno brevi ſatis vires integras conſervant, alii non, niſi plurium horarum ſomno, refocillari poſſunt ac ſolent: tametſi habitudo intrinſeca æquilibrium hoc quietis corporis & animi conturbans modo præternaturalis, modo naturalis magis obſervetur. De rebus præternaturalibus, ſomnum ſive interpellantibus atque excutientibus, ſive augentibus nihil moneam, tanquam in vulgus notis: aſt videntur quibusdam breviores ſomni evenire a certa fluidorum atque impetum facientium habitudine naturali, ſub qua licet parum dormiant, parum aut nihil tamen horum viribus decedit, ſed poſt trium quatuorve horarum quietem reliquam noctis partem cum integra inſequente die laboribus, aut animi, aut corporis, feliciter impendunt. Ita recordor fœminæ cujusdam, quæ poſt febrem quartanam contumacem multos annos vix duas vel tres horas ſingulis noctibus dormiens, interdiu ſatis alacrem ſe gerebat, niſi quod in conjugio triginta circiter annorum ſterili viveret. *Scio*, inquit *Pechlinus 3. obſ. 41. eſſe, qui natura ignei præcipitesque pauxillum dormiunt, & trium quatuorve horarum ſomno reſtaurati cœteras noctis partes cogitando abſumant, inde etiam, quod reliquum eſt diei, toti ſibi vindicent.*

Somni tempus.

non idem in omnibus.

Sicut autem præter *Hippocratem*, jubente natura, interdiu vigilare, noctu dormire, oportet, ita non facile licet noctem in diem, & contra, convertere. Hinc, quando de ſomno meridiano quæſtio exurgit,

Aliquando interdiu quoque dormire licet.

exurgit, *Valeriolæ 2. loc. comm. c. 8.* auſcultandum, ubi poſtquam diurni ſomni noxas recenſuerat, pergit: *At, ſi defatigationis ac laſſitudinis, a labore contractæ, ſenſus aliquis adſit, aut inquieta & inſomnis nox præceſſerit, aut æſtus immodicus vires debilitarit, tum ſomno etiam diurno tantiſper indulgendum erit. Unde eſt illud Celſi: meridiari longis diebus ante cibum, ſin minus poſt cibum, convenit.* Atque hoc inprimis in adſuetis, modo ſomnus hic brevior, ne caput gravet: quippe experientia docet, ſomnolentiam meridianam ſomno dimidiæ vel quadrantis horulæ mox omnimode diſcuti, longiore intendi & quaſi enutriri.

Somnus mox a paſtu haud nocet,

A plerisque pro intempeſtivo habetur ac diſſuadetur ſomnus mox a paſtu captus, quaſi hic digeſtionem ventriculi difficiliorem reddat & conturbet: cujus ſententiæ inter modernos patronum quoque deprehendimus *Williſium de Anima Brut. part. 1. c. 16.* quamvis ejus aliam a Veterum alleget rationem, ſc. crudum adhuc chylum ad maſſam ſanguineam, pulmones ac cerebrum, non ſine multiplici individui detrimento per ſomnum hunc intempeſtivum abripi. Ubi primitus miror, de ſalubritate ejuſmodi rei dubitari, quam, ne dicam, brutis cunctis, quæ largius ſaginata mox ad quietem, niſi turbentur, ſe componere, ſed nobis omnibus a prima nativitate & per non exiguam ad minimum infantiæ partem ſolennem, nunquam vero detrimentoſam novimus: dum infantes teneriores inter lactendum & pulmentorum infarctum utplurimum ſalubriter obdormiſcunt, adultiores & habitiores quoque facti ordinarie immediate poſt paſtum cunis & lectulis ſuis, ſine valetudinis præjudicio, imponuntur. Miror porro, quomodo ſine contradictionis nota *Williſius* adductus, vel ullus illorum, qui ſomnum alimentorum crudorumque humorum coctionem in toto corpore feliciter perficere, omnibusque ejus partibus alimentum bonum parare, ajunt, & quidem in tantum, ut coctionis difficilioris opus interdum non, niſi per illum, abſolvatur, ſomnum brevi a paſtu damnare queat. Nec ſi, ſpiritus vigilantium a functionibus ſpontaneis perturbatos ac a naturalium operibus avocatos chylificationi minus præeſſe, ſub altiore vero illarum ſilentio & quiete penſa hæc ſua promptius abſolvere, hinc alimenti coctionem ac diſtributionem, excrementorum

ſecre-

ſecretionem &c. peragere, ſupponitur, (ut ſi aliquando cibi comeſti ſtomacho moleſtias creent, ſomnus ſuperveniens has plerumque tollat,) apparet hunc non idem acturum immediate poſt cibum ac longius ab eodem ſuſceptum: dum quod ſine temporis reſtrictione, i.e. ſemper, coctionem maturat, eandem, mox ſuperveniens turbare & corpori nocere neutiquam poſſit. Quibus accedit, interruptum ac denegatum ſomnum chylificationem evidenter turbare ac ſtomachi gravitatem atque fluctuationes patrare.

Et per conſequens cur metuat, non habet idem Scriptor, a ſomno hoc crudiorem chylum ad ſanguinis canalem vel organa nobiliora rapi, qui chylum non crudum, ſed optime coctum & perfectum producit: poſtquam potiſſimum nondum evictum eſt, chylum ejusmodi inter dormiendum a cerebro avidius poſtulari. Vel eo ipſo, dum ſtatim a paſtu nullus chylus adhuc confectus exiſtit, vix capere licet, tempore ſomni, mox a cœna inchoati, chylum crudiorem ad cerebrum, pulmones & maſſam ſanguineam, quocunque demum motore, nondum determinato, ferri: quin potius de ejuſmodi chylo imperfectiore ſeu incongruo partibus his timendum foret, ſi una aut duabus a cæna horis, ubi chylificatio certius inchoata, cubitum iremus. Imo quilibet in ſemet experietur, quantas, ſi ſtatim a paſtu lectioni aut meditationi ſeriæ & attentiori animum impendat, aut quacunque occaſione a ſomno diutius juſto abſtineat, ſicque ſpiritus a primis viis avocentur, ſtomachus gravitates, eructationes & fluctuationes ſuſtineat. Demum ipſa experientia evincimur omnes, nihil vitii nobis, qui intra horulam a paſtu cubile petimus, hinc emergere, ac fruſtraneas ejuſmodi eſſe diſceptationes, pueriles nugas. *Nec cruditates parat*

Porro circa Motus & Quietis regimen notetur, Veteres in hoc determinando ſolertiores longe noſtri temporis Scriptoribus deprehendi: quippe ſuperioribus ſeculis introducta fuit Gymnaſtica, eum in finem primario excogitata, ut per varii generis exercitia bonum corporis habitum acquirere ſanitatemque integram conſervare quis poſſit. Ejuſmodi artes Græcis olim erant familiares, & penes *Hippocratem* frequens earum fit mentio, quamvis poſt hujus tempora paulatim defeciſſe videantur: a *Galeno* tamen aliisque Græcis poſt- *Motus moderaminis ingens neceſſitas.*

modum revocatæ, v. g. *lib. 6. de tuenda ſanit.* & libro peculiari, *de luſu pilæ parvæ*, ac a Romanis quoque excultæ, demum vero ab *Hier. Mercuriali* eruditiſſimo volumine explicatæ. Offenderunt forſan penes ſuos non tam vitæ morumque licentiam, qua hodie quisque motuum ſui corporis ſe arbitrum præſtat, nec aliorum legibus ſe hosque ſubjicit, quam quas muneri ac vitæ generi congruas ſibique gratas novit: ſed obſequium potius ſtrictius, quo ſecundum præcepta Medicorum motus corporis adornent, perſuaſi, valetudinis etiam rationem maximam partem ab iis dependere, hujusque multum intereſſe, quomodo regantur.

Cum nec functiones vitales ſine motu fiant. Motus uſus locuples eſt & commoda varii generis inſinuat, dum non tantum omnes actiones vitales per motum, aut non ſine motu, fiunt, adeoque vix, niſi motus determinatæ ſpecies, ſunt, ut olim indigitavi: ſed vitalitas inprimis a motu reciproco partium fluidarum atque ſolidarum, ſeu mutuo earum impulſu dependet, utpote per quem ſanguinis motus tam progreſſivus ſeu circularis, quam inteſtinus ſeu centralis, integer conſervatur atque perpetuatur. Quippe præter motum illum cruoris tam inteſtinum, quem partium pnevmaticarum functioni is debet, quam derivatorium ad partes, quem cordis embolus ipſi imprimit, motus muſculorum tonicus concurrit, quorum fibroſa compages perpetua quaſi ſua ſyſtole ac renitentia ſeu concuſſione motum cruoris retrogradum per venas ſtrenuo juvat, ſimulque ejusdem totidem elateres, ne præter modum & ad vitalitatis deſtructionem explicentur, quaſi blande coërcet ac reprimit, & ſic ad motum oſcillatorium quoque ſeu inteſtinum ſanguinis conſervandum ſymbolum ſuum confert. Ita ut vel hinc ambiguus maneat Cordi ac Cerebro principatus: ut quidem illud ſanguinem vitalem partibus impellat; hoc cum genere nervoſo per influxum ſpirituum compagem corporis fibroſam atque tenſivam eousque actuet, quo hujus conſtrictione molliore idem fluidum retrorſum ſimul urgeat; adeoque nec ſine corde, nec ſine cerebro vitalitas machinæ perennet. Et revera muſculorum ſyſtema fluidi hujus univerſalis motibus binis cuſtodiendis & tuendis multum miniſtrari, vel hoc docere poterat, quod a laboribus aliisq; vehementioribus motibus eo defatigato vires non tantum in hoc, ſed in toto corpore, defice-

deficere, ex pulſu debiliore ac raro aliisque functionum fatiſcentiis obſervemus: adeo ut, quod communiter vires integras ac labefactatas appellamus, non ſolitarie in ſpiritibus, nec in ſanguine, ſed in conſpiratione, quæ fluido huic cum illis & muſculorum apparatui, per impetum reciprocum, intercedit, conſiſtere, aſſerendum fuerit.

Tantum igitur ad motus ſanguinis vitales, ut hi ſalvi maneant ac muneribus ſuis conſtent, cum conferat muſculorum motus tonicus, ſeu ad ſenſum in quiete relictorum, v. g. ſomni etiam tempore, non abſurdum erit aſſerere, illorum utrumque multum reſuſcitari ac juvari ab horum motu ſenſibili ſeu evidente magis, qualem agitationibus, extenſionibus, flexionibus ac jactationibus corporis & membrorum hujus variis peragimus, dum per has ſanguis ex fibrarum motricum interſtitiis fortiore expreſſione ad oſcula venarum impetuoſius urgetur, alias lenta magis undulatione, extra ejuſmodi motus vehementiores, ac in dormientibus, latus, qualem diſparitatem ipſa pulſus diſparitas, quæ dormientibus ac vigilantibus intercedit manifeſtam reddit. Per conſequens vix dubitandum, ipſam vitam, vitales functiones & ſanitatem per motus externos maxime vegetas & robuſtas conſervari, varia etiam morborum initia per eosdem tempeſtive ſanari ſeu in prima herba deleri. Poſtquam inprimis illorum corpora morbis minus obnoxia & ad moleſtias externas ferendas magis idonea, deprehendimus, qui a prima mox ætate exercitiis equeſtribus aut quibusvis laboribus durioribus per multos annos ſe manciparunt: per hæc tantum virium robur & habitus firmitatem dum ſibi compararunt, qua ad ſeram usque ætatem contra illorum ingruentias ſe tuentur.

Juvat has motus voluntarius.

In ſpecie motus corporis ſtrenuus coagulis humorum morbificis atque hinc evenientibus oppilationibus mederi hæcque ſolvere videtur, ut cum fructu experiuntur febribus intermittentibus expoſiti, qui earum modo prima ſtamina, modo profundiores radices, curſu ſimilive corporis jactatione vehementiore, paulo ante paroxyſmum adornatis, extirpant atque tollunt: aucta ſine dubio per motus ejuſmodi ſanguinis circulatione ac turgeſcentia vitali, hincque viſcoſitates humorum in primis viis ac habitus venulis capillaribus ſolvente, & vel per alvum, vel per ſudorem, vel urinarias vias proſcribente.

Solvit hũmores viſcidos ac ſtagnantes.

Provo-

Provoco ad fructum, quem podagricis ex motu, equitationis inprimis, prolixe pollicetur *Sydenham:* quaſi *a continua hac corporis ſuccuſſione calor naturalis reaccendatur & organa ſecretioni deſtinata in munere depurandi ſanguinis rite fungendo promoveantur, unde neceſſe ſit, ut ſequatur digeſtionum deperditarum quaſi renovatio quædam, & e conſequenti totius corporis craſis optima.* Calculoſis quantum interdum motus vel equitationis, vel ſphæræ, ſimilesque luſus conferant, tortorem promovendo atque exturbando, ipſimet profitentur, frequentiore experientia hoc edocti: qua hi freti, ſi paroxyſmus ingruat, niſi forſan doloris ſævitia hoc impediat, ad ejuſmodi quandam exercitationem confugiunt, felici eventu.

Motus arthriticis minus confert. Ubi tamen circa motum podagricis, præſervationis æque ac curationis gratia, adeo commendatum, animadvertere jubeor, me ejus non ſemper promiſſum deprehendiſſe ſucceſſum, dum in paroxyſmo tam doloris acerbitas, quam ad motum omnem inhabilitas tanta frequentius eſt, quæ non facile a quovis exantlari valet: dum quidam adeo molles & delicatuli offenduntur, ut lectulos ſaltem ſuos approximantes formident & cum clamore ingenti exhorreſcant, multo minus horum contrectationes & ad currum deportationes, hujusque motum perpeti queant. Et quamvis *Sydenham.* nobis perſuadere præſumat, ſuperatis his moleſtiis ægros paulo poſt ab hoc motu minus dolere, ac dum in quiete priſtina manſerint, per delaſſationes ejuſmodi factas ſomnum provocari, jugi atque pertinaci exercitio artuum totali ad motum impotentiæ, quæ finito paroxyſmo haud paucis remanet, occurri, & ipſam morbi digeſtionem, in ſenibus potiſſimum, quibus malum in habitum tranſiit, difficilem, juvari: minus tamen univerſales ſeu perpetui ſunt hi effectus, quin a motu etiam leviore, in incremento vel ſtatu acceſſionis ſuſcepto aut perpeſſo, nova ſuperveniat, aut priſtina exacerbetur articuli inflammatio, cum hac dolor, qui noctem laborioſam magis pariat: ſub paroxyſmi tamen declinatione motum vectionis non improbo, ut ſcopis illis quatantenus ſatisfiat; ſicut nec exercitationem extra paroxyſmum & ſub Halcyoniis inſtituendam, quotidiana modo fuerit & continuetur; vel quod interrupta habituali huic malo diſcutiendo non ſit adæquata, vel interdum tantum tentata paroxyſmum in

deſue-

deſuetis arceſſere ſoleat. Quorum poſterius ambigendi occaſionem ſubminiſtrat, an, ſi paroxyſmum impendere, ex ſignis auguremur, motus corporis, v. g. ambulationis, equitationis, ſit ſuadendus? poſtquam mihi obſervare contigit, a motibus his intempeſtivis paroxyſmum ocyus accelerari: E. non, niſi adſuetis, talis facile concedendus.

Deinde quoad calculoſos, negari haud poteſt, iis motum aliquando prodeſſe, & cauſam paroxyſmi nephritici conjunctam nonnunquam expellere: aſt perinde, ac de diureticis ac lithontripticis internis vulgo etiam innoteſcit, horum uſum non undique felici gaudere ſucceſſu, ſic de exercitatione quoque idem metuendum, i. e. ne forſan, quemadmodum illa, plus noceat, quam proſit, ſi ſc. calculus valde anguloſus & hinc inde accuminatim protuberans fuerit, minus oportunum habeat ſitum, aut violentiore corporis agitati impetu in alium ac difficiliorem locum convertatur. Quarum circumſtantiarum quoque ratione nephritici extra paroxyſmum aliquando a leviore quovis motu male ſe habent, hincque ſtatim dolores ardoresque renum graviſſimos, urinas cruentas, cum ſabulo intermixtas, experiuntur: etſi ſtupendas interdum ſub ferociore doloris nephritici impetu in quibusdam cernamus corporis agitationes, concuſſiones, volutationes &c. vomitationes violentas & crebriores, rarius forſan male cedentes. Adeo ut, cum motuum ejusmodi ſucceſſus a caſu pendeant & mere fortuiti ſint: non omnibus æque indifferenter, ſed adſuetis tantum, nec gradus ſtatim vehementiores, ſed leniores, v. g. ambulatio, portatio in lectica, quadrant.

Nec calculoſis ſemper.

Sicut autem ex adductis liquet, nec omnibus, nec ſemper, nec quemvis, motum proficuum eſſe, ita his alias adhuc adjicere liceret occaſiones morboſas, motus omnimode diſſuadentes, aut non, niſi blandiſſimos, admittentes, e. g. in hæmoptoicis, hernioſis, procidentia uteri obnoxiis: ut mittam, quorundam viſcera teneriora per exagitationes ejuſmodi præter modum concuti, membranulas & vaſcula rumpi, hinc ſanguinem ac lympham extra canales ſuos ad cavitates corporis vel interſtitia integumentorum profundi, hydropem congeri, & hernias aliquando a ſternutatione, tuſſicula &c. formari:

Motum diſſuadentia.

quo etiam ſpectat motus puerperarum brevi ab enixu ſuſceptus, uteri procidentiæ frequens autor. Vitam ſedentariam & otium nimium alvi excretionem retardare, motum contra hanc juvare, quotidianæ eſt obſervationis: hinc paradoxis accenſendum, quod *Peclinus 3. obſ.35.* de fœcum ſuppreſſione ex equitatione refert, qualis vehemens ſatis quamvis Anglis in colica expugnanda remedium familiare deprehendatur, eadem tamen ſuccuſſio inſuetis perquam periculoſa futura ſit, quod ſeſſionis angulo, quem equitantes forment, flatus in inteſtinis cumulentur & obſtructio eorum ingraveſcat; imo addit allegatus Scriptor, fœcum ſuppreſſionem eſſe malum frequens, & pleroſque has ad aliquot dies retinere. In laſſitudine excutienda non quies ſemper, ſed exercitatio quoque aliquando, congruum videtur remedium. In illa, quæ ex labore, equidem audiendus erit *Hippocrates 2. aph. 48. In omni corporis motu, ſimul, ac quis fatigari cœperit, quies ſtatim laſſitudinem levat*, inprimis ſi ſomnus huic combinetur: ut, ſi forſan humores per præcedaneum motum ad muſculos uberius adacti, ſimul diſcutiantur & ſpiritus reficiantur. Verum in laſſitudine ſpontanea, ſeu quæ laboribus haud contracta, ſed a languidiore fluidorum univerſalium circuitu fit, & humorum decubitus communiter audit, motu opus eſt, v. g. equitationis: ut circulatio redintegretur, & impacti humores fibrarum muſculoſarum jugi conſtrictione ad venas dirigantur. Cujus intuitu nec ex labore delaſſatis motus ejuſmodi levior adeo incongruus videtur, ut, ſi forſan aliquid fluidorum, primo impetuoſius commotorum, a ſubitanea exercitii remiſſione in fibrarum interſtitiis hæreat, diſcutiatur.

In laſſitudine aliquando confert motus.

Quietis neceſſitas.

Quietem requirunt membra vulnerata, fracta & luxata, quo ſc. eorum coaleſcentia minus impediatur, & ligamenta p. n. laxata ad priſtinum tonum ſe commodius recipiant: de quorum collocandi ratione, ſive per repoſitionem, ſive ſuſpenſionem, fiat, Chirurgi videantur. Quin tamen membra motibus præſtandis deſtinata, poſt aliquot dierum quietem, v. g. luxata poſt octiduum, fracta poſt quatuordecim dies, ſeu ubi oſſa occalleſcere & vulnera coaleſcere incipiunt, quotidie ſemel vel bis, flecti, extendi & leviter agitari poſſint, nihil impedit, imo jubet hos motus coactos neceſſitas, ne iis poſtha-

poſthabitis intra articulos generetur ancyloſis, muſculi & ligamenta rigeſcant, hinc organum curtetur & motus ejus turbetur.

Species motus diverſæ & tantum non infinitæ ſunt, plures ſanis, pauciores ægrotis, congruæ, gradibus etiam diſpares: videlicet ambulatio, curſus, ſaltatio, equitatio, vectio in curru, portatio in lectica, luſus ſphæræ, pilæ, jaculatorius, paleſtricus, digladiatorius &c. quarum nonnullæ antiquis in uſu, penes nos in deſuetudinem abierunt: quemadmodum vel ex ſola *Hier. Mercurialis arte gymnaſt.* legere licet, & in ſpecie iſte pilæ parvæ luſus, quem *Galenus* in *peculiari libello* præ cœteris exercitationibus commendat, a noſtra Sphæromachia multum diſcrepare videtur, dum in illo complexus palæſtrici collique prehenſiones aliæque luctatoriæ aggreſſiones concurrebant, quæ in noſtro pilæ luſu locum minus habent. Accedunt his labores domeſtici diverſi pariter generis & plus minus opificiarii ſeu artificioſi, quales itidem ſanis pariter ac valetudinariis proficui deprehenduntur, v. g. ſerrationis, fiſſionis lignorum, foſſionis, remigatorius &c. inter quos illis, quorum membra non æque firma, tornationis commendandus: ſine notabili violentia corporis membra varia & tantum non omnes horum muſculos æquabiliter & ad æquilibrium magis exagitans, ſedentariam alias vitam exercentibus ſalubris & horum viribus par, i. e. corpus non præter modum delaſſans, cuncta tamen hujus membra, ſi non ſimul, certe alternatim, commovens.

Motuum ſpecies & gradus.

Præterea horum exercitiorum alia totum magis corpus concutiunt, v.g. curſus, ſaltatio, digladiatio &c. quales, ſi moderatiores, ad ſanitatem quam maxime faciunt: alia partes tantum nonnullas exagitant, v.g. variæ manuum geſticulationes & labores, commotiones articulorum poſt luxationes repoſitas, digladiationes brachiis inprimis, cantus pectori & faucibus miniſtrantes. Porro in motibus adornandis graduum habenda eſt ratio, ut vel majoribus & vehementioribus eorum leviores præmittantur, vel omnimode anteponantur. A levioribus motibus inchoamus, ubi poſt fracturas, vulnera &c. membrum primo quatantenus, ac demum potentius, extenditur ac flectitur. In genere & plerumque leviores ſunt motus particulares univerſalibus, ad quorum poſteriores Statio quoque referenda, utut in hac

Motuum alii univerſales, alii particulares.

Statio quoque ſub quietis

ſpecie de- laſſat. hac nec corpus, neque ullum ejus membrum, loco moveatur. Quippe ſub quacunque figura corpus haud decumbens, adeoque ſive ſtando, ſive ſedendo, detineatur, nunquam ſine labore & muſculorum contractione eſt, adeoque hos ſemper fatigat: ſive tono perpendiculari & ſub æquilibri tenſione muſculorum trunci extendentium, ſimul agentium, in ſtatione; ſive flexione ad angulum & a perpendiculo declinatione per flexores potiſſimum, in ſeſſione. Qualis utraque corporis directio, ſi paulo diutius in eadem perſeveremus, non ſine difficultate fit & corpus ſenſibiliter defatigat, ita quidem ut moleſtias ejus motu ambulationis ſimilive aliquatenus demulcere utplurimum allaboremus: utut forſan valetudini non adeo conferant, potiſſimum dum fluidorum univerſalium adſcenſum turbant, & niſi aliquid ambulationis ſuperveniat, demum multum noxæ minantur.

tio ſalubrior eſt motus. In itione quippe quia plerique in habitu muſculi ſua officia alternant, & tota quaſi machina exagitatur, plus in hanc & fluida ejus fructus ſuperius indigitati redundat: hinc ſalubrior eſt in univerſum equitatione ac vectura, quarum alterutram nihilominus eligere jubemur, ſi crura debiliora, vel morbo obſeſſa, ambulationem ſimilemve motum renuunt. *Hinc equitatio ac vectio.* Habent tamen etiam hæ ſuos gradus, perinde ac ambulatio a curſitatione & ſaltu atque ſaltatione diſcrepat: ut vel blandior ſeu tranquillior ſit vectura, vel durior ac velocior; ſicut equitationum alia gradaria, alia veredaria, alia quadrupedans aut ſuccuſſoria, obſervatur; leviores ſemper anteponendo in imbecillioribus ac tenerioribus ſubjectis, & quos conſuetudo ac uſus vehementiores haud docuerit, ubi vel, cui olim quis adſueverit, vel huic affinem, motum ſuadere convenit. Neque a motibus corporis excludenda eſt portatio, lecticularia præprimis, quæ quidem a quiete ſeu ſeſſione parum differt: quia tamen non ſine omni corporis ſuccuſſione fit, debilioribus motum non levem præſtat. Circa motum in genere adhuc notetur, quod *Galenus* l. a. inculcat: nimirum *omnium optima ſunt exercitia, quæ non modo totum corpus exercere, verum etiam animum oblectare poſſunt.*

Quieſcere proprie non, niſi decumbendo, dicimur, & nulla figura magis, quam jacendi, quietem exprimit, quæ tamen pro variis occaſio-

occaſionibus variat: quamvis commodior & naturalis magis videatur, ſi capite nonnihil elatiore truncus horizonti parallelum obſervet ſitum, artubus modice & ad mediam figuram contractis, cruribus ſi non profundius declinantibus, certe non elevatis, toto vero in alterutrum latus inclinante. Hinc primo valetudini non raro derogat decubitus ſupinus, capite inprimis decliviore, gravem & in ſomniis valde moleſtam dum reddit noctem: qui poſtero mane cerebri vitiis alias obnoxios conqueri facit de capitis gravitate, & ſenſuum torpore, tandem in affectus ſpaſmodicos, epilepſiam, apoplexiam & paralyſin degenerantibus. Sine dubio, quod ſub ejuſmodi ſitu ſanguis promptius ad caput feratur, difficilius, propter ſinus duræ matris laterales in decliviori ſitos, & a parte inferiore occipitis utrinque latos, antequam in venas jugulares ac cervicales ſe exonerent, remeet, i. e. ab his potius aſcendere, quam defluere, neceſſe habeat. Nec adeo improbabile eſt, quod *Fr. Bayle probl. phyſico-med. 23.* auguratur, majore ſimul copia & impetu ſub ejuſmodi corporis decubitu ſanguinem ἐγκέφαλον petere, quo magis aortæ truncus deſcendens a viſceribus abdominis ipſi incumbentibus prematur atque anguſtetur, ac proin appulſus ſanguinis ad inferiora aliquantulum intercipiatur. Imo poſitus hic ſupinus cordis pariter oppreſſionem & incubum in dormientibus concitat, a quali facile liberantur, qui in alterutrum latus ſe convertunt, vel ſe erigunt: non quidem, quaſi, ut communis fert ſententia, ventriculus vel ab aſſumptorum copia, vel cruditatibus ac flatibus turgeſcens ſub ejuſmodi trunci ſupina reclinatione diaphragma ſurſum magis impellat & motum thoracis inſpiratorium conturbet; ſed potius, quod organorum vitalium motus interpelletur, hinc ſanguis intra horum vaſa ſtagnans ponderis ſenſu pectus opprimat, organis vero reſpiratoriis in motu impeditis moleſtia illa intendatur. Qualis præcordiorum motus fruſtratio a cerebro ſeu cerebello dependet, quatenus ſub ejuſmodi incongruo corporis decubitu ſanguis cum ſero in eodem plenius congeſta ſpirituum influxum per nervos cardiacos & pnevmonicos turbant: unde poſtmodum, appulſu ſanguinis novo ad cerebrum intercepto, ſpiritus in toto genere nervoſo plus minus deficiunt & incubo affecti, dum pectoris ſui molem phantaſticam excutere ſatagunt, nec cœtera membra libere movere valent.

Decubitus plus minus ſalubris.

Nocet, qui capite decliviore fit.

 Eadem

Erecta cervice detineantur apoplectici,

Eadem de cauſa nec convenit, apoplecticos mox ſub primo inſultu in lectum conjicere & ſtragulis opprimere; ut a noſtratibus plerumque fieri ſolet: quibus conſultius videbatur, ſi vires concedant, aliquandiu vel plane extra lectum in ſella detineri, vel in eo ita collocari, ut corpore omnimode fere erecto ſedeant; pro liberiore æque eorum reſpiratione conſervanda, ac torpore ſeu ſomnolentia interpellanda, & fluidorum a capite remeatu facilitando. Quale quid in aſthmaticis & ſuffocationem metuentibus pariter advertendum, quo nimirum ſanguinis motus juvetur, reſpiratorii etiam muſculi a ſupino decubitu minus tenſi commodius moveantur: ſicut in iis quoque, qui hæmorrhagiam narium aut ex infelicius avulſo dente &c. patiuntur; dum his reſupinatis cruoris defluxus ad fauces & trachæam ſtrangulationem minatur. Nec decubitum ſupinum facile ferunt inflammatione aut quavis imbecillitate renum laborantes, contradicente quamvis *Thom. Cranen.* ſive *Joh. Broënio in prax. H. Regii l. 3. c. 36. ſcholio:* diſſuadentibus eundem plerisque practicis, v. g. *Hildano 6. obſ. 37.* qui ſitum hunc diabeticorum, ſalaciorum & pollutione nocturna vexatorum organa male diſpoſita plus juſto afficere, ſcribit. Brachia & crura ſi inter dormiendum aut vigilandum durius ſternantur, vel ita locentur, ut ab alterius cujusdam membri v. g. capitis, incumbentis mole comprimantur, aut alium incongruum obſervent ſitum, v. g. extra lectum perpendiculariter propendeant, ſtupore & motus impotentia corripiuntur, quod ſomnum artuum ſuperius dixi: quatenus hac ratione ſpirituum ad illa influxus, per nervos compreſſos, intercipitur; ita ut per ſitus mutationem hac arctatione compreſſiva ſoluta, liberius denuo adeat membra idem fluidum animale ac torporem illum brevi discutiat.

& aſthmatici.

Decubitus ſupinus quibusdam nocet.

Etiam conſuetudo aliæque occaſiones decubitum variant.

In his tamen pariter conſuetudini aliisque occaſionibus nonnihil erit condeſcendum, quemadmodum in latere etiam, cui incumbendum, determinando: ut per illam quosdam omnimode ſupinos, decliviore etiam capite, alios in latere dextro, alios in ſiniſtro, commode & ſine evidente damno quieſcere, obſervemus. Cœterarum vero occaſionum, negotium hoc moderantium, variæ ſunt, inprimis morbificæ, dum v. g. dolores partium externarum & viſcerum obſtru-

obſtructiones ſimilesve affectus præternaturales organici modo hoc, modo illud, latus, pronum aut ſupinum decubitum, expoſtulant: quo nimirum dolores aliasque anguſtias evitemus, liberius reſpiremus &c. Neque tamen hic aliquid certi lege perpetua definiri valet, dum quosdam in latus affectum decumbentes male, alios bene, ſe habere, conſtat, & v. g. epatis aut pulmonis dextri induratione laborantes equidem aliquando reclinationem in hoc latus ægre ferunt, aliquando nihilominus ad oppoſitum converſi ſtrangulatione aliisque angoribus magis urgentur, morboſa & oneroſa parte incolumem ad anguſtias moleſtiſſimas comprimente. Idem experiuntur, quorum pectoris latus alterutrum cruore, pure aut ſero ſcatet, aut pulmones pleuræ annati ſunt; qui commodius & facilius reſpirant in latere morboſo, quam ſi in oppoſitum ſe devolvant: fluidis illis extravaſatis comprimentibus pulmonem ſanum, ac tenſis magis ligamentis membraneis, thoracis ambitum ac pulmones intercedentibus. Interdum ratio habenda vulnerum, vel potius cruoris & ſaniei, quæ ſui per horum orificium eductionem exigunt: ut nimirum in locum dicti orificii ſe convertat vulneratus, empyicus apertus &c. Dentium dolore exagitati utut, dum in latere morboſo jacent, a compreſſione loci affecti aliquali tantillum levaminis ad tempus percipiant: longius tamen huic incumbentes paregoricum hoc brevius graviore & diuturniore cruciatu luunt; circulatione ſanguinis ſine dubio per partem conturbata ſeu impedita.

Demum ſicut ad quietem evidenter diſponit tranquillitas & objectorum conturbantium abſentia, ſic turba confluentium horumque ſtrepitus illi maxime derogat: de quo tamen errore quia ſuperius, ubi de aëre moderando mihi ſermo erat, dictum, ad ea Lectorem remitto.

Excreta & Retenta ſeu excernenda potius ac retinenda, a Medici moderamine ita dependent, ut mora illorum protinus ſolvatur, hæc intra vaſa & receptacula naturalia coaſſerventur: niſi forſan ſemen excipias, quod medio modo ſe habet, i. e. ad retinenda æque, ac excernenda, referri poteſt, adeo ut ex ejus tempeſtiva excretione non minus ac retentione, bene, ex utraque intempeſtiva male, ſe habeat corpus. Porro quamvis cruorem non ſine ratione retinendis accen- *Excretorum & retentorum moderamen.*

ſeant

Non omnis cruor retinendis accenſendus. ſeant omnes, tanquam fluidum vitale univerſale, & a quo cœterarum partium, tum ſolidarum, tum fluidarum, eſt conſervatio ac reparatio; adeoque ejus evacuationum pleræque præternaturales dicendæ veniant; qui nihilominus in fœminis menſtruatim, vel in quibusdam, hypochondriacis præprimis, aliquando per vaſa ſedalia, ſive periodice, ſive vago tempore, rejicitur, excernendis recte annumeratur, & utriusque hujus ſuppreſſio ſeu difficultas medici opem poſtulat. Pariter Lochiorum nomine a puerperis qui promanat, cruor mere recrementitius eſt, & de excernendorum genere; proin nunquam, niſi ſub gravioribus, & interdum lethalibus ſymptomatis, hæret: cui etiam ſecundinæ fœtus jungendæ. Imo aliæ inſuper ſanguinis profuſiones extraordinariæ tales deprehenduntur, ut earum materia excernendis potiore jure, quam retinendis adſcribatur: v. g. hæmorrhagiæ narium in plethoricis aut ſuppreſſione menſium, ſive ab imprægnatione, ſive alia præternaturali magis cauſa, laborantibus; item hæmoptoſis & vomitus cruentus in iisdem, quorum exempla paſſim obvia ſunt, v. g. penes *Dodonæum obſ. c. 26. ſchol. Schenck. obſ. l. 3. p. 328. Rulandum cent. 3. cur. p. 200. Salmuth. 2. obſ. 54. & Hœchſtett. dec. 2. caſ. 6.* & ego ſputum cruentum in fœmina quadam, quoties ad quintum menſem gravida, ſingulis alias catameniorum imminentiis, & ultima vice usque ad partus ultimum terminum, obſervavi.

Menſtruorum non eadem penes omnes quantitas. Cuncta tamen hæc idioſyncraſia, regio, tempus anni, vitæ genus ſimiliaque maxime variant, ut v. g. ruſticæ fœminæ, ſine dubio propter laborum duritiem atque frequentiam, parum tantum menſtrui fundant, Grœnlandiæ incolas fluxus hujus omnimode ignaras perhibeant regionum harum viſitatores, teſtentur in aliis quoq; *Hildanus 5. obſ. 41. Sennertus pr. l. 4. part. ſ. 2. c. 1. quæſt. 1. Panorolus 1. obſ. 15.* & *Timæus 4. caſ. 7.* & quidem ſine conceptionis fruſtratione: qualis ego quoque in fœmina aliquot liberorum matre recordor. In aliis tributum hoc lunare anticipare, ut nonnullis puellis mox circa duodecimum annum, imo aliis nono, octavo & ſexto & quarto anno, prodeat, quædam ſingulis menſibus bis aut ter idem ſolvant, ex *Fernel. pathol. 6. cap. 26. Timæo 4. obſ. 13. Tulpio 3. obſ. 36.* ac *Kerckringio ſpicil. anatom. obſ. 12. & 87.* conſtat, ac ab ipſo nativitatis die hoc

compa-

comparuiſſe, idem *Kerckring. obſ. 87.* & *Bourgois de Obſtetric. l. 2. c. 5.* annotarunt: Sicut tertio & quarto a nativitate die in puellis duabus ſimile quid teſtari poſſum, in quarum una poſtmodum tamen ne veſtigium quoddam hujus cruentationis comparuit, donec anno ætatis tertio ex febre acutiſſima moreretur, & paucas ante obitum horas aliquid ſanguinis per pudenda ac gingivas eidem prorumperet; altera vero ſtatis poſtmodum periodis ad hunc usque diem tributum hoc naturæ ſolvit, mater aliquoties facta. Nec exempla talium deficiunt, in quibus ultra terminum ſolennem motus ille menſtruus extenditur, ad ſeptuageſimum & octuageſimum quoque annum, recenſita ab *Hildano cent. 2. obſ. 61. & cent. 4. obſ. 63. Bourgoiſe l. 2. cap. 6. Bartholino cent. 6. hiſt. 34.* & *Timæo l. 4. c. 14.*

Quibusdam individuis, fœmineis inprimis, rara admodum contingit alvus, ut eam intra quinque vel octo dies demum deponant; quod, quemadmodum aliquando a diæta perverſa, vita ſedentaria ac prava etiam conſuetudine habent, qua excretionis hujus ſtimulos ac tempora negligunt, ita per eandem contrariam conſuetudinem tarditatem hanc deponendi corrigunt & aſſumptis egeſta reſpondere faciunt. Nihil quippe alvum contumacem magis vellicat ac tandem movet, quam ſi quis quotidie ſtatis horis, ſemel vel bis de die, ſellam quærat & conatum deſidendi præſtet: ſic enim illam invitam quoque phantaſia hac ſeu egerendi deſiderio ad laudabiliorem & valetudini magis proficuum habitum diſponet quilibet facile, niſi ſingularis a ſtatu naturali receſſus ſubfuerit.

Alvus quibusdam contumacior.

Pro conſuetudinis diverſitate.

Aſſumpta eſculenta ac potulenta inter retinenda ſine dubio ab omnibus recenſentur, nec tamen deficiunt exempla illorum, qui, quoties pranſi fuerint, aut cœnarint, per individualem ventriculi atoniam aliquam ingeſtorum crudorum partem vomitu mox denuo rejiciunt, & quidem non cum damno, ſed cum emolumento, corporis: ita ut, ſi moles illorum forſan integra a ventriculo retineatur, protinus tenacitatem hanc ipſemet angoribus, doloribus, hypochondriorum tenſionibus, flatuum impetu aliisque moleſtiis luat. Meminit ejuſmodi vomitus perpetui, ſalutaris tamen, *Pechlinus l. 2. obſ. 48.* & ego novi Prætorem exercitus Illuſtrem, qui flagrante ſatis appetitu alimenta aſſumit, vix tamen paſtu finito eorum aliquam (circiter dimidiam)

Etiam alimentorum quædam pars cum euphoria rejicitur.

diam) portionem revomit, remanentia interim commode digerit, de reliquo ſatis ſanus per aliquot jamdum annos degit: in quo eique ſimili pars aliqua ingeſtorum utique inter excernenda numerari debet.

Et per conſequens has ſimileſque circa excreta ac retenta ataxias corrigere, haud ſemper e re erit, ne motus naturæ recte, quamvis extraordinarie, agentis turbentur; neque his oppido ſuppetunt remedia adæquata: imo, quod potiſſimum, non rerum non naturalium nomen retinent, ſed præternaturales evadunt, ſive ut actiones læſæ, ſive vitia in excretis; quibus non, niſi therapeia & hujus inſtrumentis, mederi datur. Hoc in loco, medicus de rebus ejuſmodi agit, quantum & qua ratione valetudini proſint ac noceant, non vero, quomodo earum vitia emendari debeant atque poſſint.

Affectus animi perperam accenſentur rebus neceſſariis.

Affectus animi demum quo fundamento communiter rebus valetudinem immutantibus neceſſariis accenſeantur, vix comparet, dum, ſi eorum occaſiones & objecta concitantia ſpectamus, cum his, mere fortuitis, fortuito & ex improviſo nos invadunt atque afficiunt: hinc prudentia quemadmodum illa modo averti, modo non averti, poſſunt, ſic hos quoq; per eandem aliquando temperare & compeſcere, aliquando ſecus, licet. Quamvis nec raro obtingat, paſſionem ejuſmodi violentiorem ſpiritus, utut mediocriter firmos, eousque proſternere & conturbare, ut poſtea occaſionum, animum commoventium, nihil fortiter ſufferre, nec cuivis injuriæ reſiſtere valeant.

Pathemata animi quomodo corpus alterent?

Sc. pathemata hæc dum modo ſub voluptuoſæ, modo doloroſæ, impreſſionis ac perceptionis ſpecie ſpirituum ſyſtema conturbant, exagitant, proſternunt, ſub priore ſtatu, hi modo plus juſto expanſi & in impetus vehementiores concitati, ſemper tamen ſimul conturbati, pleniore influxu partes cunctas actuant, hinc ſanguinem quoque ad totum plenius diffundunt; modo ſpirituum poſterioris generis affectus irradiationes retrahunt, ut functionum pleræque fatiſcant ac perverſe exerceantur, adeo ut præcordia quoque ſpirituum animalium influxu deſtituta ſanguinem minus velociter propellant, & cum anxietate notabili intra ſe ſtagnare faciant. Quo duplici ſchemate ſpirituum ſuppoſito fieri haud poteſt, quin vel hi ipſi in motus extraordinarios adacti, vel partes fluidæ ac ſolidæ, in varias ataxias & anoma-

anomalias rapiantur, corpus ejusque functiones modo conturbantes, modo ad frugem meliorem reducentes. Sub hac nihilominus disparitate, ut paſſiones hæ animi non omnia æque individua mox afficiant, utpote quorum nonnulla ſpirituum ſyſtemate generoſiore ac firmiore gaudent, fluidis turgent texturæ ſtrictioris, & habitum gerunt compactiorem ac robuſtiorem. Ita ut quosdam homines vel ab objectis voluptuoſis & dolorificis minus commoveri, atque ferrei pectoris obſervemus: vel ſi primis forſan illorum inſultibus ſine ſpirituum aliquali conturbatione ſuſtinendis non ſint pares, fluidæ tamen ac ſolidæ partes nihil alterationis evidentis hinc patiantur, ſed ſub priſtina valetudine & vigore immutabiles permaneant toti. Metuunt nonnulli vehementer ſatis ſibi a malis imminentibus, læduntur tamen hinc non adeo enormiter, prout de juvene turpiter meticuloſo *Pechlinus 3. obſ. 17.* refert, cui inuſitatæ modo formæ conſpectus & alloquia hominum improviſa tantum repente timorem incuſſerint, ut cum cordis palpitationibus, vultus rubore, cum pallore alternante, & ſpirituum quaſi ecſtaſi conflictaretur, imo ad triſtium futurorum cogitationem ventris borborygmis infeſtaretur, qui ſi in alvum deſinuerint, ceſſarit paroxyſmus, minus, ſin intus manſerint incluſi, periculoſioribus ſymptomatis janua ſimul aperta. Ab eodem metu fluori alvi quosdam exponi, idem *Pechlinus obſ. 18.* aliquot exemplis comprobat. Fœminam novi, quæ ſi ſuos gravius decumbere videt, hincque mala ſibi ominatur, mox tremore, lipothymiis & ſymptomatis convulſivis corripitur, cephalæa immani alias laborans. Nec deſunt homines adeo molles, & formiduloſi, qui ad relationes tantum de operationibus chirurgicis generoſioribus, aut ſupplicii ultimi truculentiore paulo genere, mox inſigniter & ad animi deliquium usque expaveſcunt: ſubitaneam quoque triſtitiam mortem aliquando excepiſſe, *Bartholinus 2. epiſt. 85.* perhibet. Contra alii recollectis ſpiritibus timorem protinus denuo excutiunt, & animus rediens rem, quam formidabant, levioris momenti ac minoris periculi eſſe, eis perſuadet.

Non perinde agunt in omnibus individuis.

V. g. metus.

Nec infrequens eſt, eadem animi pathemata, utplurimum nociva, quorundam morbis remedio exiſtere, hoſce fugare, dum iram v. g. paralytico motum *Valeriola 2. obſ. 4.* muto loquelam reſtituiſſe,

Animi pathemata aliquando morbos ſolvunt.

Bartholinus Actor. Hafn. vol. 1. c. 81. & podagricum ſanaſſe, *Pechlinus 3. obſ. 26.* referunt: qualis affectus quemadmodum pituitoſis in genere minus nocet, ſic aliquoties obſervatum fuit, qui per largiorem Venæſectionem aliasque cruoris profuſiones plus juſto refrigerati fuerunt, ira calorem naturalem recepiſſe. Gaudii effectus auſpicatos minusque auſpicatos hinc inde legimus, & poſterioris hiſtoriæ penes *Aulum Gellium noct. Attic. 3. cap. 15.* utriusque penes *Pechlinum l. a. obſ. 27.* leguntur. Terrore ſeu formidine ſetacei candentis mutum loquelam recuperaſſe, & hæmorrhoidum fluxum nimium eodem affectu, ab affuſa frigida concitato, ſuppreſſum fuiſſe, *Blankart. Collect. med. phyſ. cent. 3. obſ. 47. & 4. obſ. 79.* narrat. Ac, ut mittam illorum exempla, quos a febribus, quartana inprimis, & arthritide eundem liberaſſe novimus, nonne Hydrophobiæ medela per ſubitam & minus prævisam demerſionem in aquam, ſi modo alicujus fructus, per modum terroris fit? Civis ac Mercatoris hujus urbis ipſemet memini, qui per triduum ex podagra graviter decumbens, per terrorem, ab incendio vicino exortum, repente eousque levabatur, ut cum eum, quem ex terrore pejus ſe habere ſuſpicabar, viſitarem, non in lecto, ſed in altiore ædium contignatione ſeu faſtigio, ut has contra ignis imminentis furorem tueretur, inveni, omnis doloris expertem & cruribus ſatis agilem. Aſt paradoxum magis videri poterat, metum, qui melancholiæ alias frequens occaſio atque nutricula, huic & furori præſidium ſatis generoſum ſubminiſtrare, quem nimirum, flagellarum ſcuticarum ſimiliumque truculentior apparatus ac applicatio incutit, & a quo aliquando lymphaticos ejuſmodi manſueſcere ac ad ſanam mentem redire innoteſcit.

Quæ cauſa hujus diverſitatis.

Ut per conſequens non adeo abſonum videatur, animi pathemata in figendis non minus ſeu deſtruendis ac excitandis atque actuandis, morborum fermentis, hinc in emendandis quoque aliquando corporis vitiis, operam inſignem præſtare: dum nonnullorum, ut dixi, ea eſt conditio, ut ab iis magis, quam ab ulla alia re, commoveantur, actis in tendentiarum ſuarum conturbationes non modo ſpiritibus, ſed in orgaſmum quoque extraordinarium ſanguine, aut utrisque in languorem extraordinarium præcipitatis. Qui diverſus unius ejusdemque paſſionis in diverſis ſubjectis effectus a diverſa

ſpirituum atque humorum præprimis dependet craſi, nedum dyſcraſia: quarum alia talis eſt, quam illa corrigere, alia, quam hæc pejorem reddere, poteſt. Ita v. g. ira ominoſa & tantum non exitioſa eſt ſanguineis & bilioſis, quos in apoplexiam, icterum & eryſipelas conjicit frequentius; contra fluidorum pituitoſorum & melancholicorum cruditates ac fixitatem corrigit & motus lentos intendit, ſpirituum quoque veternum excutit; ut non mirum, paralyticos & arthriticos, utrosque ſanguinis compactioris, hinc reſtitui. In gaudio dum objecti grati contemplatione ſpiritus demulcentur, ſeu ad æquabilem magis motum revocantur, ſanguinis quoque motus integer conſervatur, aut blandius ſaltem augetur; affectus hic equidem inter cœteros medium tenet, & naturæ œconomiæ ſeu integritati magis favet, morbis etiam aliquando, contrarii genii viſis, medetur: niſi forſan immoderatior evaſerit, ejusque nimietas ſpiritus latiore & præcipiti expanſione valde disjiciat, aut hi objecti deſiderati attentiori conſiderationi nimis inhæreſcentes, hinc in ſtuporem ſeu ecſtaſin rapti, corpus ſuum ad excidium usque deſerant. Qualis tamen impotentiæ animi rara ſunt exempla, quin potius ſub curis ac ſollicitudinibus lætum nuncium, aut non ſine mœrore hactenus deſideratum objectum ipſummet nobis obvium factum, alacriores reddat ac elevet ſpiritus, corporis & animi harmoniam reſtituat atque firmet: niſi forſan gaudio ejuſmodi inopino aliquid terroris interdum complicari, & a nuncii velocioris, aut ex improviſo obviam facti objecti valde grati, impetu potius ſpiritus ad ultimum usque ſpiritum disjici, aſſeramus. Neque enim ingrata ſeu formiduloſa tantum, ſed grata quoque & deſiderata, terrent, modo improviſa & repentina, ipſa experientia teſtante: cum non objecti, ut talis, habitudo, ſed velocitas, quæ ingruentiam ejus comitatur, exhorreſcere faciat, & adeo ſubito nos percellat hic affectus, antequam, an objectum bonum malumve ſit, diſcernere liceat. Imo ſicut lachrymas non a mœrentibus & lugentibus tantum, ſed gaudio quoque nimio obrutis, profundi, cernimus: ita in his pariter, ac illis, animæ ſenſitivæ ſubſidentiam & ſpirituum infirmitatem concipere datur.

Iræ vis, *Gaudii,* *terroris.*

Pariter prout quosdam homines mox a leviſſima umbra territari, alios nec a graviore & cum ratione formidando objecto affici,

conſtat, texturæ videlicet ſpirituum atque ſanguinis tenerioris & delicatioris præ robuſtioribus & firmiorum præcordiorum ſubjectis, fœminas præ maribus, pueros præ adultioribus, citius & vehementius cohorreſcentes: Sic exagitatio & conturbatio, quam utrique horum hinc ſuſtinent, aliis eorum ſalutaris, pleriſque pernitioſa, evadit, in aliis nihil omnino alterationis pone ſe relinquit, ſecundum diverſam illorum habitudinem. Nec terror tam ſimplex pathema credendus, quin potius plerumque aut de metu, aut de ira, participet, vel in horum alterutrum ſolvatur ſeu declinet: proin ſecundum ſociorum quoque horum diſparitatem in ſanguinem diverſimode agit, hunc modo vehementius exagitando, modo ad quietem magis componendo, ſeu ejus motum inteſtinum plus minus ſedando. Ex qua diſpari corporis atque terroris habitudine ad ſe invicem hujusque in illud factis impreſſionibus modo ſuavioribus, modo triſtioribus apparet, ex caſibus fortuitis ſalutaribus, dum v. g. terror febrem aliquando discuſſit, podagram ſolvit, haud formari poſſe methodum curandi per terrorem hos vel illos morbos: quod ſingulorum individuorum temperamenta, fluidorum indolem ac proportionem & ſpirituum elaterem adeo accurate dignoſcere, terrorem hujusve gradum exacte moderari ac ſingulorum conſtitutioni ex æquo accomodare, nemini forſan datum; ſub ignorantia autem hac non felicem perinde, ſed calamitoſum quoque, medelæ hujus ſucceſſum nobis promittere poſſumus. Sanentur frigidæ perfuſione aliquot febricitantes, juxta *Stephanum Rod. Caſtrenſem*, ab incendii exhorreſcentia & ira Paralyticus & Contractus, penes *Valeriolam*, Hydrophobus immerſione in aquam, ſecundum *Celſum*, Podagricus per violentiorem a lecto extractionem & per ſcalam cum moleſta crurum alliſione, deportationem, perhibente *Lignario* penes *Hildanum epiſt. 47.* & ſonitu campanæ ad arma terrifico *1. epiſt. 48.* ſolvat Vertiginem contumacem narium hæmorrhagia, ex gravi de ſcala lapſu, narrante *Fr. Loſſio 1. obſ. 8.* Arthritidem inveteratam tortura diſcuſſam teſtetur *Hildanus 1. obſ. 79.* Fœminam quartanæ diutius expoſitam vulnus capitis ex tegula illapſa, & virum, eodem morbo ſatis diu vexatum, vehiculæ caſus hincque humeri luxatio liberet, perhibente *Pechlino 3. obſ. 24.* ideo tamen violentiora & fortuita hæc in claſſem juvantium ſeu inter artis inſtru-

Periculoſum eſt, morbis per terrorem mederi.

inſtrumenta minime reponi debent; ob incertam non tantum juvandi rationem, ſed periculum quoque minus evitabile. Perinde ac errores in diæta alios, ſi caſu forſan aliquid ſalubritatis in hujus vel illius corpus exeruerint, remediis dogmaticis haud accenſemus, eosque ſimili morbo decumbentibus commendamus, v. g. eſum uvarum immaturarum cum ſale contra Tertianam, quod hæc illi in fœmina quadam ceſſerit, annotante *Blankarto Collectan. 7. obſ. 70;* aut potus crebriores avidioresque hauſtus contra aſcitem, ubi abſtinentia ejus maxime opus, quod narrante *Schenckio obſ. p. 434. Dodonæo obſ. 117.* & *Pechlino 1. obſ. 63.* non ſine vitæ diſcrimine, per rupturam umbilici, diarrhæam & fluxum hæmorrhoidalem eum ſuſtulerint.

Quibus difficultatum momentis hæſitans vix aſſentiri poſſum *Williſio*, dum *Pharmac. rat. part. 2. ſ. 1. c. 6.* inter alia remedia contra tuſſim convulſivam puerorum terriculamenta, quibus puer in ſubitum timorem conjiciatur, deprædicat; quaſi nimirum ſpiritus hac ratione fugati inque novas diſtractiones adacti, inordinationes priores derelinquant, inſimul materia ſpaſmodica a perturbatione iſthac aut diſſipetur, aut in alios nervos, ubi parum moleſta eſt, adigatur. Advertendum ſiquidem, primo ipſum *Williſium* circa hoc præſidium ambiguum videri, quatenus quidē hoc cum muſco pyxidato, cœteris irritis, emolumentum certum præſtare promittit, paulo poſt tamen ab eo nonnunquam tantum ſymptomatis illius ſubitam curationem contingere, ſubnectit: quod poſterius ſicut mere fortuitum eſt, ſic terrori tantum ſalubritatis conciliare nequit. De cœtero dum terroris impetus ſanis minus vel rariſſime, prodeſt, vix apparet, quomodo morbo vehementiore labefactatos, ſine mali præſentis augmento ac alterius inductione petere queat: i. e. quin conturbati ſpiritus in ſymptomate ſpaſmodico ab exhorreſcentia ſuperveniente magis distrahantur, ſeu terror perverſis illorum motibus novas inordinationes addat, priorem non tam correctores, quam nutricias; inprimis cum, ut modo dictum, de ſubjectorum habitudine & ad hanc terroris proportione adæquatum & accuratum judicium ferre difficile ſit, in pueris potiſſimum, qui, propter cerebri ac nervoſi generis mollitiem hujus vel cujuscunque pathematis injurias non adeo facile tolerant, & ad epilepſiam proni maxime. Neque tandem impetum terroris

V. g. tuſſi convulſivæ.

roris

roris eousque moderari in noſtra poteſtate eſt, ut materiam peccantem, quam non diſſipat, ex nervo pnevmonico ad alium, ubi minus nocere poterat, rejiciat: cum nihil impediat, quo minus eodem facto ad nervum cardiacum, vel ipſum principium nervorum, ſub violentiore ejuſmodi remedio, cauſæ morbificæ metaſtaſis, cum majore vitæ diſcrimine, contingat?

Metus raro prodeſt.

Tandem & metus valetudini raro confert, hinc potius omni ſtudio vitandus ac arcendus erit, cum præſentes morbos per eum ingraveſcere, abſentes provocari, obſervemus. Videntur ſiquidem metu ſpiritus quaſi revocari, ſanguinem condenſari, ejusque turgeſcentiam infringi: unde miaſmata morbifica ab extra promptius admittuntur, fermenta etiam prava intrinſeca, quia a motu ſanguinis vitali deficiente minus ſubiguntur, criſtas erigunt & in actum prorumpunt. In ſpecie E. ab atmoſphæra labe quadam contaminata ſibi metuere periculoſum valde eſt, ſicque ideam ejus, animo conceptam, in corpus transferre, & a morbis epidemicis præ aliis affici, deprehendimus meticuloſos; quamvis eorum multos quoque metu potius, quam morbo laborare contingat, ubi ſc. robur naturæ interpellat, aliis interim, quibus natura minus propitia, in ipſum morbum metus ille tranſeat. Quoties v.g. non contingit, maculas tantum ſeu ſtigmata varioloſorum, omnis contagii expertia, viſa tantum, metum repente incutere, ut fermentum abditum & cujus nullum hactenus veſtigium, in variolas plus minus exitiales acturiet? Imo obſervavi, in nupera peſte Medicos, Chirurgosque juniores, quamvis ratione ætatis communiter ſibi magis fidentes, utpote calamitatibus ejuſmodi minus adhuc exercitatos & firmatos, virulentiæ illi præ ſenioribus & pectoris rigidioris frequentius ſuccubuiſſe. Et licet forſan ejuſmodi meticuloſorum valde non omnes peſte corriperentur, unius tamen alteriusve memini, qui paulo poſt morbis chronicis gravioribus exponebantur: quibus febres intermittentes diverſorum typorum ac continuas, utrasque gravioribus ſymptomatis ſtipatas annumero, quas poſt expirantem virulentiam peſtilentialem inſequens ver atque æſtas per noſtram civitatem & hujus familias maxime frequentes promebant, metus & terroris anni funeſti præcedanei ſine dubio fructus. Contra a meticuloſis quemadmodum animo,

Inprimis in morbis contagioſis.

Cur non omnes meticuloſi peſte corripiantur.

ſic

ſic corpore quoque, quam alieni ſunt homines audaces ac intrepidi, milites v. g. & qui curam ægrorum ejuſmodi ac defunctorum gerunt: morbos hi ſicuti non horrent, ita illis rarius corripiuntur. Neque omnibus hydrophobis immerſio in aquas, quam antiqui adeo deprædicabant, ſalutaris deprehenditur: quin illi potius ad viſum, ſtrepitum & motum aquæ vehementius expaveſcant, hinc rabies in iis exaſperetur; ita ut inter remedia tantum fortuita, non privata & ſpecifica, juxta *Liſterum*, hoc ponendum ſit, ex illis nimirum, quæ vulgus per experimenta probata putat, longe aliena tamen ab arte & fruſtra omnino excogitata eſſe, dies doceat. Quale quid circa inſanientes ac fatuos pariter obſervandum, quorum nonnullos equidem famis, vinculorum, flagrorum ſimiliumque tormentorum duritie ad ſaniorem mentem reduci creduntur, plerique tamen per inhumana ejuſmodi præſidia ad ferociorem inſaniam evehuntur, alii in ſtuporem tandem belluinum conjiciuntur. Poterat quidem per horrenda hæc, annotante *Celſo*, mentis fieri mutatio, & ab eo ſtatu, in quo hactenus fuit, abduci: aſt contrarium etiam ex metu & terrore immenſo contingere, crebra evincit experientia, loquuntur Molitoris Aſini.

Immerſio in aquas non omnibus hydrophobis confert.

Non omnibus amentibus durities flagrorum &c. quadrat.

Sicut autem terrorem ac metum pro rei exigentia nec ægro, nec medico, moderare conceditur, ita qua ratione cœteri animi affectus concitari, dirigi, declinari ac corrigi valeant, haud ſemper apparet: quantum proſternant, quantumque aliquando erigant, cernimus, proin, quantum ab iis cavendum, intelligimus, ſed ne noceant, præcavere vix licet, multo minus, qua ratione ſpiritus cum præcordiis contra illorum impetus firmandi, conſtat, quod ſolius eſt Ethici & prudentiæ moralis. Aut ſi forſan factos eorum inſultus ars retundere conetur, iracundis v. g. propinando acidula, mœſtis & terrore perculſis reſolventia, utrisque ſanguinem mittendo ac ventilando: hæc tamen non motum animi, ſed alterationem in corpore hinc factam demum, emendare videntur. In ſpecie vero peſſime ſibi conſulere videntur, qui ut mœrori ac curis ſuis obicem ponant, vino & temulentiæ tantos, quantos, ſe conſecrant, & conſuetudine tandem hac prava eousque pertingunt, ut, niſi bene poti, nullam noctem tranquillam tranſigant, erroneo tamen hoc ærumnarum remedio, demum morbos & mortem præcocem ſibi comparant; ſpi-

Affectus nec ægro, nec medico ſemper moderare licet.

Temulentia mœrentibus minus conducit.

 ritibus

ritibus ſucceſſive ſuppreſſis & cum ſanguine vappidis redditis. Nec mentis hæc tranquillitas conſtans, ſed temporaria & paucarum tantum horarum, eſt, dum vino diſcuſſo actorum reminiſcentia novas turbas parit, quibus effœti magis ſpiritus reſiſtere nequeunt. Animus adverſitatum fluctibus agitatus ad tranquillitatis portam non, niſi rationis uſu & patientia devehitur, quæ non præcepta medica, ſed morum doctrina & cujusvis prudentia ſubminiſtrat.

CAPUT XXI.
De
Adminiſtratione Pharmaciæ.

Non ſufficit ad medelam morborum diæta.

EQuidem, ſi Antiquitatem conſulamus, *Scribonius Largus de compoſ. medic.* innuit, Aſclepiadem ſolis remediis ex diætetica medendi ratione petitis fidem habuiſſe, & pharmacevtica adſpernatum fuiſſe; ex *Strabone* quoque conſtat, ſapientes olim Indorum Medicos pharmaciam, ut maleficam, deſpuiſſe, diæteticam vero Medicinæ partem impenſe obſervaſſe: Sola tamen hæc præſervationi ac medelæ morborum ſufficere haud poterat, cum ſani æque ac ægri illius legibus ſe haud obſequioſe ſubmittant, ſed libidini ac infinitis erroribus indulgeant, nec ab horum cunctis per vitæ genus, conſuetudinem ſimiliaque ſemper cavere poſſint, nec in ſpecie per imbecillitatem humanam commotionum animi inſultus firmo ſatis pectore excipere, nec in his ſibi temperare, valeant, vis denique morbi & hujus cauſa per regimen ſex rerum non-naturalium ſubigi nequeat; hinc aliis inſuper opus eſt adminiculis, & quos Diæta non ſanat, pharmacum ſanat, quos non pharmacum, ferrum & ignis, ſeu Chirurgia ſanat. Corrigunt hæc non tantum vitia per neglectam diætam introducta, ſed morborum quoque ac ſymptomatum radices intrinſecus genitas exturbant, ut ex doctrina partium harum medicinæ ſpeciali nunc ſuppono: neque Medicus is muneri ſuo & ægrotantium expectationi ex omni parte ſatisfacit, qui diætam rite adornat, Pharmaciam vero ac Chirurgiam aut neſcit, aut applicare negligit; cum vix crebro accidere videatur, quin locus non ſit pharmacis ad minimum præſcribendis, nec morbi conditio talia poſtulet.

Sed pharmacia ac chirurgia quoque opus.

Cauſas

Cauſas morborum, inprimis humorales, ſola diæta congrua aliquando emendari & eliminari contingit, ſive a Medico præſcripta, ſive ab infirmo præmeditato aut caſu electa & adornata, adeoque interdum curari poſſe & vere curari ægros, nullis præſcriptis ac aſſumptis pharmacis, juxta illud: *abſtinentia & quiete multi morbi ſanantur:* arduum tamen probatu relinquitur, æque cito, tuto & commode hoc fieri, ac ſi medicamenta ſimul in ſubſidium fuerint vocata. Quatenus ſæpenumero obſervamus ejuſmodi medelas eſſe difficiliores & diutius protrahi, ac recidivas pediſſequas experiri: contra ubi apta ſimul oportune adhibita fuerint medicamenta, brevius, tutius & cum minore moleſtia abſolvi. Et alia eſt ratio ægrorum moroſorum ac medicamenta quævis renuentium, aut non, niſi ſumma eos urgente neceſſitate & re tantum non conclamata, admittentium: utpote quorum culpa tunc negliguntur, quæ negliguntur, auxilia, nihilque hujus in medicum redundat, aut jure redundare poterat.

Subminiſtrat horum materiam pharmacia, inſtrumentum partis therapeuticæ, nedum prophylacticæ quoque locupletiſſimum, quod inventionem, cognitionem, collectionem, ſelectum, aſſervationem, præparationem atque commixtionem medicamentorum tradit: cujus, ut partis integrantis medicinæ, exercitium & adminiſtrationem qui Medico denegant, artem mutilant, & huic inſtrumentum familiariſſimum ac ſaluberrimum ſubtrahunt, eumque jure ſuo defraudant. Equidem in foro diſceptari ſolet, an Medico præparatio ac venditio medicaminum concedenda? &, quod mirandum, Medicos etiam quoſdam deprehendere licet, qui negativæ adhærent, & vel directe, vel indirecte, in eos invehuntur ſocios, qui medicamenta diſpenſant, v. g. Medici nonnulli Collegii Auguſtæ Taurinenſes in Julium Contarenum, quaſi hic, tale quid agendo, Nobilitati Artis derogaret, hinc Collegio ſuo indignum judicabant, ut videre eſt penes *H. Augenium tom. 1. l. 9. epiſt. 1.* item Pariſienſes nonnulli in Fernelium, quod domeſtica ſibi remedia non pateretur in officinas publicas abire, ſed domi vel ipſe compararet, vel amicorum paucorum fidei committeret, ex recenſione *Plantii in vita Fernelii:* Quibus accenſendus *Conringius*, dum *de Hermet. medic. l. 2. c. 8.* officio conficiendorum medicaminum medicos abdicare videtur: item,

Medicis a quibusdam pharmaciæ exercitium interdicitur.

quæ a *Celeberrimo Ab. Fritſchio medic. peccant. concl. 24.* hunc in finem allegantur Reſponſa Facultatis Med. Wittebergenſis & Lipſienſis: ac demum illi, quos *Quercetanus pharmac. gen. c. 1.* in ſcenam producit, medicum a pharmacopæo ita diſtinguentes, ut unus præſcribat, alter operetur. Non inter omnes tamen hos, ſive Medicos, ſive cujuscunque ordinis, æque convenit, dum horum alii nullam omnimode, alii reſtrictam tantum, medicamentorum diſpenſationem, per quam non omnia non officinalia, ſed ſelectiora & multo uſu demum comprobata, parare liceat, concedunt: imo nec præparata ſingularia omnes Medicis diſtribuere ſeu vendere permittunt, ſed, ut illa pharmacopæis pretio honeſto exhibeant, poſtulant, ab ægris hinc repetenda. Cuncti pro ſententia ſua firmanda diverſa promiſcue proferunt argumenta, quæ brevibus recenſere, ſeu potius tantum innuere, e re erit.

Et quidem per diverſa argumenta.

Sc. quod juribus & privilegiis Pharmacopoliorum hoc deroget.

Quidam eorum conſcientiam urgere videbantur, ſc. Pharmacopolia & Pharmacopæos ſeorſim juxta Medicos in Republica a Magiſtratu eſſe conſtitutos, adeoque illorum jura hujusque poteſtatem violare, hinc proximo lucri cauſa nocere & victum præripere, nefas eſſe, ajunt. Allegant pro iis 1. *Conſtitutionem Friderici II. Imperat.* quæ extat penes *Lindenbrogium in Codic. LL. antiqu. l. 3. conſtit. Neopolit. tit. 24. c. 3.* per quam ne Medicus propriam ſtationem (i. e. pharmacopolium publicum) habeat, interdicitur: 2. Privilegia Pharmacopolis conceſſa, quaſi per hæc ſolis Pharmacopæis medicamentorum diſpenſatio & erogatio ſit conceſſa, Medicis prohibita.

Quod moleſtum ac turpe ſit medico.

Mollius alii cum Medicis agere geſtiebant, turpitudinem & moleſtias ab his majores declinaturi: Sc. his perſuadere dum annitebantur, vel quaſi nobilitati Artis & Medicorum detraheret, ſi operationes pharmacevticas, mechanicas & ſua dignitate indignas adminiſtrarent, quale erat argumentum Taurinenſium contra Contarenum & illius Cenſoris a *Quercetano* caſtigati; vel quod amplitudo artis medicæ jubeat levare Medicos onere parandi medicamenta, qui ob prolixiorem praxin aut talia non omnimode, aut non ſine omni culpa, in arduo ejuſmodi negotio metuendo, conficere, queant, ut ex *Brun. Seidelio de morb. incurab. p. 72. & 73.* ac *Conringio l. a.* conſtat.

Periculo-

Nonnulli, v. g. Cenſor ille penes *Quercetanum*, metuunt, ne, niſi

niſi diſtincti eſſent artifices, uterque horum pro lubitu ægrum impune poſſit occidere, ſinguli fel pro melle, venenum pro remedio, propinare. ſum ſit ægris;

Porro inſtant, ſi Medicus remedia tantum præſcribat, non conficiat, eum non temere peccaturum: ac ſi res forſan male ceſſerit, conſtet vero, quo uſus ſit remedio, eum in jus vocari non poſſe. Item, non omnibus & ſubito ſatis aliquando evenientibus affectibus parata ſemper Medicum habere poſſe ex officina ſua privata, ac e publica remedia: Sumptuoſum valde fore, ſtudium medicum & pharmacevticum combinare: Pretio nimio medicamentorum non gravari poſſe ab avaro Medico cives; dum in vulgus illud ex Taxa publica conſtet: Pharmacopæos eſſe perſonas juratas: & quæ hujus generis ſunt plura. Ac ipſo medico. Pharmacopolæ ſint perſonæ juratæ.

Quibus ſingulis tamen non adeo difficulter ſatisfieri poſſe puto, egoque hoc præſtare tentabo ſequentibus. Separatas in Republica hactenus novimus operas Medicorum & Pharmacopolarum, & quidem per Magiſtratus decreta, ſub quorum authoritate etiamnum illa officiorum diſparitas fovetur: aſt qua occaſione quamque congrue hoc factum contigerit, & an illud Medicis ſeu horum arti præjudicare potuerit, ante omnia diſquirendum. Ex Antiquitatis Hiſtoria ſuppono olim & ſub artis primordiis Medicos ipſos ſua concinnaſſe medicamenta, imo totum eorum officium aliquandiu ſolam chirurgiæ & pharmaciæ adminiſtrationem complectebatur, erantque illi meri empirici, donec majora arti per rationes ex anatomicis, pathologicis &c. emergentes, ſucceſſive accederent incrementa, ſub qua nihilominus hujus adoleſcentia propria manu ſua adhuc parabant pharmaca, vulnera deligabant, luxata reponebant, emplaſtra applicabant, breviter, juxta *Conringium introd. ad medic. c. 1.* ſingula artis opera peragebant, in ſpecie, de quibus nunc ſermo, pharmacevtica, v. g. Diocles, Scribonius Largus, Galenus, Serapio, Meſue ac cœteri omnes, prout ex horum monumentis conſtat: v. g. ex *Scribonio Largo de compoſ. medic.* ubi ait: *Eſt enim hæc pars Medicinæ, ut maxime neceſſaria, ita certe antiquiſſima, & ob hæc primum celebrata ac illuſtrata.* Cui jungendus *Langius l. 1. epiſt. 51. Scis nempe, principium omnium artium eſſe rude, ac temporis ſucceſſu & experientia augeri & excoli:* Privilegia Pharmacopei non poſſunt derogare medicis. Qui olim ſua præparabant medicamenta.

coli: quod certe Medicina, omnium mortalium votis expetita, ac toties immutata indicat. Hanc ante & ſub Trojani belli temporibus Æſculapius & tandem ejus liberi, Machaon & Podalirius, ac celebris ille Achillis Præceptor, Chiron, vulnerum medela & pharmacia exercebant, ſolisque his duabus partibus nempe Chirurgia & Pharmacia, tum Medicina conſtabat &c. Imo *Hippocrates de dec. ornat.* ubi Medicum tyronem inſtruit, inter alia pharmacorum efficacium inveſtigationem ac præparationem ſedulo commendans concludit: *His autem præparatis hoc commodi erit, ut, ubi ad ægrum introieris animo incerto non ſis, cum appoſita habeas ſingula ad id, quod faciendum eſt.* De quo eodem Hippocrate *Quercetanus l. a.* ita deſſerit: *Hunc eorum faciem conſpurciſſe, qui præparandorum ſuorum remediorum ſcientiam illi detraxiſſent, quorum veteres adeo vigiles fuerint cuſtodes, ut ea nequaquam publica fecerint omnibus &c.*

Et quidem ex artis neceſſitate.

Atque ita agere fas erat primos artis fundatores, doctores & adminiſtratores, quo certiores non tantum redderentur in ipſa arte remedia parandi, ſed de virtute quoque horum, & intentioni ſeu ſcopo ſuo exactius ſatisfacerent, neque ab aliis horumque experimentis fallacibus dependerent ac ab his deciperentur. Haud congruum minusque proficuum judicantes, tantum opus, a quo ſalus & vita humana dependebat, per alios tractare; ſed proprios oculos & manus ipſi admoventes. Utut creſcentibus laboribus ſibi miniſtros adſciverint ſervos & libertos, qui vel deligandis vulneribus, fracturis &c. vel colligendis & conficiendis medicamentis, imo horum peritiores aliquando, ſub inſtructione & directorio ſuo, applicandis, inſervirent: integram ſibi ſervantes libertatem illa pariter peragendi, quæ amanuenſibus ſuis commiſerant; adeo ut tunc temporis nullus pharmacopæus, nullumque pharmacopolium præter Medicum hujusque officinam, extiterit. Inſequentibus vero temporibus, cum ſervitus ſenſim in deſuetudinem abiret & ſecula barbara ingruerent, contigit, ut Medici genuini magis magisque deficerent, ac eorum famuli delegati, ſibi ſatis ſapere perſuadentes (ut hodie etiamnum fieri ſolet, ubi aliquando miniſter ciniflo medico domino ſuo ſe parem putat, hujusque arcana & medendi ſcientiam crepat) lucro allecti, directorio illorum ſe ſubtraherent, &, ſi non ipſimet medicinam facerent, pharmo-

Qua occaſione negotium hoc in pharmacopolas abierit?

pharmocopolia tamen propria inſtruerent, ſibique alienam artem peculiarem ac propriam redderent. Quod quidem eo facilius efficere poterant, quo Medicorum nonnulli moleſtæ illi artis amplitudini ſe magis ſubtrahebant, & miniſtrorũ illorum numerus indies creſcebat: hinc artem pharmacevticam mechanicam ſeu opificiariam omnino reddebant atque exercebant, usque dum laboribus creſcentibus alios ſervos miniſtrosque ſibi jungerent, & Magiſtratus authoritate eorum tabernæ publicæ evaderent tandemq; in monopolium abirent, ſi non ſemper in ſalutem miſerorum & civitatis ſalubritatem, certe pro fiſcis pharmacopolarum locupletandis. Atque ita agebatur primo in locis, Medico deſtitutis, poſtmodum in aliis quoque, ubi medicis præſentibus in conficiendis pharmacis nulla movebatur lis, nonnulli eorum ſub ſpecie cujusdam deſidiæ, vel per blanditias pharmacopæorum aſtutorum allecti (juniores præprimis & imprudentiores) huic inſtituto aſſentiebant primogenituram pulmento leguminum vendebant, ne plura dicam!

Huc usque ortus & progreſſus rei pharmacevticæ, quod primis ſuis natalibus Medicorum extiterit peculium, & qua ratione ad pharmacopolas fuerit translata; plura hujus generis, & quidem moderna magis, ignorare, quam ediſſerere, malo, ne aliorum invidiam mihi concitem. Ex quibus paucis nihilominus prompte judicare licebit probis & cordatioribus cunctis, an Pharmacopolis injuriam faciant, noceant, victum præripiant ac peccent Medici, pharmaca inveſtigando, parando ac diſtribuendo, i. e. jure ſuo connato & perpetuo utendo? & an artis atque hanc exercentium, tanquam primariorum & primorum Pharmacopæorum, juri deroget, quod nominati eorum famuli, quo jure, quave injuria, quæ ab iis addidicerant, bene vel male exercuerint, alios docuerint, medicis quamvis nonnullis eorum conatibus aſſentientibus? ſeu, annon potius Medicis, tanquam primis genitoribus, adminiſtratoribus ac magiſtris artis, hæc ejusque exercitium integrum ac indivulſum relinquendum, permittendumve, omnia ut nunc agant, quæ olim egerant, & quæ ut commodius agerent, aliis, pro occaſionis ratione, aliquandiu agere conceſſerant, ſibi denuo vindicent ac exerceant, per conſequens, medicamenta quoque parent ac porrigant. Uno verbo, poſſunt Medici

Hinc in pharmacopolas non ſunt injurii medici. Sed jure ſuo utuntur.

dici jure dominii antiqui & poſtliminii repetere, quod aliorum ſocordia aut quacunque ratione iis hactenus ſubtractum videbatur: & hoc dum agunt nec ſuam conſcientiam violant, nec publico, nec pharmacopolis, ſuum dum repetunt, damnum inferunt, injuriamve faciunt. *Utinam*, inquit *Libavius in alchym. triumph. tota medicina manſiſſet in aula Medici, ubi diverſis ergaſteriis opera fierent diverſa &c.*

Neque hoc contra leges publicas.

Neque hactenus ulla lege publica generali hoc exercitium pharmacevticum Medicis denegatum fuit, quin potius inter inſtrumenta ſeu in ſupellectili Medici Colyria, Emplaſtra & cœtera ejus generis contineri *L. 18. §. 10. ff. de Inſtructo vel inſtrument. legat.* expreſſe aſſerat. Quam vero contra Inſtitutum hoc adducunt *Conſtitutionem Friderici II. Imperatoris*, aut Medicos Germanos aliarumque provinciarum incolas non ſtringit, Regni tantum Neopolitani ſubditis data, & Medicis ſtationem publicam, non privatam rei pharmacevticæ adminiſtrationem, denegans: aut per obſervantiam vel illam abrogata, qua Medicorum quoque multi in noſtra Germania Stationes proprias tenere innoteſcit. Si Privilegia, Confectionariis ſeu Pharmacopolis hinc inde a Superioribus conceſſa quis urgeat, quaſi horum vigore jus prohibendi contra alios fuerit inductum, huic perpendendum relinquo: privilegium contra privilegiatum adduci vix poſſe, & eſſe illa ſtrictiſſimæ interpretationis, maxime, quæ monopolium ſapiunt; nec illa contra alios, quam, qui expreſſe in his denominantur, extendi vel allegari poſſe.

Sed his concedentibus.

Lubens largior, aromatarios, unguentarios, pigmentarios, circumforaneos ſimilesque prohiberi illorum vi valere, ne medicamenta parent ac divendant, quippe qui diſertis ejuſmodi privilegiorum verbis excludi ſolent, ſub hoc circiter tenore, die Krahmer/ Waſſer-Brenner/ Zuckerbäcker/ Barbierer/ Bader/ Qvackſalber/ Theriacks-Krähmer/ alte Weiber ꝛc. oder denen es nicht zukommet noch gebühret medicinalia und Artzeneyen zu componiren: qualibus ſane medicos accenſere, hisque cum Medicinæ antiquitate ejusdem ætatis jus, medicamenta erogandi, ſine injuria, dubium reddere minime licet. Poſtquam potiſſimum diverſis occaſionibus a Celſiſſimis noſtris Electoribus ac Principibus controverſia, a Pharmacopolis contra Medicos nota, ita quam Clementiſſime deciſa ac declarata fuit, v. g. in cauſa Noſtratium *6. Decembr.*

anno

anno 1658: Jedoch können S. Churfl. Durchl. geſchehen laſſen / damit das Studium chymicum zu Leipzig/dem Lande und der ſtudirenden Jugend zum beſten/ ie mehr und mehr excoliret werden möge/ daß der Decanus Facultatis, ingleichen da einer oder der andere von denen Doctoribus Medicinæ dergleichen Sachen und Stücke zuzurichten ſich befleißigen wolten / welche entweder in keiner Apothecken und Officina publica zu finden / oder derer Zubereitung und Proceſſ nicht iederman zu offenbahren/ ſolches für ſich thun und machen mögen ꝛc. it. *20. Aprilis 1659.* Geſtalt wir nun die von denen Medicis geſuchte Erleuterung nicht nöthig / noch in dem angezogenen §. befinden / daß die von ihnen præparirte ſingularia und experimenta bey ihren Patienten zu gebrauchen/ verbothen ſey/ alſo iſt ꝛc. quemadmodum pariter *18. Julii ejusdem anni:* Sondern es gehet unſere beſtändige Meynung dahin/ daß die Medici zwar ihre nachgelaſſene ſingularia, iedoch beſcheidentlich und mäßig/ ohne geſuchten / ungeziemenden und ihrer Profeſſion gar nicht anſtändigen Vorthels gebrauchen mögen ꝛc. *Uti etiam 4. Januarii 1661.* Was aber anlanget diejenigen geheimen Artzeneyen / von denen in diſpenſatoriis publicis gar nichts zu befinden/ oder deren Zubereitung die Medici, als ihre ſonderbare arcana naturæ & artis, denen Apotheckern zu offenbaren erheblich bedencken tragen ꝛc. ſeynd und bleiben / vermöge Unſers Decrets (vom *6. Dec. 1658.*) denen Medicis privatim für ſich zu laboriren/ auch ihren Patienten mit denenſelben nach Gelegenheit der Umſtände zu dienen ꝛc. allerdings unbenommen ꝛc. Ac denique in cauſa Medicorum & Pharmacopolarum Dresdenſium per Declarationem Clementiſſimam *12. Julii 1677. Anno 1680.* typis excuſam: Alſo erklären Wir Uns nochmahls/ Krafft dieſes wohlbedächtig und gnädigſt/ daß Wir die in mehr berührten hieſigen Stadt-Apothecker-Privilegiis befindlicher Prohibition auff promotos Medicinæ Doctores, ſo viel die Præparirung und Verkauffung ihrer geheimen und Chymiſchen Artzeneyen / auch derer zur application und Beybringung der arcanorum bedürffende Additamenten betrifft/ weniger aber in dieſem Fall auff unſere Leib-Medicos, als denen ohne das die Inſpection über die Apothecker zukommet/ keines Weges verſtanden / ſondern ſie ſo wol bey ihrem dem Publico zum beſten anziehlenden Fleiß und Befügnüß der Præparir- und Verkauffung ermeldter ihrer chymiſchen arcanorum und

obgedachter unumgänglichen Additamentorum, als auch die Officinen bey ihren Privilegiis, geſchützet wiſſen wollen ꝛc.

Male E. allegatur a ſeplaſiariis poſſeſſio vel quaſi.

Per conſequens quam allegant communiter Pharmacopolæ, Poſſeſſionem vel quaſi, multifaria ejuſmodi Electoris olim Noſtri Potentiſſimi Reſcripta (ut aliorum Principum Sereniſſimorum ſalubres conſtitutiones mittam) diſcutiunt, forſan aliæ quoque Dominorum JCtorum exceptiones legales ſolvunt, me tacente. Imo, dum absque artis medicæ inſigni damno exercitium pharmaceυticum Medicis ſuccidi haud poſſe, inferius pateſcet, perverſis & noxiis moribus obicem ponere & conſuetudines ſalutares magis introducere, æquum & juſtum erit. Nec ferre tenentur culpam Medicorum ſuperioris ævi præſentes, ſi forſan illorum nonnulli, vel ex ignorantia, vel negligentia, Pharmacorum confectionem minus curarint, cum Pharmacopolis colluſerint & horum cauſæ patronos ſe geſſerint atque in viſcera propria delirarint: multo minus quæ forte ſententia contra Medicorum hunc vel illum per Mandata Principum pronunciata eſt, ordini toti vel ſingulis hujus membris præjudicabit, quod illi jura potius privata, quam publica, ni fallor, neque adeo congrue, adduxerint vel propugnarint. Paucis, non invidemus Pharmacopæis mechanicis ſuas immunitates & privilegia, modo hæc non contra naturam rei ac ſanam rationem ampliare contendant: i. e. Dominos & Magiſtros excludant illius artis exercitio, quam famulos ac diſcipulos docuerant & adhuc docent. Cum ipſimet Medici, ut olim, ſic nunc pariter, conſcribant ſyſtèmata & diſpenſatoria pharmaceυtica, tradant in ſcholis ſuis dogmata hujus generis: Et ſi forſan Pharmacopæus mechanicus, rerum naturalium & medicarum imperitior, ejuſmodi commentarios unquam ediderit, cruditatibus & ineptiis ſcatent.

Nec turpe eſt medico præparare medicamenta.

Dedecori Medico & hujus officio eſſe pharmacorum adminiſtrationem qui aſſerunt turpiter ſe dant, & Doctorum horum majeſtaticorum ſuperbiam ineptam prolixe declararunt *Hor. Augenius* ac *Quercetanus locis citatis*, qui evolvi merentur, quibus nunc *Sennerti inſt. lib. 5. part. 3. ſ. 2. c. 1.* adjicio verba: *Neque præter dignitatem Medici eſſe, componere medicamenta, antiqui illi viri prudentiſſimi medicique peritiſſimi ſatis docuerunt, qui, etſi haberent unguentarios, ſeplaſiarios*

ſiarios & id genus hominum, qui fucos, unguenta ac ſimilia præcipue vendebant, ornando potius, quam curando corpori utilia, totam tamen medicamentorum compoſitionem ipſis non committebant. Ipſi domi ſuæ medicamenta compoſuerunt, neque ſibi dedecoris, ſed laudi eſſe duxerunt, ſi rei humano generi utiliſſimæ operam impenderent, neque plus rationis manuum ſuarum, quam animi, haberent. Imo ignavorum potius eſſe videtur, omnia miniſtris committere &c. Et quamvis artes viles ac ſordidas pronunciet *Seneca epiſt. 88.* quæ manu conſtant, a *Tiraquello* nihilominus, *de Nobil. c. 31. n. 523.* ubi Chirurgicam, quod manu medeatur, mechanicam & illiberalem credit, Pharmacevtica activa Medicinæ pars dicitur; *Dux bellicus*, inquit *Celeberrimus Wedelius, non feliciter hoſtem impetere & vincere hinc valet, niſi calleat exacte, quæ arma quibus opponenda, quomodo apparanda, vel apparata hinc, ut ex voto ſcopum feriant, non fruſtra ſint. In laude habetur, ſi Dux belli tormenta explodere, aciem ſtruere, unaque manu ſua hoſtem oppugnare noverit: & Navarchus ad malum ſedeat, & ipſe quoque, re ita ferente, remiges adigere, vel vela contrahere, anchoram levare, ſaltim præceptive norit. Quis itaque vitio vertat medico, nec potius in parte gloriæ ducat, quod ipſe præparare ſciat medicamenta, nec cæco ductu credere cogatur?* Turpe ſane & indecorum huic dici ſi nequit, quod ſimplicium remediorum inveſtigationi incumbat, ut multos veterum ac modernorum, in ſingulare artis incrementum, cum ſumma laude egerunt; cur eadem præparare & componere, exprobrandum? Cum præter medicum nemo rectius & artificioſe magis, i. e. cum recta & ex fundamentis phyſicis petita ratione hoc efficere poſſit, qui materiam eorum dignoſcit, novitq; horum texturam & partes integrantes, & qua lege ſub ipſa præparatione aut miſcela facultates eorum medicamentoſæ integræ conſervari valeant, quod a Pharmacopæo ἀφιλοσόφῳ & mere empirico haud expectandum. Adeo ut tunc demum, juxta *Thomſonum Epilog. chym. §. 3.* religioſe agere & munere ſuo rite fungi videatur Medicus, ſi propriis manibus pharmacorum præparationem aggrediatur, ne ignorantiam, ſuperbiam, ſocordiam & fraudem ſapiat, Seplaſiario vitam committere patientis &c. *Habueruntne*, inquit *Quercetanus, Hippocrates & Galenus diſtinctos Pharmacopæos? aut, cum ipſimet miniſteria iſta obirent, putaruntne*

runtne ſibi dedecori verti, aut, ut tu delicatulus, cenſes, de majeſtate ſua & reverentia detrahi?

Nec oneri eſſe poteſt vel debet Medico,

Quemadmodum inſuper nec oneris ſeu laborum gravitas, quam præter ægrorum viſitationem atque curationem confectio medicamentorum Medico præſtaret, hunc ab officio ſuo deterrere poterat, cui artem nunquam ſine moleſtia futuram *Hippocrates de flat. t.1.* prædixerat. Quicquid eſt officii, non debet eſſe oneri, ne dicam, cum onere quoque officio eſſe incumbendum, ne formidine moleſtiarum negligatur infirmus. Nunquam enim Medicus medelæ morborum pro rei exigentia incumbere artemque illuſtrare atque adaugere poteſt, niſi præſtanda præſtet, i.e. præter cœtera neceſſarium adeo opus conficiendi medicamina, agat. Artificis hujus peritiam & munus hoc non tam turbare, quam juvare, inferius dicetur. Neque forſan adeo amplam officinam ac tantas operas poſtulat idem, ac vulgo ſibi perſuadent, quin alternare congrue ſatis liceat curas ægrorum cum elaboratione remediorum neceſſaria, aut mavis, utrasque commode combinare. Non negarim, concludit *Seidelius loco allegato, a bono & laboribus adſueto Medico etiam præſtari utrumque, vel ſaltem, quin aliqua ſingularia & eximia remedia præparet ipſe, quod absque detrimento aliarum rerum neceſſariarum facere poſſit.*

Nec medico, nec pharmacopæo, male agendi datur occaſio,

Neque hoc inter medicum & pharmacopæum ideo admitti poteſt diſcrimen, ne ſingulo horum concedatur ægris nocendi occaſio, niſi utrumque ſuſpectæ fidei notare velimus, quaſi, ſi ſeorſim agant, non illorum ſaluti reſtituendæ, ſed morti accelerandæ, de induſtria ſtudeant: hoc enim cogitare tantum eſt hominis in ſacram artem iniqui atque injurii; cum quilibet jure præſumatur bonus, donec probetur contrarium. Ac, niſi medicus religionis ac pietatis rationem haberet, quamvis oculatiſſimus ipſi adjunctus fuerit Pharmacopola, ampla fallendi ac ægro nocendi pateſceret janua: perinde ac a negligentiore aut malevolo Pharmacopæo in hujus itidem pernitiem adulterari remedium poſſit ſaluberrimum, a medico præſcriptum. Quando E. *Seidelius de morb. incurab.* hoc ad medicum tantum reſtringit argumentum, quaſi rudioris atque petulantis temeritas per ſocium pharmacopæum retundatur, ne vel pernicioſa, vel morbo minus conſentanea, vel doloſe, vel negligenter præſcribat, cum ex

formula

formula præſcripta & ad officinam publicam delata de medici induſtria, peritia ac ſedulitate judicare poſſit quilibet: ineptus & injurioſus meretur dici, qui ex ſuo ingenio forſan alios judicat & calcepodiator malignus ſuo calceo alios calcare contendit. Paucis, in virum bonum non cadit ſuſpicio, artifici in arte eſt credendum.

Quando ampliſſimas inſtructas tabernas publicas omnibus mox ex improviſo emergentibus caſibus ancipitibus remedia cujuscunque generis parata ſubminiſtrare, qualia Medicus hujusve officina domeſtica vix in promptu habeat, cum eodem *Seidelio* ſibi communiter perſuadent, decipiuntur: Largiſſimus eſt Pharmacopoliorum ſtationariorum apparatus, & ingens, nedum ſuperflua, in his ſimplicium ac compoſitorum farrago, ita quidem, ut quid ex his in occaſione præcipiti ſeligat vel præſcribat tyro, hæſitet, hæſitet cum hoc quoque expertus magis, an, quod deſideratur, remedium illa bonitate ſeu virtute, qua opus, gaudeat: Medicus interim peritus & pharmacevticus illa ſibi comparabit & præſto habebit pharmaca, qualia oportune propinare, hisque caſibus fortuitis citius, antequam tale quid a pharmacopola petatur, obviam ire poteſt, & juxta illud *Hipp. de dec. ornat.* non imparatus offendatur medicus. Et longiore demum mora, in qua nihilominus non raro periculum, expectatur ex pharmacopolio remedium; quod medico turpe & ægro moleſtum ac detrimentoſum contingit.

Etiam medicus quibuslibet caſibus præparare poteſt apta remedia.

Porro medicum & pharmacevticum ſtudium, ſi ſeparatim tractentur, ſumptuoſa maxime ſunt, ac non, niſi magno labore magnisque impenſis utriusque notitia comparatur: aſt non plus impendet argenti quis doctrinæ medicæ integræ, i. e. quæ pharmacevticæ notitiam includit, quam huic mutilatæ; neque dubitandum, praxin feliciorem has impenſas refuſuram: cum non tabernam vaſtam & infinitarum ſpecierum apparatum, ſed aliquot tantum evporiſta, congerat medicus ſuisque uſibus reſervet. De avaritia medicorum hincque metuendo remediorum pretio nimio, quæ communiter præ invidia garriunt, riſum merentur, non deficiunt medici religioſi: nec taxæ publicæ publico atque pauperibus undique favent, quin aut non obſerventur, aut æquitatem aliquando tranſcendant. Sed hæc odioſa ſunt! Sicut pariter cachinno digna, dum medico liberum re-

Nec metuat impenſas.

Nec avaritiæ accuſandus.

linquitur parandi & erogandi medicamenta, modo hoc fiat in publici ſalutem, non quæſtus privati cauſa. Civium ſaluti dum litat medicus, artem emendat, perficere ſatagit, errores pharmacopolarum ſtationariorum dum innuit, publico operam ſuam confert & proximi ac civitatis curam gerit: communem autem hujus eleemoſynarium agere, & lucubrationes ac labores absque pretio vendere, nec per pietatem, nec legem, tenetur. Opera miſericordiæ jubet Medicum & Pharmacopolam religio, commendat utrique charitas Chriſtiana; ita tamen, ne neutri officium ſuum ſit damnoſum. An medicus ſolus eousque liberalis eſto, ut fruſtraneum reipublicæ laborem impendat, non de lucro honeſto cogitet, viliſſimo & perditiſſimo civium conceſſo? numne ejus induſtria & moleſtiæ, quas in inveſtigandis & comparandis remediis ſalubribus, quæ civibus ſaluti ſunt & arti augmenta generoſa conciliant, devorat, æque ac ſeplaſiarii labores remunerationem æquam poſtulant? hoc inprimis temporum difficultate, ubi vel ægrorum ingratitudo vel indigentia, omnis ſoſtri medici obliviſcitur. Si quæſtus duntaxat cauſa, ſecundum *H. Augenium, l. cit.* quiſpiam eam ſibi aſſumpſerit provinciam, male & ſerviliter agit: ſin vero medicamenta componat, ut de eorum efficacia certior fiat, pietate & charitate Chriſtiana ductus ſuo exemplo ignaros pharmacopolas ad rectam componendi methodum excitare in animo habeat, tantum abeſt, ut hic nobilitati artis detrahere aliquid videatur, quin contra de hac optime meritum ac ab omnibus honorandum dicamus, & lucrum æquum ipſi ex merito largiamur. Si regeras, hoc fieri in præjudicium Confectionarii, exceptioni huic, ni fallor, prolixe me ſatisfeciſſe recordor. Norunt Medici quoque, quid miſero & egeno proximo per charitatem Chriſtianam debeant, cui gratis non tantum medendo, ſed medicamenta quoque gratis porrigendo, quotidie eleemoſynas erogant: annotante *Wedelio*, Medici ſunt eleemoſynarii publici.

Si honeſtum lucrum inde capiat.

Denique quando urgent, pharmacopolas eſſe perſonas juratas, in promptu eſt reſponſio: ſunt tales pariter Medici, & per conſequens ratione jurisjurandi utrorumque fides par erit. An illorum ſinguli jurarint, dubitare, nemini vitio verti poteſt.

Ecce L. B. hæ ſunt machinæ, quibus Φαρμακευεῖν Medicorum impu-

impugnari ſolet, ſunt pariter machinæ, quibus illarum impetus declinari poterant: ex quarum momentis ſat eluceſcere puto, per privatam pharmacorum diſpenſationem injuriam haud fieri nec Stationariis, nec civitati, nec civibus, neque Medicorum Numerariorum autoritati derogari, medicum huic negotio eſſe parem, hinc licere & poſſe eum hoc fungi, nullumve jus taſe quid prohibendi penes illos eſſe. Qualis interim libertas medicinam dogmatice facientium ut exquiſitius vindicetur, ſuppetunt adhuc diverſi generis argumenta: quæ illam confirmant ac ejus utilitatem atque neceſſitatem ita agendi comprobant.

Argumenta pharmaciam medicorum confirmantia.

Hujus generis erunt primo, quod ars medendi Pharmacevticam, non ut ſcientiam ſeu habitum tantum ſpeculativum, ſed ut artem & habitum practicum ſeu effectivum & therapeiæ (mere practicæ) partem inſtrumentalem, complectatur: unde neque ab hac, nec ab artifice, illa, hujusve exercitium, vix mente, ſeparari valet. Indulgetur huic in Promotionis Doctoralis actu facultas libera & autoritas, artem ſalubrem (integram, non pharmacia caſtratam) docendi, interpretandi, exercendi morbisque medendi, adeoque omnia illa faciendi, quæ ad utilitatem, incrementum ac dignitatem ejus conferunt, ſecundum privilegia & ſanctiones, quibus divi Imperatores, Electores ac Principes Sacri Imperii Gradum Doctoralem (antequam Stationarii pharmacopolæ innoteſcebant aut jus prohibendi contra Medicos muſſitabant) ſemper decoratum ac nobilitatum voluerunt. Hinc & eo ipſo dum immunitates Doctorales conſequuntur Medici noſtrates in Univerſitatibus Imperiali autoritate conſtitutis, eandem facultatem atq; prærogativam impetraſſe, dicendi ſunt, quibus Byzantini aut Romani Medici gaudebant, ſua pharmaca autoritate & manu propria, ſine ulla turbatione parantes & exhibentes. Ac vanum, nedum abſurdiſſimum, foret in examinibus conſuetis non minus peritiæ pharmacevticæ, quam cœterarum artis partium & in iis profectuum, rationem a Candidatis poſtulari, in ſolennibus vero Renunciationibus, ut pariter & laboribus chymicis ac pharmacevticis ſedulo in poſterum incumbant, Doctores novellos admoneri: eum in finem ut de hujus a Promotore demandati officii exercitio in jus vocentur, cavillentur, calumniis proſcindantur &c. Non enim theore-

Quia pharmacia eſt pars medicinæ inſeparabilis.

Et in promotione doctorali tota ars Candidatis commendatur.

Non theoretica, ſed practica. theoreticos tantum admittere poterat Medicina experimentalis & practica artis filios, ut nonnullos philoſophari memini, ſed artiſtas, expertos & practicos, quod experientia deſtituta ars cum partibus ſuis ſingulis imperfecta & nulla ſit. Nec ulli arti ſua parare denegatur inſtrumenta. Quod quidem vel ideo minus paradoxum videri poterat, cum nulli arti neque artifici neceſſaria ac propria denegentur inſtrumenta horumque fabrica, v. g. non prohibetur pharmacopœus furnorum, vitrorum &c. confectione; ſine contradictione fabrorum ferrariorum faber lignarius, ſi conſultum hoc ipſi videatur, ſibi parat ſerram, terebram, ſecurim ſimiliaque utenſilia; Optico, Aſtronomo, Geometræ &c. licet ubique ſibi conficere inſtrumenta appropriata, nemoque mechanicorum vulgarium hanc dexteritatem ipſi invidet; Nec Chirurgis. Chirurgi, Balneatores ſua ipſimet concinnant remedia, tanquam ex condicto, balſama nempe, unguenta, emplaſtra & quæ ſunt hujus generis non minoris momenti, imo ſpeciminis loco ad confectionem eorum adiguntur: Quid vetat, quominus medicis ſua pharmaca pro rei exigentia parare, componere & adaptare liceat?

Ita etiam egerunt celebriores hactenus Medici. Accedit, non primos tantum Medicinæ Statores, ut ſuperius dictum, ſed ſubſequentium quoque temporum Medicos Excellentiores, ſua confeciſſe & ægris porrexiſſe remedia, poſtquam ſc. pharmacopolia publica introducta & pharmacopæi operarii ſeu mechanici in publicum prodierant: Scilicet Fernelius, Mathiolus, Libavius, Crato, Angelus Sala, Crollius, Quercetanus, Hartmannus, Mylius, Riverius, Faber, Sennertus, Poterius, Schröderus, Sylvius atque infiniti alii hujus & antecedanei ſeculi. Conceduntur etiam agyrtis ſua remedia. Ne, in Medicorum genuinorum opprobrium, innuam, Agyrtis & Circumforaneis ſimilibusque ſociis temerariis & per leges publicas exturbandis, ſua permitti, & ad monopolium usque privilegiis non raro authoriſari evporiſta, quibus credulam plebem nihilominus oppido fallunt. Quinimo pharmacopolæ arcana jactitant. Sed, quod potius, nonne ipſimet Myropolæ frequentius ſibi ſecretas jactitant compoſitiones, v. g. pilularum, tincturarum, ex aliorum ſchedis ereptas, vel ſine ratione & conſilio conſarcinatas, & quidem ſub efficaciſſimorum & polychreſtorum titulis, easque cum literis commendatitiis typis exſcriptis, orbi obtrudunt, ſi non lucri, famæ tamen majoris præ Medicis ſibi & ſuis ſociis, acquirendæ & innoteſcendi (certo certius fallendi) gratia.

Verum

Verum opus hoc non meri arbitrii, ſeu quod a conceſſione atque indulgentia Magiſtratus aut limis aliorum oculis dependeat, ſed neceſſitatis eſſe, conſtabit, ſi quam ſalutare & fructiferum illud Arti, Ægris & Medicis contingat, momentis quibusdam declaravero. Primo nimirum ipſam Medicinam evidentiſſima hinc incrementa capere, vel hoc edocet, quod prima ſua exin illa habeat ſtamina ſeu rudimenta, ut prolixius a me modo comprobatum: dum ex empirico & tentativo primum remediorum pharmacevticorum uſu atque notitia, cui ſoli tunc Medici ſe mancipabant, levia illius germina propullulabant, usque dum a repetita & frequentiore illorum, in caſibus variis adminiſtratione, hujusque variis effectibus & hinc natis obſervationibus, tanquam ex Æſculapii templi tabulis, aliquam artis formam, quamvis nondum ſatis exaſciatam, induerit. Ad præſentem vero usque diem per cognitionem ſeu inventionem, præparationem atque applicationem remediorum circumſpectam, artem adhuc imperfectam quotidie creſcere, & quidem non raro ſine cœterarum medicinæ partium atque adminiculorum acceſſoriis, res ipſa loquitur. Occaſionis præſentis haud judico, quod neminem latet, quantum Chymia, tanquam medicinæ pharmaciæ pars ſeu ſpecies, ſcientiam naturalem, & hac mediatrice dignotionem morborum horumque medelam auxerit & augeat: hoc tantum nunc attendere cupio, quod inveſtigatio ac præparatio remediorum perita præſtantiſſimum ac deſideratiſſimum artis momentum ſit, & medendi artificium potiſſimum in eorum apparatu adæquato conſiſtat; adeo, ut ab imperitiſſimo & anicula fatua propinatum medicamentum efficax frequentius plus valeat, quam ſine hoc ſagacitas Medici maxima; utpote quale ſcopum ejus ultimum immediate ferit ſeu morbum tollit. Et v. g. in medicina febrium eruenda plus præſtitit primus Corticis Peruviani Inventor, quam infiniti & prolixiores de earum natura, cauſis & curandi ratione, commentatores: cum ab hujus febrifugi innoteſcentia vix adeo amplius nobis illudant earum paroxyſmi, ac ſub ductu & admiratione ejuſmodi commentariorum, nauſeam febrilem moventium. Unde *Blaſius in Morell.* & quidem in *epiſt. dedicat.* ubi, in quo potior Medici peritia conſiſtat, disquirit, eam remediorum efficaciorum notitiæ præ cœteris in acceptis refert, utpote

Ipſa ars incrementa quotidiana capit ex præparatione medicamentorum a Medicis facta.

Artis potiſſimum momentũ eſt medicamentorum efficacium apparatus.

a qua-

a qualibus vis omnis medelæ deſideratæ, his verbis: *Maxime tamen omnium remediorum, quibus morbus repelli ſanitasque reſtitui cito, tuto atque jucunde queat, natura adhibendique ratio. In his enim omnibus, quibuscunque Arti huic præſtantiſſimæ ſeſe mancipare animus eſt, qui cum laude aliquando illam tractare deſiderant, maxime ut excellant, inprimis allaborandum eſt.* Quemadmodum pariter Noſter *Chriſtianus Langius, Miſcellan. p. 145.* ita diſſerit: *Non immerito autem Medici omnibus nervis ſollicitos ſe exhibent circa remediorum ſedulo continuatas inventiones & facturas, ſiquidem non tantum venerandam antiquitatem hic habeant fideliter præeuntem, ac Jatro-Chymicorum coronam hodieque preſſo pede laudata hujus veſtigia inſequentem; verum ipſiſſima neceſſitas & conſcientiæ cultus impenſe id inculcet: cum tam ægrotantium vita, quam Medicinæ gloria & medentis fama in remediorum dextre paratorum ſinceritate omnino atque certitudine conſiſtat.* Cujus generis teſtimonia plura adducere nolo, cum omnibus prudentibus liquido conſtare putem, Pharmacevtices adminiſtrationem ſtrenuam artem medendi egregie excolere, nova ſœpe & naturæ ac arti magis conformia remedia, ac novas hæc parandi atque applicandi encheiriſes ac cautelas depromere, imo rationes & modos eorum agendi eruere: ſub miſcela eorundē varia ſaporum odorumque, hactenus minus obſervatorum, genera, conſenſus & repugnantias nobis innoteſcere, & quæ hujus generis plura ſunt emolumenta, a *Quercetano loco cit.* ac *Ludovico Pharmac. diſſ. 3.* recenſita. Ne dicam, ipſam remedii efficacioris, ceu juvantis, obſervationem nos ad cognitionem morbi, cujus indoles hactenus abſtruſior, reducere: ut v. g. humorum viſciditatem morbificam innuat proſperior uſus aromatici & ſalis volatilis, acorem & pituitam acidam martialium felicior applicatio.

Ex formularum præſcriptione medicinæ corruptela totque empirici.

Momenta hæc erant, Medicinæ ſplendorem & efficaciam intendentia, qualia vel ideo tanto majoris æſtimare decet, quanto majora cernuntur damna & corruptelæ, quæ a *præſcriptoria* ſeu *receptoria* praxi eidem arti obtigerunt. Præterquam enim, quod per hanc eadem minus excolatur ſeu ejus difficultates haud eruantur, præter alias occaſiones, ex Formularum ita dictarum quotidiano & frequenti conſpectu atque collectione tot empiricorum & pſeudomedicorum, inter

inter ſeplaſiarios quoque prodierunt, eam corrumpentium ac dehoneſtantium, ſaluti quoque publicæ exitioſiſſimorum. Quin pharmacopæi praxin exercentes, vel potius huic ſe ingerentes, libere profiteantur ſuasque nugas colorare annitantur, dicendo, ſe ex totidem formulis, a medicis peritioribus conſcriptis, & ad tabernas ſuas delatis, crebrius a ſe viſis, harumque collatione cum decumbentis, cui præſcriptæ, ſtatu, quem, ſi diis placet, ex afferentium narratione intellexerint, ſapere, ac ſimias medicorum agere; nedum quidam ejuſmodi hominum ex compoſitionibus, frequentius in hunc vel illum finem in ſchedulam conjectis, evporiſta & ſingularia ſibi cudere, hosque ſub ſuo nomine vendere non erubeſcunt.

Qualis tamen rei pharmacevticæ plenior peritia & hinc expectandum ipſius Medicinæ augmentum non ex evolutione autorum ſolitaria emergit, ſed, prout cœteræ artes omnes, ipſa demum manuali operatione & ab iis commendatorum ſeu præſcriptorum examine reali & longa rerum experientia, comparatur: quibus non tantum proceſſus ſeu compoſitiones traditæ elaborentur, ſed eædem quoque harumque formæ varie immutentur ac concinnentur, varia ſimplicia diverſimode ſibi combinentur diverſisque operationibus exponantur. Ut ſub his accuratius attendantur & ſedulo annotentur omnia phœnomena atque circumſtantiæ, ſive per artem, ſive caſum, obvenientia, ac in poſterum ſecundum obſervatorum manuductionem cautius, vel aliter, vel pari ratione, operari ſciamus. Neque enim ad illud faſtigium artem hanc fuiſſe evectam ullus ſanæ mentis ſibi perſuadere poterit, quin *plus ultra* in ſinu gerat, & multum ejus adhuc latitet, inveſtigatione dignum, quod ſine manuum & ſenſuum opera fieri nequit: cum viam hanc triverint non modo inventores artis primi, ſed ejusdem nutrices & propagatores antecedaneorum & proximorum temporum, quorum veſtigiis inſiſtendum. Atque hoc quidem opus proprium eſt Medici, utpote ſine quo medicamina dirigere, corrigere eademque applicare & infirmo mederi nequit, medicamentorum nempe imperitus, ſentiente ita *Quercetano, ſæpius citato: Quam turpe eſt Medico ſibi Doctoris titulum arrogare, & materiam, qua uti debet, modumque illius parandæ ac adminiſtrandæ ignorare, patique ſe a miniſtris ſuis ſuperari. An ignoras,*

Peritia pharmacevtica non ex ſola autorum lectione, ſed uſu dependet.

Adeoque ſtudium hoc proprium eſt Medici.

ras, experientiam rerum eſſe magiſtram? E. pharmacopæus eam callens magiſter erit, tu vero bruta ſtatua cathedræ affigeris. Medicamenta a Medico ſeparare & pharmaciam opus ab eo diverſum facere eſt animam quaſi & Quintam eſſentiam ejus peritiei tollere, aptitudinem ægrum ſanandi eidem ſubtrahere, paucis, nobiliore parte artis eum defraudare. Enormiſſimus & irreparabilis in Medico defectus videtur peritia experimentali remediorum deſtitui: Ignorans hæc æque ineptus ac imperitus eſt, ac Navarchus acus nauticæ & hujus moderaminis neſcius. Scilicet cum medicamentorum inveſtigatio, ſelectus & præparatio, utpote a quibus potiſſimum & immediate magis ſalus atq; exitium ægrotantis emergit, majoris in arte momenti ſint & exquiſitiore attentione opus habeant, nullius, niſi Medici, curæ provincia hæc commodius poteſt ac debet demandari, & optandum, eos ſollicitos magis eſſe de iis, quam de lotii, ut vulgo fieri ſolet, inſpectione ſimilibusque: cum error Medici in dijudicando morbo, ejus cauſa & circumſtantiis aliis, vix adeo gravis & pernicioſus eveniat, quam circa medicamenti materiam, præparationem atque applicationem commiſſus.

Periculoſa magis eſt medicina præſcriptoria, quam diſpenſatoria.

Indigitavi hactenus fructum, qui ab exercitio pharmaciæ experimentalis Medicorum in horum artem redundat, quo facto equidem ſponte ſua comparet, ab hac perfectione & remediis præſtantioribus inſtructa emolumenta pariter certiora infirmis obtingere & valetudini horum promptius proſpici: aſt præter hæc alia inſuper eos experiri commoda, non difficile erit declarare, quod pauciſſimis agam. Videlicet primo vix dubitare licet, ſecuros magis eſſe languentes ab erroribus & periculis fortuitis ſub medela medici, qui ipſemet adminiſtrat & ſubminiſtrat medicamenta, quam hujus, qui hæc curæ & fidei pharmacopolæ committit. Vel quod ille eorum, quæ manibus propriis tractat, quorum cognitioni & præparationi totus inſudat, ſine dubio plus peritiæ habeat, hinc certiores & ſecuriores ab iis ſibi promittere queat effectus, quam qui talia ex relatione & fide aliorum demum præſcribit, ex pharmacopoliis hinc inde petit, vel petere jubet, & non adeo accurate eorum texturam ac conditiones obſervat, aut obſervare poteſt; ut illam inſpectionem & examen taceam, quo rite aut minus rite parata diſcernere, e re foret. Præ-

ſcribi-

ſcribimus v. g. Mercurium dulcem, Aurum fulminans, Tincturam Vitrioli Martis ſimiliaque chymica, ſub ſpe & fiducia genuinæ eorum præparationis, præſcribimus etiam ſimpliciora & quidem recentia, ſelectiora: aſt, cum non ſemper poſſibile ſit, optime quamvis alias conſtituta (ut ajunt) officina, præſcripta & parata denuo inſpicere, tentare &c. facile fieri poteſt, ut pravos, aut morbo non adeo congruos, aut nullos, hinc experiatur effectus æger, a perperam præparatis, vappidis, effœtis quisquiliis. Præſcribit Medicus ſcutum ſtomachale, neſcio, quo fato, apprehendit & exhibet Pharmacopæus hujusve diſcipulus malagma cantharidizans & epigaſtrium excorians: quod ſi manibus propriis malaxaſſet ille, errorem hunc tempeſtive advertiſſet atque damnum avertiſſet. Vel quod pharmaca a Medicis majore cura & ſollicitudine quam a pharmacopolis, parari, probabile ſit.

Majore cura præparantur medicamenta a Medico, quam Pharmacopæo.

Odioſa hæc ſunt eaque concoquere nequeunt hi, quaſi inculpationem ſibi ſuæque arti, officinæ & fidei, quam forſan juramento ſibi comparatam putant, injurioſam & præjudicialem: qualem tamen minime dicere convenit ejuſmodi animadverſionem, quæ a Medico proficiſcitur, cujus inſpectioni, ac directioni, per leges publicas pharmacopæus ſubjicitur; nec huic dubitandi licentiæ adeo excandeſcere debebat, cui exceptio ſalva & tantum non legalis hactenus manſit, non ſe ipſum, ſed miniſtros ſuos, hos illosve errores perpetraſſe. Quod ad me, proteſtor de injuria, proteſtor de injurandi animo, loquor tamen per quotidianam & funeſtam ſæpe experientiam, cum medicis aliis infinitis, ac breviſſimis me hæc evidentiora facturum confido. Primo quippe diſpari huic ſolertiæ occaſionē præſtat oneris, Medici & Pharmacopæi humeris incumbentis, evidens diſparitas, dum horum ille, qui officium, per propria medicamina medendi in ſe ſuſcipit, omnem culpam gerere tenetur erroris abuſus aut infortunati in medela ſucceſſus nulloque modo horum excuſari valet; ad potiorem proin circumſpectionem & ſolertiam is excitatus, nec videns, qua ratione reatus hic a ſe declinetur, nihil omnino eorum intermittit, quo judicia hominum effugiat: qualia minus curat myropola ejusque famulus, quorum illi medicamentorum venditio, huic, quo expedite magis & alacrius res ſuas agat, cordi eſt, utut uterque horum valde

 peccet.

peccet. Cui ſecundo accedit, quod ſcopo diſcrepent, qui penes priorem eſt conſervatio & reconvaleſcentia prompta decumbentis, & ut ipſemet bonus, ſedulus ac peritus cenſeatur Medicus, non vero medicamenti pretium: dum ex feliciore ſanatione ſeu ſalute illius admirationem & fiduciam plurium in ſe trahit, hincque conſecutive plus emolumenti capit, quam ex lucello hujus; per conſequens ad ſolertiam & attentionem debitam in præparandis medicamentis movetur, utpote quali ſedulitate utile illud honeſtum aſſequitur. *Jugulum ægroti ſemper*, ait *Ludovicus l. a.*, *medici famam plerumque intimeque petunt medicamenta minus rite parata.* Dum ex adverſo Pharmacopæus & ejus amanuenſes ſolis mercibus diſtrahendis ac lucro inhiant, nihilque eos refert, an a ſuis præparatis ſanetur, aut non ſanetur, æger, nec, ſi res ad votum minus ſuccedat, tantillum ejus exiſtimatio periclitatur. Adeo quidem, ut poſito, Medicum aliquem in reliqua vita non ſemper æquum & honeſtum ſe gerere, in eo tamen, ubi famæ intereſt, cautius mercatur, & exiſtimationi ſuæ omnibus modis litat: hoc eſt, nihil ei perſuadet, quo minus medicamenta ſua rite & circumſpecte præparet, niſi omnino ſtolide in ſe ſuamque rem familiarem agere malit.

Plura hujus generis adferre nolo, prolixius hoc egerunt alii v. g. *Ludovicus l. a.* & *Mainwaring. in praxi Medic. antiqua & nova*, præter eos, qui de fraudibus & abuſibus Pharmacopæorum ſcripſerunt, quibus tamen per ſingula haud ſubſcribo: potius nonnulla adjecturus, quæ præter ſecuriorem medelam minus ſumptuoſam ſeu levioris pretii quoque promittunt a Medico pharmacevtico, quam a Stationario, aut utroque ſimul. Ita ut, ſi nullum aliud momentum ſuppeteret pro pharmaciæ exercitio in manu medicorum conſervando & firmando, ſane utilitas, quæ hinc in publicum ac cives, ſive directe, ſive indirecte, certo tamen, redit, hoc tanquam ſuprema lex, præſtare poſſet ac deberet: &, ſi, diſſerente *Ludovico*, vel Medici omnes in univerſum illud hactenus neglexiſſent, vel per fictionem juris, ob complurium aut plerorumque conceſſionem, Unguentariis olim, Aromatariis, Seplaſiariis &c. factam, & per quandam hinc quaſi præſcriptionem, jure ſuo penitus excidiſſent; ſalus tamen publica totidemque miſerorum ſalutarem hanc medicamentorum privatam diſpenſa-

Hæc medicamentorum diſpenſatio prodeſt ægro & publico.

penſa-

penſationem illis, ut proprietariis, per plenitudinem poteſtatis reſtituere, ſi non præcipere atque injungere, videbatur, hoc inprimis tempore & urgente neceſſitate. Suppono ſiquidem ſummam rei pecuniariæ anguſtiam hodiernam; ſuppono pariter tot miſerorum conſervationem, quæ reipublicæ intereſt; ſuppono cunctorum negotiorum ſumptus evidenter imminui, ſi numerus perſonarum ipſis præficiendarum vel præfectarum, quantum licet, imminuatur.

Prius poſtulatum nemo Germaniæ noſtræ incola diffitebitur, innoteſcit ſiquidem hæc penuria in publicum & in ſingulos; neque alterum ullus negabit, qui non corruptum maxime civitatis membrum videri geſtit: Quod vero ſumptuoſa magis, & quidem præter neceſſitatem, reddantur negotia, ſicque medendi etiam, ſi, quod fieri poterat per paucos, vel unum, duabus committatur perſonis, utrisq; cum ſuis familiis ſeorſim ſuſtentandis, ſana ratio dictitat, dum Medicus ſoſtrum, Pharmacopola pretium medicamentorum, utrumque licet honeſtum, exigit; ſecus, ſi cum uno & ſolo medico res contigerit infirmo, utpote cujus fortunæ hac ratione ſaluberrime levantur. Saltem taxarum popularium ſeu publicarum extravagantias novimus, easque accurate & per varia genera demonſtravit *Ludovicus l. c. diſſ. 2.* an iis commode aliquid detrahere easve corrigere liceat, aut ſecus, ego non diſputabo: hoc tantum ambigo, an honeſtum, charitati Chriſtianæ conforme ac reipublicæ ſalutare ſit, eum in finem pretio pharmacorum majori & mercaturæ illorum, quæſtum adeo enormem lucranti, indulgere, quo vaſta & ex inutili ſimplicium atque compoſitorum farragine conſarcinata corpora ſeu officinæ integræ conſerventur harumque patroni laute ſuſtententur; patiatur interim & pereat miſer, ſi præterea æquiſſimum &, ut hodie moris eſt, tantillum ſoſtrum medico viſitanti conſulentive & ex taberna præſcribenti ſolvere debeat? Superiorum hoc eſt decidere, quorum poteſtati derogare, religio mihi erit. Cum nihilominus ſine ſplendidioribus ejuſmodi officinis, ſi medicinam faciens ipſemet pharmaca ſubminiſtret, civitati ac civibus, cujuscunque fortunæ, conſultum magis videatur: quod ille in taxa, pro erogatis remediis ſoluta ſolitaria penes pauperiores facile acquieſcere poſſit, hi medela neceſſaria, perinde ac ditiores, fruantur. Dum contra ſi utrique ipſis me-

Et exigit eam hodierna argenti penuria.

Taxæ publicæ illi præjudicant.

dicinam

Mitius cum ægris agitur per Medicorum diſpenſationem.

dicinam facientium ſolvere tenentur, veriti ac declinaturi has impenſas, aut ſine omni medela pereunt, aut non tempeſtive ſatis eam poſtulant, adeoque etiam hac tarditate valetudini ſuæ præjudicant, ſoſtrum cum pretio pharmacorum penſitantes & utrumque ſuæ conditioni impar judicantes. Vel, ne ſanitatem omnimode negligere videantur, agyrtas & adulterinos medicos cujuscunque generis, & inter hos pharmacopæos, adeunt hisque extremum fortunarum ſuarum obulum cum vita inconſideratius committunt: perit æger, perit medicus, ſplesdeſcunt pharmacopolia, diteſcunt pſeudomedici!

Non fingo hæc, utpote qualium veritatem experientia popularis confirmat, confirmat eadem pariter ratione haud deſtituta, malis his concatenatis privatam medicorum diſpenſationem apprime mederi poſſe: per quam hincque vilioris pretii medelam, miſeri illi ſtimulantur, alii, quos avaritia premebat, itidem alliciuntur, ut medicum, non pharmacopœos aliosve empiricos, conſulant, & valetudinis ſuæ majorem curam gerant; experiuntur utrique corporis & crumenæ levamen evidentiſſimum ex ſumptuum ejuſmodi compendio. Quibus, ex antecedaneis repetendum, addo, Medicorum pharmaca ex ſelectioribus cum majore ſtudio confecta, cœteris præſtantiora atque efficaciora eſſe, hinc medelam certiorem etiam ac citam magis præſtare, tantosque ſumptus haud cauſare, vel mercedis vel pretii loco, impendendos: quod per illa opus ſuum celerius perficiat artifex, dum vulgarium pharmacorum, morbo minus adæquatorum, plura adhibenda, hinc medela protrahitur, per morbi diuturnitatem fortunæ ægrorum plus graventur.

Nec lucrum hinc emergens Medicis invideri debet.

Aſt demum fructuoſam magis ipſi quoque medico evenire hanc praxin, ſecundum veterum morem inſtitutam, cui cavillandi genius, prompte & ultro largietur: quaſi per hanc fortunis ille locupletetur, hincque etiam quæſtus ſub exercitio hoc practico ſcopus ejus primarius ſit. Quibus ſannionibus tamen invidis quo mox in primo ſermonis limine obex ponatur, ſciant, neminem laboris ſui quæſtum honeſtum dedecere, ſic nec medicos optimo titulo artem ſuam exercentes: nec ſordidum viros honeſtos intendere, præſumi poteſt, donec id probatum ſimulque evictum fuerit, auri ſa-

cram

cram famem illos ad hæc urgere. Sed ſcurrilia hæc me minus turbant,

amoto quæramus ſeria ludo.

Medicus in operationibus pharmacevticis hæres exiſtit virtutum & facultatum artis, cujus filius fidus ac probus, materiæ hinc accuratiorem cognitionem ſibi acquirit, aptus evadit ejus ſpecierum efficaciores præ caſſis ſeligendi, intrinſecam harum texturam ac proprietates evolvit, & cum aliis conſpirationem atque diſſidium novit: per diverſas videlicet earum præparationes, macerationes, coctiones, reſolutiones, extractiones, ſublimationes &c. cum aliis varias commiſcelas ac ſubactiones, hincque emergentia phœnomena multigeneris, ſæpe nunquam viſa, audita vel per ſomnium cogitata; ſicut pari ratione quantitas & proportio commiſcendorum ſeu componendorum formæ & ſcopo medicaminis adæquata, hac ratione accuratius dignoſcitur. Paucis, Medicus ejuſmodi ex unius alteriusve pharmaci confectione plus comprehendit, quam ex multis eorum in chartam conjectis & hinc inde collectis deſcriptionibus; per quam peritiam in poſterum, in ſimili aliove caſu, commodius ac felicius operatur: dum contra, qui ſine ejuſmodi ſcrutinio artificiali & philoſophico ex pharmacopoliis præſcriptas commendat compoſitiones, plane empirice agit, & juxta *Plinium* experimenta per mortes aliorum facit; aut præſcripti pharmaci hujusque applicationis ſucceſſus omnimode fortuitus dicendus, habetque interim ſemper, quod mali quid hinc ominetur. Non facile fidem concedimus Scriptorum obſervationibus medicis & proceſſibus chymicis, quod per tales crebro decipiamur, ſed viſu, olfactu, guſtatu aliisve tentaminibus ipſimet veritatem eorum exploramus, ſicque demum rem plene & certo nos cognoſcere credimus, ſi tentaminibus noſtris reſpondeant, aut non reſpondeant. Qualem fructuoſam oportunitatem ſi medicus negligit & pharmacopolæ concedit, hic ejuſmodi experimentis congrue adornandis horumque phœnomenis advertendis minus idoneus, ac ſuarum partium minime ratus, curioſis & quæ non de pane lucrando, ejuſmodi obſervationibus minus vacat, ſuo officio qui ſatisfeciſſe creditur, ſi ſecundum diſpenſatorium & formulam præſcritam operetur, & præparanda præparet: contra ille ſcientiæ & expe-

Qui hinc etiam peritiores evadunt.

In medicamentis parandis ac inveniendis.

rientiæ hancque adipiſcendi occaſiones prætermittit, & ſub perpetua actionum ſuarum incertitudine, nedum rudi ignorantia, manet. Ubi de experimentis phyſicis, mechanicis &c. judicare, hincque poriſmata philoſophica & mere theoretica elicere, occaſio fert, aliorum relationi abſolute haud credimus, ſed cautior experimentator & ſagacior philoſophus ipſemet tentamina illa inſtituit, cum leviſſima eorum circumſtantia, quæ aliquando non attenditur, rem maxime variet; quinimo materiarum & machinarum hujus gratia adhibendarum externam æque ac internam texturam & ſtructuram apparatumve, quam accuratiſſime inquirit, ni ſemet aliosve fallere malit, uno verbo, omnes omnium hic concurrentium conditiones probe examinet. Cur non æque ſeduli ac difficiles in experimentis circa corpus humanum, & ejus valetudinem per medicamenta faciendis & admittendis erimus, horum intimiora exquiſitius rimando, nec per credulitatem, nobis ignominioſam, ægris pernitioſam, ſolius pharmacopæi & hujus ſervi fidei ac dexteritati vitam noſtrorum committendo. De priore levitate ſeu negligentia reſpondere teneris philoſopho, de poſteriore Vindici Summo.

In philoſophia naturali & medicina facienda.

De cætero per praxin hanc pharmacevticam morborum penitiorem dignotionem & horum indoli appropriata remedia applicandi peritiam majorem ſibi acquirit Medicus; quatenus hac ratione non tantum artificium indagandi & parandi remedia plenius addiſcit, ſed naturalis quoque ſcientiæ multum ſibi comparat, per poſterius vero ad explorandas morborum indoles idoneus magis redditur, ut ſuperius indigitatum, juxta illud: *ubi deſinit phyſicus, ibi incipit medicus*, confirmatur ſimul in ratione iis medendi: quæ cuncta illis, qui ſecus agunt, denegantur. Prius prolixius probare poſſem, niſi ex *Sylvio* aliiſque conſtaret, quantum chymia aliæque artes magis mechanicæ ad philoſophiam naturalem, hæcque ad artem medicam, locupletandam, conferant: poſterius vero quod ſpectat, profecto hoc ipſo a dogmatico empiricus diſcernitur, quod uterque quidem horum morbo medeatur, ille tamen medelæ quoque ſuæ rationem reddere queat. Quinimo experientiam ſuam multis paraſangis adauget, ex operatione exhibitorum effectus ſalutares ac pravos obſervando; hinc non ſine fundamento commendare, rejicere aut ex-

cuſare

cuſare eorum hæc vel illa poteſt: cui cuncta patent, nihilque impedit, quominus ſucceſſuum quorumcunque cauſas & impedimenta dignoſcat; quæ Doctor, formulam præſcribens & qui per officinalia medetur, ſtupet, utpote momentorum, ad confectionem ac determinationem remediorum facientium, ignarus. Cui gaudere ſatis eſt de felici operæ latæ ſucceſſu, utut, cui medicaminum, aut quali horum texturæ, illum in acceptis referat, neſciat: ſicut pariter, ſi res male cadat, minus ſperati eventus ætiologia ipſum latet, hoc eſt, an a medicamine, hujusve illegali præparatione, ab ægri idioſyncraſia, an morbi pertinacia, an criſeos imminentia, an a ſemetipſo, incongrue atque intempeſtive illud applicante, ita evenerit, judicare ac dicere, multo magis obſervationem fidam ſeu genuinam hinc elicere, & olim aliquando quid faciendum, determinare neſcit.

Secus, qui formulas præſcribunt.

Talis ſane, qui ſub caſuali tantum molimine medicinam facit, & qui, quid in ſimili caſu agendum aut omittendum, ſe aliosque inſtruere nequit, ſine experientia manet ac moritur, nec, utut multorum annorum practicus, Experientiſſimi titulum meretur. Neque dubitandum, Medicum pharmaciæ incumbentem quotidie obſervaturum ac deprehenſurum nova atque præſtantiora remedia & vel per hæc ſola majorem famam ſibi comparaturum: cum fieri haud poſſit, quin ſagacior, interiora hujus vel illius ſimplicis aut compoſiti penitius perſpiciens, una cum modis ea tractandi & operationibus eorum, ſemper alias ac potiores inventurus ſit operandi encheiriſes, hinc hactenus ignota, efficaciora tamen, medicamenta. Dum vel empiricos aliquando, ita agendo, fortuito in generoſa incidiſſe medicamenta, per quæ doctiores & peritiores medicos in quibusdam affectibus curandis ſuperarint, minus artificioſe quamvis negotium tractarint, conſtat. Adeo ut optandum foret, omnes eruditos medicos ita procedere, ſic enim ſperandæ forte forent difficiliorũ morborum, qui in ſcandalum medicorum nunc abeunt, ſanationes. Quemadmodum denique periculi plena res eſt, nulloque jure Medicum honeſtum eo compellere licet, ut valetudinem & vitam ſuæ fidei, dexteritati & conſcientiæ commiſſorum infirmorum, ac de quibus hominibus atque Deo reſpondere tenetur, ſuam famam, fortunam ac conſcientiam, ſeplaſiario hujusve miniſtris concredat: foret ſiquidem

Qui de genuina experientia gloriari haud valent.

Per præparationem medicamentorum famæ ſuæ litat Medicus.

Non tenetur famam & conſcientiam ſuam ſeplaſiorum fidei committere.

dem hoc non ſtultæ tantum temeritatis, ſed perverſæ etiam malitiæ. Cum fieri poſſit, ut illi vel per ignorantiam, vel deſidiam & negligentiam, vel ut impenſis parcant, præſcripta minus ſtudioſe atque exacte præparent, intentionem præſcribentis cum ægri expectatione fruſtrent: culpa pravorum ſucceſſuum interim redundat in medicum hujusque exiſtimatio juxta conſcientiam maxime periclitatur.

Si regerant: perito in arte credendum; in virum bonum non cadit ſuſpicio, & hujus generis alia, excipio: dubitandi nihilominus occaſiones crebriores ſubminiſtrant triſtia ſatis exempla, potiſſimum cum non tam ipſis pharmacopoliorum patronis, ſed horum proviſoribus ac miniſtris demum, quos brevi poſt illi ipſimet ebrioſos, negligentes, malæ fidei & morum perverſorum proclamaſſe novimus, hoc arduum negotium committatur. In re E. dubia, ubi nihilominus de ſalute humana agitur, tutiore via incedendum erit medico, & ab ipſomet medicamenta conficienda atque ſubminiſtranda, ne ejus exiſtimatio & conſcientia aliorum peccata luat.

Quia proin diſpenſatio ac erogatio pharmacorum, a Medico facta, nec contra honeſtatem, nec contra leges publicas, pharmacia artis medicæ pars integralis atque inſeparabilis eſt, huic largiſſima incrementa præſtat, his, qui eam exercent, plus peritiæ ac dexteritatis conciliat, ægris ac publico variis modis emolumento exiſtit, inprimis quod fortunas indigentiorum levet, per eam exiſtimatio & conſcientia medentis integræ ac in tuto conſerventur, & quæ plura hujus generis documenta explicata: illa nemini Medicorum vitio verti debet, quin potius, qui huic negotio ſtrenuam operam navant, laudandi, horum honeſtiſſimi conatus magni æſtimari ac lucrum laborum & ſeduſitatis iis haud inviderí, debeant; nec contra hos jus aliquod prohibendi quis vindicare jure poterit. Vel ſi forſan per indulgentiam Magiſtratus Stationarii monopolium quoddam contra Medicos jactent, juris equidem rigorem evolvere & contra impetrantes ejuſmodi ventilare, cum ſphæram meam tranſcendat, mei non facio, rationem ſanam tamen & civitatis conſervationem ſuadere ac jubere puto, ut ſecundum clauſularum reſervatoriarum, quibus privilegia talia hinc inde aperte circumſcripta leguntur, tenorem, dum meliora & ſalutaria magis comparent, his pro re nata

detra-

detrahant, addant, vel quocunque modo eadem corrigant ſalubritatis publicæ Antiſtites.

Hactenus de Adminiſtratore rei pharmacevticæ, nunc de ſubjecto ſeu medicamentis, de quorum primo notetur cognitione, hanc, ſi faciem & formam externam tantum reſpiciamus, v. g. quomodo diſcernenda radix Angelicæ a rad. altheæ, folia Sennæ ab herba Scolopendriæ, Vitriolum a Nitro, Aqua ab Oleo, Spiritus Aniſi a ſpiritu Menthæ &c. per ſenſoria externa addiſci: habetque officium hoc commune Medicus cum Pharmacopæo mechanico; dum interioris texturæ & facultatum medicamentoſarum inveſtigatio ſolius Medici eſt, & a pharmacopola haud expectanda. Fitque vel per habitudinis concretorum intrinſecæ evolutionem, vel tentativam horum penes ægros applicationem. Cognitio medicamentorum dependet a duobus.

Conſtitutionem medicamentoſam intrinſecam communiter explicare contendunt per principiorum conſtitutivorum diverſam inexiſtentiam, tanquam tot facultatum ſcaturiginum ſeu radicum: quod nihilominus aſſertum precarium ſatis videtur. Dum (1) principiorum conſtitutivorum genera & habitudines nos latent: (2) nec principiorum ſecundorum ſeu principiatorum ſeparationem cuncta mixta concedunt, vel quod hæc compactiora, vel quod illorum quædam inter ſeparandum exhalent aut diſſipentur; multo minus primorum principiorum eductio erit expectanda: (3) e concretis eductorum pleraque principiorum nomen haud merentur, ſed principiatorum, adeoque in ambiguo manet, an hæc ſub forma, qua educuntur, inextiterint, ſeu an nova decompoſita dicenda: neque (4) principia vere talia, ſeu prout ſunt corpora ſimpliciora, facultatibus concretorum ſenſibilibus formandis exiſtunt adæquata, & ſic nec latentibus forſan, ſeu medicamentoſis; ſed ex mutuo demum particularum conſtitutivarum complexu diſpari variæ mixtorum potentiæ emergunt, E. habitudo etiam relativa illarum in potentiis rerum explanandis erit attendenda, quam evolvere difficillimum. Priora hujus aſſerti momenta in aprico ſunt, aliquid etiam illorum in ſequentibus declarandum: ultimi vero veritatem infinitis poſſem comprobare artefactis, quorum tamen pauca hujus loci faciam. Ex alcali & ſpiritus Nitri combinatione producitur Nitrum, alterius Conſtitutio ſeu textura medicamentorum intrinſeca non ſemper ex eorum principiis dignoſcitur.

 plane

plane texturæ atque facultatum ſenſibilium ac latentium, Sal ſc. inflammabile, refrigerans, laxans, cum ſulphure detonans &c. quale quid neutra hujus partium conſtitutivarum præ ſe ferebat. Ex Mercurio & Sulphure coagmentatur Cinnabaris, ab ingredientium textura & facultatibus maxime diſpar: Sicut ex Aquaforti acido ſeu corroſivo & Argento omnis ſaporis experte, neutro horum laxante, formatur cryſtallus amara, aquas hydropicorum evacuans.

Per conſequens non ſemper ad ſola principia rerum conſtitutiva in viribus medicamentoſis disquirendis ac declarandis advertendum: ſed ſenſibili quoque eorum texturæ aliquid interdum hic concedendum. Quales ſenſibiles habitudines ſeu qualitates communiter dictæ admodum variant, ita ut harum intuitu alia concreta dicantur acida, alia alcalica, alia urinoſa, alia ſalſa, alia nitroſa, vitriolica, alia viſcida ſeu glutinoſa, alia reſinoſa, alia dulcia, amara, alia oleoſa ſeu ſulphurea, alia ſalina, alia terrea, alia aquea, alia corroſiva, ſtyptica &c. Quas proprietates hactenus ſalinas appellarunt, non, quod cunctæ earum vere tales ſint, ſed quod aptiore nomine (ſecundum *Schröderum*) hactenus deſtituantur.

Sed ex ſenſibili quoque eorum habitudine.

Quamvis nec per ſenſoria ſolitaria, ſed arte demum adjuta, hææque partes conſtitutivæ ſeorſim, ac ex mutuo harum amplexu emergentes facultates, eruantur. Modo hoc non tentetur per ſolam ignis activitatem, ſub ſpecie deſtillationis, ſublimationis, calcinationis &c. utpote qui concreta non tantum in partes dividit, ſed nova quoque decompoſita hinc format, diverſimode applicatus, v. g. modo apertus, modo mediante veſica, balneo &c. diverſa illorum phœnomena ſiſtit: prout pariter pro diſparitate præparationum antecedanearum, v. g. fermentationis, putrefactionis, aut non præmiſſarum; item aliter agit ignis in vegetabilia aëre admiſſo, ac eodem excluſo, deſtruit quoque ac perdit partes quasdam ſenſibiles, hinc forſan inſenſibiles quoque. Sed juvant & certiorem reddunt hanc explorationem philoſophicam 1. aliquando v. g. ſolutio atque cryſtalliſatio, ubi ſalium diverſa textura indaganda; 2. aliquando evaporatio, v. g. in urinæ & ſalis marini partibus variis diſcernendis; 3. interdum miſcela ac præcipitatio v. g. decocti gallorum, ſalviæ, ſucci veronicæ, roriſmarini &c. cum ſolutione ſacchari, Saturni aut Vitrioli, hinc

Quam præter ſenſus ars manifeſtat.

Non tamen per ſolum ignem,

Sed per alia quoque adminicula.

hinc pro diverſa Salium textura & copia vegetabilibus ejuſmodi inexiſtentium, plus minus & ſub vario colore conturbatorum; cujus etiam generis eſt ſalium examen, quod fit per commiſcelam eorum ſolutionum cum ſolutione Mercurii ſublimati, ſirupo violarum, cum liquoribus acidis, urinoſis &c. Sicut 4. tentaminibus ejuſmodi miniſtratur ſuccorum vegetabilium cryſtalliſatio, pro tartari eorum, ſalis eſſentialis communiter dicti, diverſo genio explorando: perinde ac 5. menſtruorum diverſorum adaptatio, quorum alia corpora corrodunt & comminuendo in hæc agunt ſc. corroſiva ac mineralia in metalla hisque cognata; alia ſulphureas & reſinoſas tantum particulas ex iis educunt, v. g. ſalia lixivioſa ac urinoſa cum ſpiritibus ſulphureis, alia ſalinas maxime, ſc. aquea.

Neque ſola hæc cauſarum & texturæ indago vires medicamentoſas declarat.

Quamvis nec genuinam virium medicamentoſarum ſcientiam nobis concedat exploratas habere corporum cauſas & modificationes generaliores, ex quacunque demum philoſophorum hypotheſi tales concipiamus; i.e. ſive ſecundum Peripateticos ignis, aquæ &c. variam commixtionem, ſive cum Chymicis ſal, ſulphur, viſcidum, reſinoſum, amarum, acidum &c. ſive cum illis, qui corpuſcularem & abſtractam magis philoſophiam profitentur, materiam, hujusque particularum figuram, ſitum & motum &c. Cum nec ignis, Rorimarino, Centaurio minori, Eſulæ, Ranunculo, Cantharidibus &c. inexiſtens, nec elementum aqueum, Plantaginis Mercurialis, Portulacæ, Violariæ &c. una eademque ratione ſe habeant: Sal Centaurii a Cochleariæ ſale ſine dubio diſcrepet; non idem ſit ſulphur Camphoræ Majoranæ, Cinnamomi &c. Reſina ſcammonii & Gialappæ ſeceſſus moveat, non Benzoes, Terebinthinæ &c. Figura, ſitus & motus minimorum materiæ non determinentur, quomodo in Rhoſis, Rhabarbaro, Carduobenedicto, Terebinthina, Mercurio, Antimonio, Spiritu Nitri, Vitrioli &c. ſe gerant; per conſequens ubique ſub conceptibus generalioribus maneat noſtra de virtutibus medicamentorum ratiocinatio. Quatenus cuncta hæc de cauſis proprietatum his vel illis mixtis particularium ſuppoſita tantis adhuc implicantur difficultatibus, quibus extricandis nulla ſcientia ſufficiat, vix paucæ ac levidenſes conjecturæ, infinitæ atque arduæ concertationes, hinc eveniant.

Combi-

Sed insimul conſulenda experientia.

Combinetur E. his neceſſe eſt Experientia medica, qua in corporibus humanis, per applicationem remediorum adminiſtrata demum, & quatenus cum experimentis & ſermocinationibus philoſophicis concordant ac diſcordant, quid boni malive illa præſtent, deprehenditur, quæ olim aſſerta, confirmantur, falſa refelluntur, certa a dubiis diſcernuntur. Nunquam tamen facile aliquid affirmetur aut negetur, cum infinitæ circumſtantiæ experimentorum tam phyſicorum quam medicorum, decipere queant, v. g. regionum, ex quibus & ad quas naturalia deferuntur, diſparitas, arte productorum diverſa fabrica & præparatio occultata, quibus jungere convenit ſubjectorum humanorum idioſyncraſiam diverſam, cujus ratione activitas medicamentorum evidenter variat. In quibus nihilominus experimentis medicis faciendis caute procedendum, cum non cuncta concretorum ſine periculo valetudinis tentandi cauſa propinare liceat, purgantia v. g. narcotica, canthårides &c. per alia, ſc. alterantia minus activa ſecurius agere poſſimus; ſicut per illa quoque, quæ ab aliis peritis commendata aut per experimenta chymica evoluta novimus. Cujus indigitati periculi intuitu, quædam in brutis potius, quam hominibus, tentanda: licet nec his tentaminibus fides abſolute ſit habenda; cum, quæ brutis quibusdam quadrant, aut minus quadrant, homines contra minus magisve ferant. Confert etiam cum aliis prudentioribus & fidis medicis de rebus ejuſmodi medicamentoſis communicare, horumque experientiam & conſilium deſuper petere: ubi tamen optandum foret, ut non illa tantum exponerentur phænomena, quorum effectus laudabiles deprehenſi, ſed hæcquoque, quorum funeſti, ſive per infortunium, ſive errorem illi contigerint; quæ Scriptorum & Practicorum vana jactantia caute occultat, quo nimirum famæ ſuæ litent, & ægrorum multos ſollicitent; cum tamen perpetui eorum ſucceſſus his minus credendum eſſe doceant.

Hæc quomodo adornanda & indaganda?

Vana ſæpe hæc offenditur experientia.

Rem etiam in arte maxime deſideratam ac deſiderandam offendo, dum vix ullius morbi mentio fit, cui non appropriatum mox venditetur remedium, hocque non unum, ſed tria, ſex, decem & forte plura: neutrum tamen eorum hoc præſtat, quem in finem deprædicabatur, & incaſſum horum plura adhiberi, quotidiana & moleſtiſſima confirmemur experientia, v. g. totidem cephalica, antiſpaſmodica,

ſpaſmodica, anthelmintica, nephritica, antipodagrica, febrifuga, adſtringentia, corroborantia &c. nullius efficaciæ. Rhabarbarum animam epatis, Cinnabarim magnetem Epilepſiæ ait *Crato*, Pulmonum animam Crocum alii dixerunt, Gummi Gottæ gummi contra podagramMonardi volunt moderni, Uſneam cranii humani cũ *Fabr. Hildano* contra epilepſiam commendant alii, Cor leporis contra quartanam, canis rabidi epar contra ejus morſum, inteſtina lupi contra colica tormina: ſi experientiam conſulas, deceptum a vanis ejuſmodi Scriptorum jactantiis te fuiſſe, docebit hæc. Ut eodem jure, quo *Billichius in obſerv. & paradox. chymic. nullibi magis, quam in chymia chymiam deſiderari*, conqveſtus fuit, medicinam medicina maxime opus habere, haud asſerere verear: & quidem non tam pro apponendis iis, quæ deficiunt, quam auferendis, quæ excedunt, ſeu quæ tollat jactantias futiles hominum loquacium, notet remedia fallacia ac artem repurget ab infinitis mendaciis & promiſſis irritis. Inſtructiſſimi farragine medicamentorum potentiorum accedimus infirmos, recedimus vacui & vani, non ſine pudore ac artis ipſiuſmet vilipendio.

Quibus ita ſe habentibus farraginem medicamentorum fugiat, & paucis tantum ſelectioribus ac uſu comprobatis utatur Medicus: ita tamen, ne plurium, ſimplicium inprimis, deſtituatur ſupellectili, ut, ſi, ob quamcunque cauſam, v. g. ægri moroſitatem, aut ſi individualis forſan uni reluctetur idioſyncraſia, aliud ſeligere adigatur, hoc mox præſto ſit. Quemadmodum nec unquam a Lapidibus pretioſis, Margaritis, lapide Bezoar, præter vim abſorbentem ac præcipitantem, quam cum corallis, conchis ſimilibusque terreis communem gerunt, & quæ intra organa primæ digeſtionis terminatur, aliam cardiacam, in febribus malignis ſimilibusque affectibus gravioribus, mihi promittere potui: perinde ac pretium auri civile tantum æſtimare nequeo, ut ideo majoris pretii in Medicina ac inter pharmaca cordialia, cephalica &c. hinc, qui de terra creavit medicinam, primatibus & ditioribus magis proſpexiſſe, credam. Novi, quantum communiter illis fidant Viri magnæ peritiæ non tantum, ſed ſtupidior quoque plebecula, quos utriusque generis ſenſu ſuo abundare promptiſſime largior: quoad me, fateri cogor, experientiam mihi nunquam adeo faviſſe, ut ab ullo recenſitorum, ſive crudo, ſive chymice ſubacto, nobiliores

Habeat medicamenta quivis tantum ſelectiora.

Lapides pretioſi, margaritæ & aurum majoris efficaciæ eſſe,

Nec probari poteſt experientia,

biliores

biliores præ aliis vilioribus & pauperum etiam loculis adæquatis, viderim effectus; hinc nec plus egiſſe illum medicum penes defunctum mihi perſuadere potui, de quo in perſonalibus, quæ ſub exequiarum ſolennitate recitantur, enarratur, quaſi pretioſiſſima & lauta adhibuerit medicamenta, quam qui ſine Bezoardico ſolari, Tinctura Auri, Coralliorum, Margaritis & horum liquore, lapide Bezoar hujusve eſſentia ſuis medicatus fuit, cum illa haud adeo magnifice profuiſſe magnifice defunctus teſtetur. Proin an expectationi eorum ita ſatisfaciant vel ſatisfecerint, ut exin genuinam inferre liceat experientiam, valde dubito, meque dubitare jubent mea pariter ac aliorum, qui minus creduli, nec ſuis medicationibus præpropere abblandiuntur, experimenta: quod idem fatentur diverſi Scriptores Medici, quos, quia in omnium manibus, recenſere ſupervacaneum duco.

Nec ratione. Dum E. experientia experientiæ opponitur, & per hanc ambiguitas rei dirimi forte nequit, rationibus erit decidenda. Gaudere ajunt Aurum præ cœteris metallis potiore Solis, tanquam cordis Macrocoſmi, influxu, & per illius emanationes intra ſe concentratas, metallum hoc vim ſingularem ſanguinem & ſpiritus ab heterogeneitatibus liberandi totumque corpus confortandi recepiſſe; gaudere inſimul ſulphure & Mercurio fixiore ac nobiliore, imo etiam humido noſtro radicali valde analogo: Gemmas de eodem evidenter participare, Margaritas lacte quodam reſtaurativo, hecticos quoque aridos humectante, turgeſcere, cuncta ſpiritus recreare & per ſingularem magnetiſmum irradiare, cerebri ac cordis nebulas ſeu animi mœrores diſcutere, contendunt. Totidem petitiones principii, quot verba, quorum plura recenſere nolo, cum rem non comprobent, ſed meris dubiis implicent: ſemper enim, ut ejuſmodi textura, lucis ſolaris concentratio, vis irradiandi, humidum radicale perpetuandi, ſpiritus vigorandi in iis demonſtretur, vel probabilis tantum reddatur, aut an per ſulphur hoc vel illud tale quid præſtare queat, rogatur & ambigitur.

De auro.

Ab auro, cui cœtera analogæ ſeu conſonæ virtutis creduntur, inchoabo. Sit hoc metallum perfectiſſimum, puriſſimum, fixiſſimum, quas prærogativas tamen, quia in relatione ad cœtera mine-

ralia

talia tenet, an exin, quod optimum & nobiliſſimum ſit medicamentum, concludere licet? Nervum exiſtere idem rerum gerendarum civilium quis ignorat? & ſic mœrores forſan melancholicorum aliquando diſcutere, largior, non propinatum tamen, ſed exterius admotum & manibus volutatum: ridicula nihilominus erit connexio, E. nervis quoque corporis humani robur conciliat, ſeu nervum rerum animalium alacrius gerendarum præſtat. Poſſideat ſulphur fixius ac purius, Mercurium ejusdem generis, qui fixitatem & perfectitudinem illam metallicam ipſi concilient; nulla tamen vis medicamentoſa tantæ excellentiæ ſeu pretii erit ſperanda: cum intimior atque arctior combinatio principiorum ejus conſtitutivorum, hincque compages ſolidior potius impediat, quominus hæc in corpore diſſolvi illaque evolvi valeant. Solaris naturæ dum præ cœteris metallis aſſeritur, dicitur, non probatur: quamdiu oppido conſtat, ſolem lucem & calorem ſuum omnibus mixtis æqualiter impertiri: aut ſi etiam plus de influxu Planetæ hujus participaret aurum, ſub ſolidiore tamen compage nihil hujus corpori, a quo aſſumptum, concederet. Si regerunt, ut fieri recordor, per emanationem virtualem ſeu irradiationis modum idem metallum ſimiliaque minus ſolubilis compagis in totum corpus agere; emanationis illius pleniorem explicationem & unde de hac conſtaret, rogarem. Quod quidem poſtulatum nemini frivolum videbitur, qui attenderit, aliorum concretorum virtutes medicamentoſas, per texturæ immutationem aliorumque admiſcelam ſuppreſſas, fixatas &c. nunquam extra ſphæram ſuam amplius emanare: Sc. ſalia alcaliſata atque urinoſa, poſtquam per acidorum affuſionem in ſalſa mutata, nihil virtutis alcalicæ aut volatilitatis urinoſæ in corpus emittunt, fixata vis cathartica in Croco metallorum per repetitam cum Nitri duplo detonationem, ex Antimonio diaphoretico nunquam in viſcera ac humores emanat, hæcque ad evacuationes per primas vias ſtimulat, Mercurius corroſivus dulcificatus cauſticæ virtutis nihil exerit, aut per hanc ad diſtans operatur; a qualium nihilominus arte paratorum laxiore textura ejuſmodi concentrati emanatio magis metuenda, quam a ſolidiore & minus ſolubili auri compage, niſi forſan ab auro ſimilis irradiatio expectetur, ac à Sole, quod in quæſtione. Ac demum

mum ſi medicamenta ſolaria vel ratione menſtrui generoſioris vel admixtorum, (rariſſime enim, niſi cum Cornu cervi, Antimonio diaphoretico, in bezoardico ſolari, cum opiatis aut quibusvis aliis ſudoriferis vel analepticis, propinantur) ſudores pellant, viribus robur inſpirent: nunquam tamen non dubitare licet, num acceſſoria illa, num Aurum, hos effectus præſtiterint, potiſſimum ſi pauca & paucorum tantum granorum doſi propinentur; aut cum *Ludovico* indignari vanitati huic non vereor, *ad quid perditio hæc?* Contra Epilepſiam qui ſolaria medicamina deprædicant, ideo, quod illa morbus mercurialis exiſtat, Mercurium autem e metallifoſſoribus, aurifabris ſimilibusque artificibus, qui eum frequentius tranctant, aurum educat: miſere philoſophantur, hinc commiſeratione præ correctione digni.

Nec de Gemmis. A gemmis forſan parum itidem activitatis expectandum, ac non plus, quam a ſilicibus; neque uſus earum penes nos nunc adeo frequens, ac olim quidem: utut roſionem aut deroſionem inteſtinorum, quam *Zwelferus* ab earum aculeis veretur, haud tanti faciam. Vix interim apparet, cur tantis ſumptibus propinentur, cum alia terrea & conchilia, iis ſalubriora quam aptiſſime ſuccenturientur, ac minoris longe pretii idem ſecurius ac certius præſtent, quod a carioribus illis nobis ſpondemus: nec earum ſymbolizatio cum auro adeo evidens facta; neque ſi foret, hinc plus virtutis lapidibus his accreſceret, aut contingeret eadem occidentalibus, quas nihilominus vili communiter pendunt, cum orientalibus communis, ſi non major, quod aurifodinis & argentifodinis earum mineræ viciniores &c. Margaritas cur matri perlarum aut aliis vilioribus conchis anteferamus, non video, utpote a quarum textura parum differunt: nec, quod pretio civili cariores, facultatibus medicamentoſis has antecellere credendum, cum, an potior, an vilior & recrementitia, piſciculi hujus pars illæ ſint, nondum conſtet. Ex ſucco quodam lacteſcente uniones coagulari, concedo, an excrementitio, an laudabili, an mor-boſo, an in ſalutem, an excidium, animalculi, cujus progenies eſt, hæreo: nec evidens, an in ſuccum priſtinum illæ intra noſtra viſcera reſolvantur, neque an ſuccus hic tantum virtutis involvat. Sub dubiis E. multifariis ſecurius ſine dubio agimus, cum noſtris ægris, certiora ac minorum impenſarum his propinando.

Cir-

Circa lapidis Bezoar virtutes, quas vulgo circumferunt portentoſas, admittendas hæſitare jubent Medici peritia ac fide præſtantes, v. g. *Valleſius meth. med. l. 4. c. 2. Hofmann. paralip. offic. c. 36. Nardus Anton. Recchus rerum medic. Nov. Hiſpan. 9. c. 14.* & hujus Commentator *Joh. Faber p. 786. Bontius de Med. Ind. l. 1. c. 45. Zwelf. append. ad animadverſ. p. 65. S. Pauli Quadr. Botan. p. 15.* & alii: aſſerentes, non omnes capras, niſi quæ herbis ſaluberrimis veſcuntur, quales illas, quæ Croco & Hermodactylis ſimiles, *Bontius* teſtatur, ejuſmodi lapides producere, nec unius provinciæ, nec ſolas, ſed alia quoque animalia, quale quid de ſimiis idem *Bontius* refert, quem omnium præſtantiſſimum pronunciat; lapidem hunc genuinum rariſſimum in ipſo natali ſolo & in Magnatum tantum arculis ac muſæis reperiri. Ex quibus circumſtantiis colligitur, ſemper metuendum eſſe de lapide adulterino, & genuinum a minus efficaci diſcerni vix poſſe: ita ut, quamvis probas, quibus naturalem a fictitio diſtinguere docuerunt *Bontius l. a. & Phil. Baldée deſcr. Ind. Orient.* fidas deprehendamus, minime tamen hæ determinent lapidem naturalem ex ſalubrioribus herbis coagmentatum, hinc efficacem, præ minus medicamentoſo, ſeu cujus materia non ita ſalubris exiſtit; ut taceam arte forſan quoque probabilem offendi maſſam, quæ tentamina iſta ſuſtineat. Imo ſi attendamus, notante *Valeſio & Fabro* l. a. a Medicis Hiſpanis lapillos hos non in tanto pretio haberi, & quod cum his alii obſervarunt, ab illis in febribus malignis & venenis hactenus credita miracula haud edi, nec hos, quales Nobiles Veneti, perhibente *H. Saxonia* ex relatione *Hofmanni*, manibus propriis ex ventriculo animalis exemerint, aliquid horum egiſſe, neque virtutes adeo extantes in iis hodie obſervamus: merito remedio adeo incerto valetudinem & vitam noſtrorum committere ac tanto pretio vendere ſeu perdere veremur. Dubia etiam eſt virtus lapidis Bezoar.

In medicamentis præſcribendis illi inter alios non leviter errare videntur, qui, ut adſtantium admirationem ſibi pariant, vel pharmacopolas ad laudandum inſtitutum alliciant, Recepta, ut appellant, centenis ingredientibus farciunt; quæ ſane ſi paucioribus, vel uno aut duobus, ſimplicibus conſtarent, ſalubrius forſan præſtarent remedium. Quamvis idem nonnulli agant præ mera ſtoliditate & ru- Male agunt, qui ingentes multorum compoſitiones adornant.

ditate cum illo, de quo a Medico olim ſpectatiſſimo mihi relatum memini, qui formulas longiores ne ſine ratione concinnaret, ajebat, ſe ſingulis corporis membris per eas proſpicere, ſie müſſen auff alle Glieder gerichtet ſeyn. Et verentur ejuſmodi ſocii, ne forte ſterilia videantur eorum inſtituta, niſi ſemper introduxerint radices, ligna, folia, flores, ſemina &c. & quidem diverſorum generum, quorum plerorumque nullam cognitionem vel formæ, vel facultatum, habent: quem in finem ſimplicibus compoſita, compoſita compoſitis confundunt, cunctis tamen imperitiam ac ſtuporem ſuum non modo oſtendunt, ſed ſæpe morbum quoque longius protrahunt, novum ſi non excitant. Imo, obſervante *Scheidero* penes *Scholzium conſ. 260.* ægrorum etiam quorundam hæc eſt perverſitas ac inſania, ut oculos potius ac ventrem pluribus ſine ratione confuſis ſibi repleri, quam paucis ſalubriter & ex arte curari, malint.

Damnantur a præſtantiſſimis Medicis majores compoſitiones non ſine ratione.

Prolixiores ejuſmodi compoſitiones ad nauſeam tradunt poſt Veterum diſpenſatoria, Auguſtanum & Mynſichti armamentarium chymicum, in quibus compoſita quoque compoſitis cumulari, hinc inde obviam fit: ut Sennertum, Platerum aliosque practicos taceam, eadem chorda oberrantes. Morem hunc ſeculi deteſtantur alii, v. g. *Scribonius Largus de comp. med. c. 6. Helmont. in verb. herb. &c.* it. *in pharmac. moderna* ac *in jaculator. modus intrandr. Senn. de conſ. & diſſ. c. 18. Poterius Pharmac. ſpag. l. 2. c. 2. Zwelf. in app. ad animadverſ. c. 18.* & alii doctiſſimi olim Medici, *Hippocrates*, *Galenus* &c. raro operoſioribus compoſitionibus utebantur, ſed uno vel paucis admodum ſimplicioribus mira efficiebant. Quippe primo ipſimet illi faſtuoſi vaſtarum compoſitionum conſarcinatores rationem reddere nequeunt, cur hoc vel illud ingredientium adjiciant. Deinde varia commixta vires ſuas invicem obtundunt, aut novas induunt, ita ut, annotante *J. M. de Gradibus prax. part. 1. c. 1. de cephalalg.* non raro ex multis ſimplicibus non ſolutivis compoſitio emergat ſolutiva, & contra; evidenti ſane argumento, quam ſæpe ex inconcinna ſimplicium confuſione factaque variorum in ſe invicem fermentatione novam reſultare hujuſmodi compoſitionis formam, medicorum ſcopo & ſaluti ægrorum minus conformem; dum contra ſimplicium vires integræ manent & efficaciæ majoris obſervantur;

Virtutis majoris

tur: V.g. Anagallis, teſtante *Hartmanno pr. chym. p.56.* in Mania; ſucus Abſinthii, pulvis Carduibened. Gentianæ & Corticis Peruviani, quibus plures ſanantur febricitantes, quam portentoſis antipyroticorum compoſitionibus; Balſamum Copayva præſtantius contra Gonorrhœam virulentam præ prolixioribus, decoctis, emulſionibus ac pilulis remedium, ut taceam, quanta vulnera & ulcera dyſepulotica per applicationem balſami ejusdem Peruviani, hujus vel illius folii vegetabilis aut ſucci, v.g. Nicotianæ, olei Liliorum, Momordicæ &c. conſolidentur, ſine emplaſtrorum, unguentorum aut balſamorum vulnerariorum monſtroſis compoſitionibus. Spectat huc, quod in dolore nephritico per enemata mitigando cum *Cratone* annotarunt diverſi, v.g. lac, urinam cum terebinthina, decoctum fl. chamom. aut Veronicæ ſimiliaque ſimpliciora plus valere, quam compoſita. Nonnulla vero ſimplicia per miſcelam cum aliis immutari ac noxia evadere, præter illa, quæ modo dixi, varia confirmant experimenta, v.g. Petroſelinum in affectibus oculorum, annotante *Boyle de Utilitat. Philoſ. exper. t.2. p.144.* item Sp. Nitri & Vitrioli ſeparatim remedia exiſtunt, juncta vero in Aquaforti venenum æmulantur; & Hydrargyrum vivum per ſe tuto propinatur ad uncias & libras aliquot in contumaciore alvi obſtructione, ſalibus autem adaptatum corroſivum & toxicum evadit. Et ſi, tertio, diverſorum ac plurium alimentorum aſſumptio ſimul facta non omni periculo caret, nec medicamentorum multorum confuſio adeo proficua erit; potiſſimum cum plura ſimplicium uno eodemq; die aſſumere ſine moleſtia & exagitatione humorum non liceat; ſub plurium etiam concurſu incerti maneamus, cui horum affectus, ſive laudabilis, ſive pravus, adſcribendus. Accedit quarto, quod per variorum & plurium combinationem producantur compoſitiones nauſeabundi non raro ſaporis, ventriculum jamdum languentem & alimenta etiam conſueta abhorrentem commoventes: ut taceam quinto magnas compoſitiones ſumptuoſas magis reddi. Et ſic *Arinold. de Villa nova* vere ſcripſit, *qui poteſt mederi ſimplicibus, doloſe ac fruſtra quærit compoſita;* cui adſtipulatur *Zwelferus in app. ad animadv.* ita diſſerens: *Cum arduum ſit cognoſcere & nemini adhuc ſatis perſpectum, quomodo res naturales, intra etiam limites unius ejusdemque regni, in ſe invicem agant, conſilio magno nobis ſit,*

ut

ſæpe obſervantur ſimpliciora.

ut ſimplicitate in re medica contenti, in congeſtione tot tantumque diverſarum rerum labore inutili ſuperſedeamus & parciores nos præbeamus, atque vel uno ſimplici ſimpliciter, ad quod a Deo conditum eſt, vel ſaltem paucioribus, inter ſe tum manifeſte, tum occulte non contrariantibus, medicinam faciamus, prout pauperes ac ruſtici, quibus non raro a ſummo Medico, ex mera commiſeratione, remedia ſaluberrima revelantur, quibus magna in magnis præſtant morbis, quandoque in opprobrium Medicorum &c. Modo poſterior hic moniti ſui memor non in eodem negotio adeo graviter deliquiſſet & vel in appendice, vel in pharmacopæa regia ſimiles vaſtas medicamentorum variorum confuſiones nobis obtruſiſſet. Paucis, advertente *Renodæo, difficilius parantur ac aſſumuntur ea, quæ pluribus, quam quæ paucioribus, ſimplicibus, conſtant.*

Carere tamen non poſſumus omnibus compoſitis.

Concedere interim & hoc debemus, omni ſimplicium commiſcela nos carere haud poſſe, ſed rei medicæ eam aliquando proficuam deprehendimus, per diverſa momenta: quæ revocare licebit ad duas claſſes, nimirum ipſam texturam ſeu virtutem medicamenti, vel ægri habitudinem, concernentes. Ipſa medici intentio plura in uno pharmaco poſtulat, primo, ſi hoc non, niſi per aliorum acceſſum, tale fiat, v. g. Antimonium ſine detonatione cum Nitro diaphoreticum haud exiſtat, Aurum per corroſionem cum Aqua Regis & præcipitationem cum ſale alcalico aut urinoſo demum ad ſolvendam alvum diſponatur, non fiat Tartarus Vitriolatus, niſi aut ſolutio, aut Spiritus Vitrioli cum alcali Tartari coëat, Mercurius in ſublimatum niſi ſalibus aſſociatus, congeletur, nullum compareat extractum ſeu infuſum, niſi menſtruum appropriatum affundatur, nullus ſirupus abſque ſacchari in decocti vel ſucci medicamentoſi determinata quantitate & hujus ſolutione, non formetur Emplaſtrum, niſi cera, oleum & terebinthina ad minimum concurrant. Secundo, ſi ſimplex propinandum (purgans potiſſimum) ratione ſuæ inertiæ ſeu languoris ſtimulo indigeat, v. g. radix Gialappæ cryſtallis Tartari, Mercurius dulcis ſcammonio ſimilive purgante. Sicut tertio nonnulla clave opus habent, quo abſcondita magis eorum ſubſtantia & virtus evolvatur, v. g. dum flores Sulphuris cum ſale alcalico ac oleo quodam in balſamum rediguntur. Aut ſi quarto aliquid virulentiæ ſeu hoſti-

hoſtilitatis intertextum gerant, v.g.ſi pro mucilaginoſitate & flatuoſitate foliorum Sennæ corrigenda Tartarus his adjiciatur, aut Mercurius currens, cum ſublimato denuo elevatus, draconem corroſivum mitiget & in aquilam dulcem convertat. Ac demum quinto, ſi quacunque ratione ſimplicium vis medicamentoſa intendatur ac magis determinetur, v.g. Salium urinoſorũ per oleorum aromaticorum ad miſcelam. Aſt nec ægri habitudini ſimplicia ſemper ſufficere vel favere, varii caſus comprobant, videlicet ſi penes hunc morborum, cauſæ & ſymptomatum varia obſervetur complicatio, hinc ad plures ſcopos ſimul remedium fuerit dirigendum, quod uno ſimplici peragere non licet, v. g. viſcidum ſolvendum ac educendum per pilulas ex gummatibus, limatura vel vitriolo Martis, Mercurio dulci, reſina ſcammonii &c. Epithema ex reſolventibus & fibras roborantibus parandum, ſi Lochia pellenda ſimulque tormina mitiganda per pulverem ex myrrha, lapidibus cancrorum, caſtoreo & opio. Perinde ac palati & narium delicatiorum fallendarum gratia variæ fingendæ ſunt formulæ, v. g. pulveres ſirupis vel conſervis obvelandi, pilulis ſeu bolis includendi, decocta aliave potulenta ſaccharo vel ſirupis edulcoranda &c.

Quæ cum circumſpectione concinnanda.

Fiat tamen hæc diverſorum comiſcela cum prudentia decenti, quippe non laudatur ſimplicium prolixior farrago, ſed pauca eorum, bina vel trina, miſceantur v. g. gialappa cum ſtimulo ſalino, non plura purgantia cum diverſis acuentibus, corrigentibus, determinantibus &c. Deinde haud combinentur, quæ texturam medicamentoſam evidenter deſtruunt, v. g. cum mucilaginoſis acida, aut eadem acida cum ſalibus urinoſis & alcalicis, niſi forſan ſal ſalſum intendat Medicus, v. g. in mixturis Sylvio olim frequentioribus ex Aceto & oculis cancrorum vel coralliis, in Mixtura dicta ſimplici Paracelſi ſpiritus Vitrioli cum ſpiritu Tartari aut quovis urinoſo, in Tartaro vitriolato ſpiritus Vitrioli ac ſal Tartari. Quemadmodum nec Electuariis quadrat concurſus terreorum atque acidorum, utpote quæ hinc in efferveſcentiam perpetuam abripiuntur: ut taceam v. g. lapidem hæmatitem cum aceto vitriolicum & nauſeabundum contrahere ſaporem, ingratum non tantum, ſed aliquando, v. g. in Hœmoptoë, periculoſum. Spectat huc, maxime vitanda commixtio Salis armoniaci & concharum vel communium vel margaritiferarum,

quæ ſingula febribus intermittentibus appropriata exiſtunt remedia, ac ſine notabili moleſtia aſſumuntur, in pulvere autem ſimul præſcripta, ſi a vehiculo aut ſaliva madeſcant inter aſſumendum in fervorem ſenſibilem, nares ac palatum ferientem, abripiuntur; ideo, quod acidum ſalis Armoniaci in conchas alcaliſatas agens ſal ſuum urinoſum dimittat ſeu exhalare faciat; quale quid in alumine hujusve magiſterio, ſi cum ſale urinoſo, febrifugo v. g. hoc miſceatur, deprehenditur.

Neque adeo refragabor ulli, ſi aliquas compoſitiones, ſive minores, ſive majores, ſive officinales, ſive magiſtrales, de quarum effectibus per multijugam experientiam certior factus, vel quibus ægros adſvetos novit, ſibi ſolennes ac familiares retineat; cum tales per mixtionem variorum etiam aliquando in aggregatum efficax & nobilius determinari, rationi haud repugnet: quin potius illis, præ aliis etiam ſimplicioribus utatur, niſi aliud quid circumſtantiæ particulares ſvadeant. Sc. nemini ſvaſor forem, ut rejiciat frivole confectionem alkermes, Theriacam, Diaſcordium Fracaſt. Spiritum theriacalem camphoratum, Tincturam Bezoardicam, Elixir Propriet., Pilulas Aloëphanginas, de Succino, Pulverem Bezoardicum Senn. Specificum cephalicum, Cachecticum Qv. Ungventum Ægyptiacum, Dialthæa, Populeon, Album camphoratum, Emplaſtrum diachylum ſimplex & compoſ. oxycroceum, diaphoreticum & hujus generis plura forſan: modo horum ingredientium & compoſitionum ejusmodi deprehendat vires, quæ affectui, cujus ratione in uſum vocantur, ſint conformes.

Chymiæ, & chymicorum remediorum præſtantia.

Per Chymiam, ut cætera mittam emolumenta, quæ in humanum genus hinc redundant, totidem morborum producuntur remedia, ut vel ipſe *Riolanus*, poſtquam Scholæ Pariſienſis juſſu Paracelſiſtarum & Chymicorum machinas impugnarat, uſum tamen medicamentorum ſpagyricorum haud omnimode diſſvaſerit: Quod per artem illam hujusve varias manipulationes purum ab impuro ſeparetur, ſicque multorum ſimplicium vires occultæ eliciantur & manifeſtentur, ſubſtantia eorum terreſtris attenuetur ac digeratur, virulentiæ & quævis qualitates peregrinæ corrigantur, virtutesque ſpecificæ evidentius exaltentur. Ipſamet quotidiana experientia efficaciora &

& jucundiora longe declarare videtur præparata ſpagyrica præ Galenicorum rudioribus, crudioribus ac nauſeabundis magmatis: utpote qualia cum ſimplicibus eorum, paucis forſan exceptis, propter odoris atque ſaporis inſvavitatem & molis vaſtitatem nauſeam vel firmiſſimo ſtomacho movere nata ſunt, ut mirari non ſatis liceat, quomodo ab hoc abnuente, & ad ea vel oblata, vel nominata tantum, inſurgente, admitti, retineri, digeri ac effectum deſideratum edere queant; quin præ remedii nauſea & abhorreſcentia natura his minus cooperetur & morbo plus minus concedat. Quale quid de chymice paratis, quæ propter ſui ſvavitatem & minorem molem promptius appetuntur & recipiuntur, haud metuendum, quin potius natura illis felicius connubat, & ſic junctis viribus in morbum debellandum ſimul ſtrenuius agant.

Nec tamen Galenica omnimode rejicienda.

Quæ nihilominus tanti ponderis haud ſunt, quin remediis Galenicis quoque, hactenus perperam neglectis, ſua conſtet ac maneat laus, adhibita nimirum in utrorumque delectu circumſpectione adæquata: id eſt, præſidiis chymicis frequentius paria, imo quandoque efficaciora & congrua magis, deprehenduntur Galenica, ita ut his in praxi omnimode ſuperſedere haud liceat. Cui aſſertioni mox plurimum favet annutus & autoritas anteceſſorum diverſorum, præſidiis artis pharmacevticæ veterum cum ſpagyricis valorem aut parem, aut præ his præpollentem, concedentium: minime quidem Galenicorum, quos amore ſui ſuorumque remediorum ſuſpectos rigidior forſan pronunciaret ſive arbiter, ſive judex; ſed ipſorummet Hermeticorum, & quidem primiceriorum. Inter quos primo vocare conveniet *Paracelſum*, cœterorum facile anteſignanum, qui hinc inde in ſcriptis ſuis remedia morborum commendat ſimpliciora naturalia, rudiora æque ac vulgari modo præparata ac conſarcinata. Jungo huic *Petrum Severinum*, ſtrenuum ejus promachum, quem medicamentis chymicis haud ſemper, ſed Galenicis quoque non raro compoſitionibus, uſum fuiſſe, *Paludanus* non tantum *in epiſt. ad Smetium* teſtatur, & ex ejus fido commentatore *Wilh. Daviſonio*, hinc inde conſtat, ſed ipſa illius *Idea Medic.* docet: ubi penes vulgum remedia plura & efficaciora, quam apud Doctores Medicos, reperiri ſcribit, *Carrichteri* quoque laudat medicamina vegetabilia ſimpliciora, quæ lon-

Commendantur & adhibentur a Medicis ſpagyricis quoque.

longiore medendi uſu invenerit & præpararit. Neque remediis Galenicis omnimode abnuere deprehenditur *Helmontius*, dum non tantum paſſim, v. g. *Imag. ferment.* rerum quarumcunque robur maſculum ſeu activitatem medicamentoſam ab odoribus derivat, ab his tamen, tanquam ſeminum proprietate & viribus priſtinis, pyrotechniæ expoſitas recedere, hinc inde, v. g. *Arbor. vitæ*, ſcribit: ſed ipſemet in caſibus variis diverſa, chymiæ vim non experta, commendat, v. g. Cruorem hirci exſiccatum, ſuccum Cichorii ſylveſtris, flores Papaveris erratici, pulverem priapi Cervini &c. Lapidem Cancrorum inter diuretica & vulneraria extollit, imbecillitati ſtomachi ſolis emplaſtris ſe medicatum fuiſſe, Ungula Equina in butyro frixa & Vitello ovorum cum aceto ſubacta ſe varios alvi fluxus ſanaſſe, commemorat, pulverem contra ſtrumas ex meris ſimplicibus concinnat, Liquorem Betulæ & ſemen Dauci cereviſiæ confermentatum nephriticis, ut præſervativum certiſſimum, ſvadet: alia ut ejus mittam evporiſta vix aut leviter ſaltem, præparata. *Carrichteri* opuſcula ſi evolvamus, hunc equidem ex Theophraſti ſcriptis prima ſua fundamenta petiiſſe, ab eo tamen in diverſis, adeoque in hoc etiam, defeciſſe, obſervabimus, quod nullis præparatis chymicis, ſed mere Galenicis, iisque ſimplicioribus, in medela morborum difficiliorum feliciter uſus fuerit. Quemadmodum *Oswaldus Crollius de ſignatur. rer.* infinita non tantum ſimplicia, eaque maximam partem vegetabilia, contra pleroſque corporis affectus deprædicat, ſed in *Baſil. Chym.* multa præparata Galenica chymicis jungit, v. g. pulverem Sperniolæ compoſitum, Lapidem medicamentoſum, Emplaſtrum Sticticum, pulverem contra Calculum ex lapide Prunellæ, Cyprini, Macere & Croco, Dyſentericum, Serpentum, Ungventum Anodynum: malignitatem inſuper ſuorum catharcticorum Theriaca vulgari, Rob Cydoniorum, Emplaſtro de Cruſta panis aliisque officinalibus veterum corrigere, Electuario ſuo Antimoniato Theriacam, Nucem Moſchatam, Maſtichen, aliaque haud chymice præparata alibi infarcire non erubeſcit. Perinde ac *Joſ. Quercetanus*, Pharmaciæ dogmaticæ Reſtitutor ac Reſtaurator ſummus, nullibi Medicamentis trivialibus equidem acrius inſultat, quam in *Conſilio de arthritide*, vix tamen in eodem affectu præter Hydromel alterans & evacuans, pulverem Diaſennæ, Aloen inſuc-

inſuccatam, Pilulas helleboratas, Tragæam ex auro & varii generis topica, aliquid laudat: perinde ac ad graviſſimos capitis affectus ſe dogmaticorum ſeu Galenicorum remediis feliciter uti in *Tetrade* profitetur: in *Diætetico polyhiſtor.* varios Paſtas, Hordeata, Lac amygdalinum, Panatellas & Conſummata reſtaurantia, Clareta, Julapia, Vina medicata, Pulverem Cachecticum ex chalybe minus præparato; in *Sclopetario* præter externa diverſi generis Alexipharmaca maximam partem Galenica &c. recenſet. Imo in *Pharmaciæ dogmaticæ reſtitutæ* opere pharmacopæam receptam usque adeo deprædicat idem, ut ſi hoc teſte ſtandum fuerit, vix foret, cur alia deſideremus, dum Pharmacopæam ſuam reſtitutam non ſpagyricis ſolum ſed vulgaribus quoque, compoſitionibus inſtructam ſiſtit: ut videri poſſet, ſubjunxiſſe eundem his ſua chymica, in oſtentationem magis, quam quod illis fuerit uſus, vel uti ſvadeat. Et ſi *Foreſti* v. g. aliorumqve modernorum, *Sennerti*, puta, *Plateri*, *Poterii*, *Riverii*, *Hartmanni*, *Sylvii*, *Williſii*, *Sydenhami*, *Liſteri*, *Mortoni* ſimiliumqve, evolvantur commentaria practica, plura penes hos evporiſta & compoſitiones ex Pharmacia vulgari, qvam ex Hermetica, obſervare dabitur; in laboribus atque experimentis chymicis Virorum non rudium, ſed peritiſſimorum.

Quibus recenſitis autoritatibus ſubnecto, chymice parata, monente *Conringio de Hermet. medic. c. 8.* minime olim, niſi pauciſſimis, fuiſſe ullo in uſu, compoſita tamen & præparata ſemper medicamenta uſualia, more paſſim recepto, quantum ex omnium gentium & ſeculorum monumentis ſit diſcere; cum nihilominus nullo non ævo artem medicam quidam feliciſſime factitaverint: unde id ad minimum evincatur, priſcam vulgoque receptam hactenus pharmaciam inique damnari, neque chymicas præparationes ad ſanandum ſimpliciter neceſſarias, neque vulgares cum præparationes, tum compoſitiones, iis ſemper eſſe poſtponendas; quin majoris uſus & efficaciæ non raro videantur. **Raro olim utebantur chymicis**

Quamvis ſi rem oculo minus fugitivo intueamur, in poſteriorem ſeu ſpagyricorum claſſem nonnulla perperam ſatis referantur, Galenicis olim jamdum innotescentia, & non tam operationes chymicorum ſublimiores (ut ajunt) quam vulgares & officinales tantum **Multa præparata referuntur inter chymica, minus talia.**

ſatis craſſas, experta. V. g. Cryſtalli & Cremor Tartari, qui nihil, niſi coagulnm vini acido-terreum per decoctionem cum aqua ſolutum, colatum & evaporatione denuo inſpiſſatum, ſunt. Liquor terræ Martis ſolaris ſeu Haſſiacæ, chymiatris qvibusdam modernis in frequenti uſu, quid aliud, niſi Vitriolum nativum cum aqueo liquore ſolutum, eſt? Vegetabilium eſſentiæ ſeu tincturæ, quas in tractatu peculiari, nomine *Eſſentiarum vegetabilium anatomes*, in officinam chymicam, primus induxiſſe videtur *A. Sala*, per meram producuntur infuſionem Galenicam, ſive adornetur per ſuccum proprium, cum floribus v. g. Borraginis, Tunicæ aliquandiu digeſtum & expreſſum, ſive cum aceto, ſive cum Spiritu vini ſimilive menſtruo ſulphureo, plus minus appropriato, acidulo, v. g. phlegmate vitrioli aut aqua communi, Roſarum, cum Spiritu vitrioli vel Clyſſo Antimonii acuato. Ita ut vix ulla compareat disparitas inter infuſum Roſarum & Violarum, foliorum Sennæ & Hellebori nigri, acetum roſaceum, liliorum convallium &c. vinum abſinthites, & ejusdem abſinthii, foliorum Sennæ aut radicum helleboris eſſentias atque extracta, inter infuſum Violarum, Roſarum, Papaveris rhæados cum aqua fervente vel ſucco proprio, per infuſionem ac digeſtionem multiplicem, pro ſirupis conficiendis adornatum, horumque florum tincturas, cum eadem aqua, leviter acidulata, per meram pariter infuſionem ac digeſtionem eductas. Chiragogia ex animalium oſſibus & cornibus per ſimplicem decoctionem educendi gelatinas nec olidos coquos latet, adeoque his pariter innoteſcere poterat, poſt viſcidi hujus glutinoſi ſeparationem illorum compagem friabilem & trituræ aptam reddi. Hoc eſt, quod Chymici Cornu Cervi, Ebur &c. ſpagyrice ſeu philoſophice calcinatum ajunt, Culinæ parare docuerant, hinc philoſophiam magiriſcio craſſiori illi debent: Unde non mirum, quod eadem cornua, oſſa, dentes &c. ſubſtantia ſua activa magnam partem ſpoliata ſuis propinent ægris philoſophi ejusmodi in culinis formati. Nec ſalium per incinerationem conficiendi rationem priſcos, antequam de Chymia conſtaret, omnimode latuiſſe, vel ſola ſalium theriacalium, Galeno, Aëtio & Dioſcoridi commendata, confectio docere poterat. Crocus porro Martis, quid præter rubiginem ſeu ſcoriam Ferri aliud eſt, ſive cum aqua ſimplici,

ſive

ſive aceto, ſive ſulphure, paretur? vulgo etiam & fabris ferrariis quam notiſſimum & detrimentoſum productum. Neque in aquarum & oleorum vegetabilum per ignem expreſſione antiquitatem omnimode rudem extitiſſe, huic & mulierculis olim ſolennes deſtillationes utriusque generis per deſcenſum docere poterant: imo penes Medicos veteres jamdum fluoris per deliquium in deſcriptione olei tartari ac deſtillationis aquarum & oleorum v. g. penes *Meſuen*, *Vidum Vidium*, *Joubertum*, *Jac. Sylvium*, *Fernelium*, *Rondeletium &c.* mentionem fieri legimus, antequam de Chymia plene conſtaret, ſeu Scholis Medicis eſſet introducta. Ut proin non ſine ratione omni ageret, qui nos quotidie Galenicis uti remediis, quæ chymicorum jactantia ſibi arrogat, & ſpagyrica falſo credi, qvæ Galenicorum, imo rudioris plebis, inventa & obſervata, pronunciaret.

Aſt, quod præſentis magis ſcopi, haud adeo inſuper difficile mihi erit, evincere, remedia Galenica in morborum medela non raro congrua, & efficaciora magis, ne dicam, tutiora, exiſtere: & quidem per experientiam pariter ac rationem, fulcra Artis perquam firmiſſima. Priorem praxis ſuggerit quotidiana, qua, vel ipſis Chymicorum Principibus, *Paracelſo* videlicet, *Helmontio*, & utriusque Promacho ſtrenuo, *Starkey Anglo*, *pyrotechny aſſerted* & aliis ſpagyricis interpretibus teſtantibus, in concretis ſimplicioribus perfecta reperiuntur morborum remedia, & tot vel ultimi tantum ſeculi Commentarii, aut merè Galenicorum ſine omnibus remediis chymicis ſolisque ſuis, aut Galenico-Spagyricorum, nunquam aut rariſſime forſan, ſine vulgaribus, curationes morborum abſolvi, declarant: Evolve eos, ad minimum, quos hactenus recenſui.

Galenica ſæpe ſunt præſtantiora & tutiora.

Neque adeo prompte auſcultandum eſt chymicarum præparationum patronis, quaſi in ejusmodi concretis medicamentoſis Ars nihilominus Naturam juvet, eorum fœculentias ſeparando, cruditates digerendo ac maturando, virulentiam ac malignitatem corrigendo, & ſpiritum internum æthereum ſeu virtutem ſpecificam eruendo ſeu exaltando. Quippe ſi rem penitius & omni ſepoſito præjudicio, penſitemus, chymiæ operas haud mere ſecretorias & rectificatorias, ſed aliquando confuſorias, ne dicam corruptorias ſeu deſtructorias, offendimus, adeoqve *artem hanc non minus laborare, quam*

Nec chymia ſemper medicamenta exaltat.

cor-

corpora, qvorum curam ſuſcipit &c. cum *Billichio* aſſerimus. Jactant ſeparandi purum ab impuro ſtudium ac artificium ſibi ſolitarium Hermetici, qui non raro ſumma imis miſcent, & quorum conatu infinitæ ac graviſſimæ hinc inde confuſiones ſeparationum & purificationum nomine irrepſerunt. Accedit vel quod illorum paucis forte aliquid venenoſi, & corpori noſtro hoſtile, inexiſtat, dum eorum pleraque, vegetabilia potiſſimum, ſine omni non modo noxa, ſed cum manifeſto emolumento etiam, adhibentur, ac in his, ſi notorie toxica & purgantia vehementiora excipias, nihil ejus demonſtratum fuit: vel quod, quamvis quibusdam, non omnibus tamen, tantum fœculentiæ & cruditatis ſubſit, quod vires eorum medicamentoſas retardet atque moretur; reperianturqve horum multa, quæ nulla artis ratione uſui medico accommodari poſtulant. Et ſi forſan pluribus tale quid vel virulenti, vel fœculenti, inexiſtat, vix tamen concipiendum, quomodo horum ſecretio, integra manente concreti modificatione ſpecifica, fieri queat: utpote qva ſoluta vis medicamentoſa perit, ut in purgantibus & hypnoticis evidenter cernimus, quorum vis draſtica & ſtupefactoria ſine facultatum deſideratarum ſenſibili refractione atque everſione corrigi nequit; dum, quæ in relatione, ad noſtras digeſtiones equidem recrementitia ſunt, ad concreti nihilominus integritatem medicamentoſam ſpecificam concurrunt. Aut ſi etiam nonnulla eorum recrementa vere intertexta gerant, a viſcerum tamen noſtrorum interna habitudine hæc eadem facilitate ſeparantur, ac alimentorum heterogeneitates excrementitias a ſucco alibili ſejungit viſcerum digeſtoriorum habitudo organica, nulli arti qvod conceditur: a craſſamentis etiam ac ſordibus his illa per deſtillationem, calcinationem ſimilesque manipulationes ſpagyricas omnimode liberari, dicitur, non probatur. Et qvod de ſalibus, ſpiritibus & quintis eſſentiis ſuis, ad ſubtilitatem ætheream & penetrandi vim ſummam exaltatis jactant Hermetici, quaſi hæc ſola ipſis principiis corporis noſtri conſtitutivis ſe inſinuent, cum his ſymbolizantia, ipſum fontem vitæ ſubeant, balſamum vitale integrum conſervent & impuritatibus contaminatum priſtino nitori reſtituant, quale quid a Galenicis vix expectandum foret: vel de paucis admodum ſpagyricis uſualibus admittendum, qvod eorum

Nec cuncta ſimplicia correctione opus habent.

Nec chymica nobis adeo quadrant.

rum non tantum multa fixiore & ſolidiore compage gaudeant, ſed penetrantiora ac ſubtiliora etiam minimis noſtris vitalibus valde diſparia minusque homogenea deprehendantur; vel certe nec cunctis Galenicis, ſive naturalibus, ſive præparatis, denegandum, poſtquam haud facile nominare licet morbum, quem ſine chymicis præſidiis ſanare nequeamus.

Quod ut exemplis declarem, nonne ipſimet chymiatri in quotidiano uſu cum Galenicis clinicis habent illa abſorbentia terrea ſimpliciora, ſive refrigerantium, ſive alio nomine his veniant v. g. Ebur, Corallia, Lapides Cancrorum, Matrem perlarum, margaritas ac Cinnabarim nativam & quidem cum ſingulari ægrotantium ſuorum emolumento; adeo quidem ut plerique practicorum modernorum, haud in Chymia hoſpites, minus hæſitent in fixioribus ac crudioribus, quam in ſalibus ſuis volatilibus, ſpiritibus ac tincturis præſcribendis. Limaturam Martis nonne iidem Medici Spagyrici emunctiorum narium ſuis crocis, vitriolis & tincturis in affectione hypochondriaca aliisque pathematis chronicis ingenue ſubſtituunt, imo præferunt? cum illis, qui antiquiori pharmaciæ addicti, illam in caſibus ejusmodi longe efficaciorem obſervantes & ſcriptis publicis ultro fatentes ac teſtatum facientes. Rhabarbarum & hujus generis alia cathartica nonne commodius evacuant crudiora, quam hinc educta, extracta, Eſſentiæ atque Salia: ſicut ipſummet *Starkey* confitentem & ſcribentem legimus, ex uncia integra Rhabarbari paratum extractum minus longe evacuare, ac ipſius radicis crudioris & in ſubſtantia propinitæ drachmam unam. Ope abſinthii, cui vim variis medendi morbis ipſemet adſcribit Paracelſus, hujusve ſucci, plures ſane febres plebs ſanat, quam per Eſſentiam, Extractum ac Sal medici chymici, qui illa ſapientiores videri malunt. Cujus forſan etiam generis eſt Cortex Peruvianus, quem ſub pulveris ſimplicioris forma antipyreton experimur fidum, præ ejus eſſentia aut extracto, ne dicam infuſo atque decocto. Lapidem Manati antinephretica vi pollere teſtatur ejus pulvis, nulla hinc producta chymica. In ſalium ſalſorum enixu multum laboris inanis conſumunt Chymici, a Nitro, Sale marino & Ammoniaco officinali cum pares poterant expectari virtutes deterſoriæ. Vitriola producunt Martiale, Venereum, ac tandem

Etiam chymiatri frequentius utuntur vulgaribus ac Galenicis.

Imo chymicorum præparationes ſæpe ſunt ſupervacaneæ.

Hermaphroditicum, conatu ſane monſtroſo atque inſulſo: cum ipſæ venæ ſubterraneæ ejusdem generis & effectus promant minerales ſuccos. Sulphuris ſublimationes adornant ac repetunt, ad florum ſubtiliorum & impalpabilium texturam magno molimine multisque carbonibus officinæ Spagyricorum; quales nihilominus æque difficulter ſolubiles noſter ſtomachus, nec efficaciores pulmoniaci, præ ipſo communis ſulphuris pulvere, experiuntur: ita ut *Zwelferum*, ſtrenuum officinalium vulgarium correctorem & cavillatorem, hunc illis majoris æſtimare, ex ejusdem *animadverſionibus in Pharmac. Aug.* luculentiſſime conſtet. Cinnabarim ex ſublimato & Antimonio parant & multiplici ſublimatione rectificant, negligentes nativam, in venis ſubterraneis, ex ſimplicioribus Mercurii & Sulphuris fuliginibus coagmentatam.

Galenicorum vero aliquando haud omnimode incertæ.

Neque operationes pharmacevticæ vulgares adeo ineptæ ac inſufficientes ſunt, prout quidem ab oſoribus earum proclamantur: cum nec ipſis Paracelſiſtis diffitentibus, ſatis etiam effaſcinatis, *Starkey* v. g. a mera & culinari decoctione quorundam concretorum medicinalium virulentia evidenter dometur, fæculentiæ ſecernantur eademque ad ſalubriorem uſum diſponantur. Nolo prolixius evagari, cum facillimum foret, oſtendere, quomodo iis inexiſtens, ſtomacho minus diſſolubilis, ſubſtantia reſinoſa, quam ſola arte Spagyrica removeri putant, levi etiam alia præparatione tolli queat; ut in Aloës lotione Galenica, a *Zwelfero* eodem dudum exploſa, & vel per aquam communem, vel quemcunque ſuccum vegetabilem aqueum, adornata, experimur, & quam ipſi moderni commendant Chymici: quod per eam reſinoſum ejus, ventriculo noſtro minus congruum, a gummoſo & alvum blandius ſubducente removeatur. Sed, quo intra limites, quos ipſimet Spagyrici innuunt, me contineam, nonne digeſtio aut decoctio tantum vulgaris in corrigendis ejusmodi medicamentorum incongruitatibus multum præſtat? v. g. in Aſari noſtratis radice, quæ in ſubſtantia & ſimpliciore infuſione vomitus enormes movet, virulentiam vero hanc catharcticam, cum aqua communi ſaltem ſi decoquatur, deponit, & diuretica ac ſudorifera evadit; imo perhibentibus *Horſtio* & *S. Pauli*, potentiori ac diuturniori tantum ſuper marmore triturationi expoſita, quicquid emetici habet,

ex-

expirat. Liceat mihi hujus loci facere radicis Caſſavæ ſeu Mandihocæ, Indiæ occidentalis incolis maxime familiaris, ſimplicitatem crudam, homini & brutis noxiam & venenoſam valde, quæ nihilominus ſimplici decoctione eousque corrigitur, ut, perhibente *Carolo Piſone* alimentum non ſolum gratum, ſed antitodum quoque prodeat. Leviter equidem vegetabile hoc toſtum virulentiam illam eousque deponit, ut eo utentes non amplius interficiat, tormina tamen ventris adhuc concitet: a ſucculentia vero ſua torcularis vi liberatum farinam præbet, in ſalubrem panem piſtione ſeu coctione redigendam, dum ſuccus expreſſus paucarum horarum digeſtione in potum, cereviſiæ analogum & ſvavem faciſſit. Gloriantur inique de ſalibus ſuis omnis generis Hermetici, quaſi ſola hæc corporis intimiora permeent, & horum affectus contumaciores ſolvant: quidni hoc ſperabimus, ac experimur a diverſis vulgaribus ac domeſticis, crudioribus non minus, ac præparatis? A Decoctis v. g. Lignorum luis venereæ aliorumque morborum, quorum auxilia obſervantur, certiores & frequentiores cernimus medelas, quam ab horum eſſentiis, extractis, ſpiritibus &c. Pectori & pulmonibus, vel infarctu pituitoſo vel tuſſi phthiſica laborantibus decocta itidem pectoralia & vulneraria plus levaminis conferunt præ chymicis productis cunctis, utpote non ſufficientibus & in caſibus ejusmodi aliquando ſuſpectis: ut taceam, Lac animalium & hujus ſerum, lacticinia culinaria, gelatinas & brodia cancrorum, limacum &c. recte majoris æſtimari in phthiſicis, hecticis, ſcorbuticis, quam amplior medicamentorum chymicorum apparatus; ne mentionem faciam Thermarum atque Acidularum naturalium, majoris præ chymicis remediis frequentius efficaciæ. Aperientium radicum ſimiliumq; decocti virtutem penetrandi in dubium vocare haud abſonum foret, niſi diureſin, quam manifeſte cient, negare malimus: Terebinthinam penitiora corporis ſubire, odor violaceus, quem lotio utentis imprimit, docet. Tartarum ſuperficialiter lotũ cur non cryſtallis ejus, ſi non cum quibusdam practicis præferamus, ad minimum æquiparemus, quid moratur? & quidni in caſibus, ubi a primis viis detergere convenit mucoſitatem p. n. eundem ſuo ſpiritu, ſale & tinctura potiorem judicemus? Sal ex reſiduo ſpiritus ſalis Armoniaci eductum, antihypochondriacum & antiquartium ſingulare

Etiam vulgaria & Galenica efficacia exiſtunt remedia.

lare proclamat rude Chymicorum vulgus: idem quod præſtare poterat ipſum ſalis armoniaci concretum integrum.

Per chymiam ſpecifica textura & vis remediorum deſtruitur.

Verum enimvero, quo enarratorum hactenus ratio quoque pateſcat genuina conſtetque planius, cur officinalia vulgaria iis, quæ ignem philoſophicum magis creduntur experta, non poſtponenda, quin potius frequenter anteponenda ſint & ad morborum medelam poſtulentur, advertendum puto, pauciſſima inſtrumentorum & operationum chymicarum deprehendi, quæ in concreta, ſine texturæ horum evidente analyſi ac partium integrantium divulſione, hinc virtutis ſpecificæ & medicamentoſæ deſtructione, agant: unde, quales promittebant naturalia integra minusque alterata, effectus a productis his expectare vix liceat. *Ratum E.* inquit *Helmontius arbor. vit. quod, quamvis deſtillando fiant acutiora adeoque magis activa, tamen eo ipſo recedant & alienentur a genuina ſeminum proprietate. Quia ignis eſt mors artificialis, quæ ſi aperta flamma fiat, contingit per ſeminum & Archei extinctionem. Mors autem naturalis rerum præſupponit laſſationem ſeminum: mors autem artificialis, quæ non fit per flammæ conſumptionem, ſeparat quidem volatilia a fixis, ſed cum diſſolutione & morte vitæ ultimæ concreti &c.* Et paulo poſt: *Proinde non licet deſtillatorum vires ponderare e concreto, unde emanant, nec credere licet, quod, etſi vires rerum non ſint abolitæ, non extinctæ aut per ignem plane defunctæ, ideo rerum priſtinas virtutes per ad uſtionem non innovatas.* Quale quid idem, veritatis impetu adactus, profitebatur, *de poteſtate medicamin. Hoc unum ſaltem adhuc memorabo, quod chymica potius artis, quam naturæ, vi nativa, agerent, eo quod illorum initia per ignem parta & immutata eſſent &c. &c.* Imo ab Hermeticis multæ peritiæ & acuminis validioris plus quam ad ſenſus demonſtratum & evictum legimus, ac vel ex allegatorum textuum Helmontianorum ſubſequentibus verbis etiam conſtat, ignem eorum cæteraque inſtrumenta non ut mere ſecretoria, ſed combinatoria & transmutatoria pariter, attendenda fore. Unde ſana ratio quemlibet inferre jubet, haud equidem omni plane potentia medicamentoſa producta Spagyricorum deſtitui, v. g. Salia lixivioſa, urinoſa, reſolvendi, attenuandi, acidum præcipitandi, ſudorifera virtute pollere, ſpiritus ſulphureos penetrando agere, extracta atque eſſentias aliquid ſubſtantiæ

Me-

Medicamentoſæ ab integro deradere & deraſum advehere: eſſe nihilominus hoc tantillum & cauſæ morbificæ exturbandæ minus adæquatum, perire cum ſalium ac ſpirituum, per fermentationem, putrefactionem ac deſtillationem mixti ipſius odorem, ſaporem, cæteraſque qualitates ſenſibiles &,quam hæ promittebant, virtutem cephalicam, uterinam, febrifugam & tantum non infinitas alias ideas a primo rerum Creatore illis conceſſas.

Sal v. g. ſuccini acidum, minus inflammabile, in aqua vero deliquabile, alienum plane reperitur textura ab ipſa ſua matrice bituminoſa, amaricante ac deflagrabili: adeo ut quam præſtat potentiam alias reſolutoriam in catarrhis acribus inſpiſſandis ipſum ſuccinum, illud ejus productum præſtare nequeat. Chalybis crudioris pollen hypochondriacis affectibus ad nutum medetur, acidum hoſtile primarum viarum imbibendo & cum hoc in crocum ſeu mavis vitriolum congrediendo: quale metallum acidis externis, ſub croci, vitrioli ac tincturæ confectione jamdum ſaturatum decompoſitum evadit, quod arma priſtina depoſuiſſe & debellando hoſti inerme atque imbelle deprehenditur. Provocat Spiritus vini è vegetabilibus aliquid oleoſi ſeu reſinoſi, nihil ſalinæ aut alterius ſubſtantiæ integrantis atque ſpecificantis: extractum E. per ejusmodi infuſionem paratum, abſinthii v. g. quia non omnes vegetabilis hujus partes conſtitutivas & principium ſeminale formantes continet, ſimplici abſinthio febres minus potenter fugat. Sal, Nitrum, Vitriolum, Sal Ammoniacum quantum a ſpiritibus ſuis differant ratione qualitatum ſenſibilium, declarare ſuperfluum: viribus E. etiam medicamentoſis hos latices â concretis ſuis integris multis paraſangvis diſtare, in propatulo eſt. Quemadmodum nec, quod poſt incinerationem ex vegetabili elixiviatur, Sal, utpote omnis ſaporis atque odoris ſpecifici ſuæ matricis expers, idem, quod integrum agere valet. Flores Tunicæ, Roſarum &c. ſpiritus noſtros inſigniter & per contactum quaſi immediatum recreant: quis adeo ſublimem energiam ab acidulatis officinarum illorum expectabit Tincturis? utpote quarum uncia integra vix bina vel trina grana ſubſtantiæ vegetabilis continet, & quidem cujus ſulphur aromaticum per acidum evidenter refractum. Magiſterium Sulphuris, quod lac hujus ſucci mineralis ajunt

Quod exemplis declaratur.

communiter, licentia forſan ſatis puerili, crudo ſulphure minorem longe in corpora pulmoniacorum exerit potentiam, per coctionem cum lixivio quia ſulphur non tantum ſolvebatur, ſed transformabatur quoque per præcipitationem ab aceto factam, quoniam fixabatur & in vincula conjiciebatur arctiora ejus virtus balſamica. Concludo proin, remedia Galenica Spagyricis virtute haud ſemper inferiora & in exturbandis affectibus p. n. non raro commodiora atque efficaciora exiſtere.

Propter ſvavitatem chymica non ſunt antepo-nenda.

Et quemadmodum Chymia hujusve producta, ſub minore mole propinabilia etiam hoc utilitatis & facilitatis Arti noſtræ conciliarunt, quod horum pleraque ſine minore moleſtia ac nauſea aſſumi queant: ita in abuſum mox abiit hæc gratia ſeu gratificandi ſtudium, ut delicatioris palati ægri non tam ad medicamentorum vim, quam aſſumptionis ſvavitatem & facilitatem reſpiciant, i.e. non tam ſanitati, quam guſtatui, litent, obfirmati in præjudicio, a Medicis aſſentatoribus ipſis ſubminiſtrato, majores ſub minore doſi quieſcere vires. Unde factum, ut in praxi hodierna medicus ſedulus aliquando plus curæ impendere urgeatur ſvavitati, quam ſanitati, ſeu plus cogitet de ſeligendis remediis gratis, quam proficuis. Neque ambigo, quin, ſi Galenicorum rigori & ingratioribus paulo medicamentis plus ſe ſubmitterent noſtrates, ut ſuperioribus temporibus fiebat, promptam & gratioſam ſeu gratam magis ab ingratioribus experturi ſint medelam.

CAPUT XXII.

De *Chirurgicis remediis.*

Chirurgiæ efficacia ac neceſſitas.

CHirurgiam artem eſſe, quæ inſtrumenta certa, morbis curandis neceſſaria, ſubminiſtrat, adeoque Medicinæ partem conſtitutivam, nemo ambigit. Hæc enim eſt efficax illa ferro & igne armata Medicina, quæ Herculea quaſi manu ac robore hoſtes ſanitatis quosvis ſtrenue adoritur ac feliciter expugnat, illos quoque, quibus cætera inſtrumenta ſeu arma medica minus ſufficiebant. Innuit hoc *Hippocrates 8. aph. 6.* ubi, quæcunque non ſanant medicamen-

menta, ea ferrum ſanare, quæ ferrum non ſanet, ea ignem ſanare, quæ ignis non ſanet, ea incurabilia putari oportere, ſcribit. Quam artis hujus prærogativam effectus ejus adeo evidenter teſtantur, ut, juxta *Celſum præfat. lib. 7.* cum in morbis multum fortuna conferat, medicamenta & victus regimen ſæpe ſalutaria, ſæpe vana, deprehendantur, hinc dubitari poſſit, ſecunda valetudo artis, an corporis, beneficio obtigerit: in chirurgiæ tamen adminiſtratione evidentius conſtare, omnem profectum, utut ab aliis aliquando juvetur, hinc plurimum trahere, nonnunquam ſolitarie dependere; ita ut morborum chirurgicorum totidem ſpeciebus tot operationes manuales ſpeciales, tanquam totidem remedia certiſſima, opponantur, & ab his rariſſime non eveniat aut evenire poſſit, quod Chirurgus intendit, indicans poſtulat. Labia vulneris ſuturis & faſciis adducit & adducta conſervat Syntheſis; Oſſa acetabulis juncturarum emota reſtaurat eadem per taxin manualem ac repoſita firmat congrua deligatione. Magis obvia eſt neceſſitas ac certitudo Diæreſeos, quæ hinc etiam omnium operationum ſpecialiorum ampliſſima & polychreſta maximopere videtur, adeo ut totam Chirurgiam ferri & ignis nomine complexus fuerit Hippocrates: in aperiendo ſcilicet abſceſſu, incidendo vinculo lingvæ latiore, Aretarum perforatione, fiſtularum inciſione, artuum ſphaceloſorum extirpatione &c. ac cœteris cooperationum chirurgiis eſſe potentiam, maxime evidentem, ex luſtratione earum non poteſt non innoteſcere; ut proin *valde turpe* pronuncietur ab *Hippocrate de Medico t. 5. non contingere a Chirurgia, quid velis.*

Perinde E. ac nullum membrum ſeu organum a corpore, cujus pars integralis eſt, ſine hujus mutilatione ac deturbatione avellitur, & aliarum artium inſtrumenta ab iis non, niſi inepte ſeparantur: ita Chirurgia a Medicina & Medico ne conceptu quidem ſecerni valet, & Medicum verum ſeu perfectum ſe gerere minime poterit, qui integram curandorum humani corporis morborum cognitionem ſibi non acquiſiverit, hinc chirurgiæ peritia juxta alias artis partes, non fuerit inſtructus. **Chirurgia a Medicina non ſeparanda.**

Et primis quidem Medicinæ Statoribus ac Profeſſoribus Chirurgiam & Jatriam fuiſſe indivulſas, antiquitatis monumenta perhibent **Eam coluerunt & exercue-**

ſunt Medicorum Principes.

bent, ut Æſculapium etiam χειρουργικὸν *Apollodorus 3. de Deorum origine* appellet, Hippocratem utramque coluiſſe atque exercuiſſe, Galenum Romæ venam incidiſſe, vulnera gladiatorum deligaſſe, fracturas coaptaſſe, utriusque Commentaria loquuntur, imo poſterior, ſi in Aſia diutius manſiſſet, oſſa calvariæ fractæ ſe terebraturum fuiſſe, *6. meth. med. cap. ult.* referat. Eosdem binos medicorum Principes chirurgica ſcripſiſſe, docent horum Volumina, *Hippocratis* videlicet *de Officina Medici, Medico, de dec. ornatu, de articulis, de fracturis, de capitis vulneribus, de fiſtulis, de exſectione fœtus &c.* ac *Galeni* in pleraque hæc ſcripta commentarii, item opuſcula *de faſciis, de Laqueis, de Hirudinibus, de Cucurbitulis & Scarificatione.* Nec defuerunt in combinanda Jatrica & Chiriatrica illorum ſucceſſores & interpretes, Græci æque ac Arabes, nempe *P. Ægineta, Aëtius, Amidenus, Oribaſius, Albucaſis, Avicennas*, & ex Latinis *Aurel. Cornel. Celſus:* quemadmodum proxime antecedanea quoque ſecula medicos multos aluerunt Chirurgicos, v. g. *Guidonem de Cauliaco, Tagaultium, Marianum Sonetum, Angelum Bologninum, Veſalium, Fallopium, Aquapendentem, Johannem de Vigo, Guilhelmum de Saliceto, Petrum de Cerlata, Julium Cæſarem Aurantium, Johannem Arcæum, Adrianum Spigelium, Vidum Vidium, Stephanum Gourmelianum, Botallum, Pigræum, Peccetium, Curcannum Leonem, Jacob. Berengarium Carpum, Petrum Paſſerium, Joh. Bapt. Corteſium, Th. Fienum, Paræum, Jeſſ. a Jeſſen, Proſperum Alpinum, Gabrielem Ferrarum, M. A. Severinum, P. Paawium, Scultetum, Barbettum, Hornium, Petrum de Marchettis*, ut alios modernos magis taceam, qui editis ſuis Medicinæ pariter ac Chirurgiæ multum proſpexerunt, hancque non minus ac illam ſtrenue exercuerunt. Id eſt, perinde ac Hippocrates illos Medicos ajebat, qui luxatis, fractis &c. manu medebantur, ac Libellos *de Medico, de Dec. ornatu & officina Medici*, non Chirurgi, ſed Medici, gubernationem ac œconomiam, ſecundum quam Medicus officinam inſtruere debeat, vocat; ſic ab *Homero* Chirurgus Ἰατρὸς κατ' ἐξοχὴν dicebatur: ſeu tunc temporis Chirurgus a Medico non diſcernebatur, ſed unus idemque erant ambo.

Qua occaſione illa a Medicina

Factum nihilominus poſtea & quidem primo priſcis mox temporibus, ut per conniventiam Medicorum, Medicinæ deſeruerit conjugi-

jugium Chirurgia, Romanorum inprimis, a quibus miniſtri, qui illorum operationibus frequentius adſtiterant, ad viliores ſeu leviores operationes admittebantur, ac propter ægrorum multitudinem ad quosdam horum ablegabantur, ut vel ex *Galeno de medic. facult. ſecundum loca c. 2.* patet, ubi, ex Argigenis ſententia vulnerum capitis leviorum & medico legitimo non opus habentium meminit. Qua occaſione tandem miniſtri illi affectus & operationes graviores etiam aggrediebantur, & per injuriam temporis Medicorum directorio ſe plane ſubtrahebant, adeoque peculiare doctrinæ ſeu artis genus ſibi formabant. Donec deinde & hoc ipſo noſtro tempore per ignorantiam aut oſcitantiam eorundem Medicorum artis pars, quæ manu curat, a toto omnimode fuerit avulſa: adeo ut, querulante *Riolano*, *Chirurgi hodie non miniſtros amplius ſe gerant, ſed nobiſcum in rebus medicis ſint conſultores, morborum denominatores ac luſtrici parentes ipſarumque curarum directores.* Medici interim, ruditate ejuſmodi deſidioſa pollentes, ut ignorantiam ſuam celent, aut in ſe pietatem & æquitatem, ſuum cuique tribuentem, fingunt, aut Medicinæ autoritati operationes ejuſmodi mechanicas ſuperciliosſe derogare ajunt; hinc omnem affectus manuariam operam poſtulantes, quaſi ad ſe non ſpectarent, abſolute ad barbitonſores mox ablegant, potiſſimum in noſtra Germania, ubi per levitatem illam Clinicorum, Phyſicorum olim dictorum, præſtantiſſima hæc Medicinæ pars illis fuit concredita, perinde ac de Luſitanis ſuis refert *R. a Caſtro Med. Polit. 2. c. 3.* Quæ imperitia quorundam Medicorum etiam occaſioni fuit, cur affectus graviores, a Chirurgis tractandi, ad opiliones, carnifices ſimilesque temerarios fuerint devoluti, ſuaſu ſcilicet & annutu illorum: qui, cum Chirurgorum ruditatem levare deberent, per imperitiam autem ſuam non poterant, eam mox vehementius accuſant, & ut agyrtas ejuſmodi adeant, ſuadent; quo nimirum etiam hac ratione ſuam infirmitatem diſſimulent, præclaro prætextu, ſibi cum illis ſpuriis chirurgis conſultare ſeu collegiare per artis autoritatem ac religionem non licere. Imo tertio, ni fallor, ad divortium hoc perpetuandum facit, quod multi Commentatorum chirurgicorum artem hanc tractarint in concreto, i. e. egerint promiſcue de omnibus partium externarum

fuerit ſeparata?

Ppp affecti-

affectibus, horum non tantum cauſas & ſigna, ſed curandi quoque rationem, diæteticam & pharmaceuticam pariter ac chirurgicam, tradentes, illos affectus chirurgicos appellando, ſicque peculiarem ab aliorum morborum therapeia, medendi artem formarint, v. g. *Guido de Cauliaco, Tagaultius, Joh. de Vigo, Petrus de la Cerlata, Veſalius, Lanfrancus, Corteſius, Guilh. de Saliceto, Pigræus, Paræus, Peccetius* & recentiores, ſi paucos excipias, fere omnes. Qualibus ſyſtematis evulgatis non poterat non fieri, quosdam, cœteris medicinæ partibus ac commentariis ſpretis, Chirurgicorum tantum illorum morborum medelæ ſe applicuiſſe, ſibi peculiarem a Medicina artem finxiſſe, ſeque Chirurgos, cœteros Medicos Phyſicos, appellaſſe; reipſa non Chirurgiam ſolum, ſed cœtera quoque medendi inſtrumenta, rapuiſſe ſibique vi & clam vendicaſſe. Quibus denique per temporum injuriam acceſſit, ut inſtar opificum & mechanicorum illiberalium, Chirurgi quoque in conſortia ſe receperint, hæcque a Magiſtratu legibus & privilegiis certis inſtructa ac obfirmata fuerint: quibus obſtrepere, aut legum contemptus, aut ſordities, a vulgo æque ac prudentioribus cenſetur.

Olim Romæ Medici miniſtros ſuos, qui eorum paraſtatæ quotidiani, & nihil non omnimode ex jugi obſervatione addidicerant, ſeu in arte aliquos progreſſus fecerant, ipſis ægris interdum manus admovere jubebant & minus arduas operas iis committebant, quandoque ſolos ad ægros ablegabant, ut modo dictum: poſtmodum vero iidem homines, bonarum literarum ac diſciplinarum fundamentalium ignari, auſu temerario, magiſtrorum ſuorum miniſterio ſe omnimode ſubducentes, Chirurgorum nomen, quod Medicorum erat, capiebant & uſurpabant, hinc peculiarem ordinem in civitate conſtituere ſibi præſumebant. Quem quidem morem ad Noſtrates quoque translatum, ne cavillatoribus obtrectandi anſam ſubminiſtrem, ambiguum reddere nolo, multo minus amanuenſium horum miniſterium arti & nobis derogare: derogare tamen utrique ineptiſſime ac inique videntur, qui hoc proterve a ſervis tentatum & a Præfectis oſcitanter conceſſum inter Medicinam ac Chirurgiam divortium admittunt ac propugnant, omnem per manuum uſum medendi rationem illis concedunt, huicque ſe omnimode abdicantes

tes & ſubtrahentes, quod Medici Hippocratici ac genuini haud eſt. *Utuntur famulitio chirurgorum medici*, inquit *Laurenberg. Portic. Æſcul. c. 9. interim oportet eos, ſi viri eſſe volunt, non neſcire easdem illas operas, ſed in iis oppido eſſe verſatos, ut, quando uſus poſtulat, aut res, ſolertes ſe dare queant.*

Quippe ars hæc, poſtquam a Medicina ſeparata, penes noſtrates pariter, ac ſuperiorum temporum, mere videtur empirica ſeu omni recta ratione deſtituta, quatenus nulli, aut pauciſſimi, hujus alumni eam ejusque doctrinam, ea qua decet, methodo, ſeu per inſtitutionem dogmaticam, addiſcunt, ſed per merum fere tantum annorum terminum eorum ad praxin chirurgicam exercendam commenſuratur aptitudo, & quidem, quod peſſimum, annuente magiſtratu: aut per meram tantum & erroneam ſatis experientiam, ac ſine ullis præviis præceptis, aliquam, inſufficientem tamen, ſibi acquirunt peritiam, ſeu potius empiriam. Ipſe magiſter ſiquidem ſcholarem, qui formationi ſuæ ſe mancipat, principiis artis dogmaticis deſtitutus, methodice erudire nequit, ipſe ignorans, quæ noſſe conveniebat: Neque, ſi tantum doctrinæ uni vel alteri eorum concederem, ullus tyronem ſuum rite informat, præcepta videlicet artis huic recenſendo, explicando & applicando; ſed miſero huic ſufficiat miniſteriis ac ſervitiis domeſticis ſimilibusque in ædibus tonſoris, ſub certo contractu, vacare. Obteſtor Germaniæ noſtræ Chirurgos, ediſſerant, an aliter unquam ſuos docuerint, aut ipſimet aliter edocti ac arte aptius innutriti fuerint: & annon *Conringius* in *præfat.* ad *Fieni chirurg.* vere ſcripſerit, eos, qui chirurgiam hodie exercent, utplurimum nulla reliquarum artis partium peritia, nulla doctrina elegantiore, inſtructos exiſtere. *Et quomodo ſciant*, ſcribit *Freitagius noct. med. c. 13. quod non didicerunt, & ubi didiciſſent? in tonſtrina: quis ibi chirurgiæ, ut artis, & rationalium præceptorum Profeſſor? numquid ſtupor, ignorantia & barbaries? Qui per biennium tonſtrinæ famulus extitit, & radere, ſcarificare, venam ruſtici tundere,* (raro) *ceram, thus & terebinthinam miſcere didicit, accipit a Magiſtro ſuo Reſcriptum, quod artem didicerit juſtoque tempore abſolverit ſub illo, qui nec hanc, nec literas ipſas norit.* Hucusque fabulæ Actus primus. Biennio ſeu triennio hoc diſciplinari tranſacto

Chirurgia a Medicina avulſa mere eſt empirica.

relin-

relinquit artis alumnus rudior tonſtrinam, in qua nihil, quod ad artem facit, vel vidit, vel audivit, excurrit ad civitates atque provincias exteras, hoc præcipue curæ habens, ut tonſura concinniore tantum ſibi comparet, quantum pro ſui ſuſtentatione & jure magiſterii ac officina tonſoria aliquando acquirenda ſibi neceſſarium videtur. Contingit interim, ut, ſi quando per menſes aliquot in alia taberna commoretur, non adeo multi forte præfecto ejus adducantur ægri, quorum medelæ quamvis adſtet, vel miniſtretur, nunquam tamen cruda hæc avtopſia ipſi ſufficere poteſt pro habitu intellectuali eidem formando. Magiſterium poſt annorum aliquot decurſum & multas hinc inde factas vanas excurſiones, petit, quod capere nequit, niſi poſtquam officinam vel argento, vel prædeceſſoris morte viduæve relictæ affectu, ſibi compararit, nunquam vero, ſi taberna fuerit inſtructus, ipſi denegatur &c. &c. Non increpo ſociorum ejuſmodi ignorantiam, ſed doleo tantum eorum fatum, quod in Rebuspublicis optime conſtitutis ejuſmodi hominibus artem, cujus tanta in humana vita eſt neceſſitas, rite addiſcendi adæquata denegetur occaſio, poſtuletur nihilominus penes hos ejusdem doctrina ſeu peritia, meo judicio, iniquiſſime.

E. rationalis chirurgia a Medicis excolenda.

Medici proin, ſi Chirurgiam colere negligant, injurii fiunt in artem ſuam, inſtrumentum efficaciſſimum ab hac ſeparando, eaque ratione generi humano quam evidentiſſime præjudicant. Quippe, notante *Conringio l. a.* ex quo omnis illa manus opera medicis juſto minus cæpit perſpici, factum, ut hi, inſtrumento illo deſtituti, morborum vim ſæpe ad deſperationem usque augeſcere permiſerint, quibus chirurgia non denegaſſet medelam, ſi a Medico perito fuerit adminiſtrata; inprimis in tali occaſione, ubi Chirurgorum imperitia, hincque nata hæſitantia, deſperatos linquit ægros: quemadmodum pariter Chirurgos imperitiores aliquando incongrue ſatis morbis manum admovere, res ipſa loquitur. Et *Berengarius de fract. cran. c. 13.* ubi rationes exponit, cur nec leviſſima calvariæ læſio ſuſpicione careat, fieri, inter alia, hoc ait, propter operatores hujus temporis minus habiles, ſeu quod rari ſint boni Chirurgi aut Phyſici. Paucis, Chirurgus aut merus eſt operator ſeu empiricus, hinc nihil ſine Medico agat, perinde ac nec Pharmacopæo ſine Medici præſcriptio-

ſcriptione pharmacum porrigere conceditur: aut artifex ſimul, judicans per indicationes & præcepta dogmatica de operationum manualium exigentia & adminiſtratione; quod præſtare nequit, niſi fundamentis totius artis medicæ probe fuerit inſtructus. Poſterius quia in noſtris chirurgis vix reperitur, nec ratiocinandi ſcientia pollent, Medico directore opus habent, ad minimum qui, quando, ubi & quomodo operandum, illos admoneat. Sc. quamvis forſan, ut manum operi admoveat, haud ſemper opus videatur, ipſi tamen, dum valetudinis cura committitur, ut operationes exacte calleat, requiritur; ſi quidem ſuo, id eſt medici perfecti, qui triplici inſtrumento pollet, ſatisfacere velit officio: adeoque non minus, ac medicamenta præſcribit, illorum præparationem dirigit, modum ac tempus utendi moderatur &c. manuaria etiam hæc præſidia jubere, dirigere & in caſibus neceſſitatis (quales in noſtra Germania, ob dictam Chirurgorum trivialium ignorantiam frequentes) adminiſtrare debet, quo ſpem ægrorum de ſe conceptam undique tueatur.

Pro Medico-Chirurgo (non Chirurgo a Medico diſtincto) formando ſuos conſcripſit libellos *Hippocrates* ſuperius recenſitos, Medicis pariter ſuos liquit commentarios *Galenus*, *Celſus* & horum ſucceſſores: Medicorum E. erit, quæ in his legunt, noſſe & data occaſione vel imperando, vel operando, exercere. *Avenzoar* equidem, *non eſt*, ſcribit, *medici honorati manibus operari, ſed ſuis miniſtris officio relicto, medicina & cibo ægrotantibus auxilio eſſe debet:* cui cum aliis aſſentiri videtur *C. Hofmannus Inſt. l. 5. c. 58.* dum initiando ſe huc, ut χειρωνακτικὸν quid moliatur, demittere diſſuadet. Verum eo ipſo, dum partem hanc medicinæ Podalirium, Machaonem, Hippocratem, Galenum, Celſum aliosque infinitos magnæ exiſtimationis Medicos non modo exacte coluiſſe, ſed cum ſumma laude exercuiſſe, conſtat, iidem Medicinæ Antiſtites ſua filiis artis reliquerunt ſcripta chirurgica medicis combinata & concatenata, imo manum crebro admovere eos hinc inde jubent; in Gallia, Hiſpania, Italia &c. etiamnum Medici dogmatici Chirurgiam profitentur atque feliciter exercent: pari decoro & autoritate a nobis & noſtratibus excoli poteſt ac debet. Et errore atque abuſu valde culpabili nobiliſſima hæc Medicinæ pars per totam fere Germaniam barbitonſoribus & balneatoribus con-

Ita egerunt veteres Medici.

credita deprehenditur, eamque callere dedignantur Medici, aut deſidioſi, aut delicatuli nimis: qui nihilominus, diſſerente *Berengario l. a. ut pecunias extorqueant* (emulgeant,) *prædicant, ſe hanc artem ſcire quidem, puſillanimes autem eſſe in operando; ut tamen lucri participes fiant,* (partem de tunica rapiant) *ſecum ducunt chirurgum: & ita cœcus cœcum ducit, & ambo in foveam cadunt &c.* Ac paulo poſt: *Equidem credo, multos de prædictis Medicis operaturos, ſi ſcirent modum operandi; ſed potiſſima cauſa, ob quam non operantur, eſt, quia neſciunt operari.*

Non obſtat Hippocratis interdictum de non ſecando calculo.

Alii ſuam in rebus manuariis inſcitiam infucare contendunt illis *Hippocratis Juramenti* verbis: *Neque vero calculo laborantes ſecabo, ſed viris chirurgiæ operariis ejus rei faciendæ locum dabo:* aſt neque hoc omnem chirurgiæ cultum Medico, nec cunctis Medicis Lithotomiæ adminiſtrationem, prohibet. Quæ honeſtatis & pietatis momenta in jure-jurando hoc continentur, ad ea ſervanda per conſcientiam ac religionem obligamur, v. g. nos, qui artem hanc nos edocuit, parentis loco habituros, qui ex eo nati, hos eam absque mercede & pacto edocturos, medelam penes ægros rite & ſedulo adminiſtraturos, nullum poculum abortivum propinaturos, taciturnos nos ſemper præſtituros, & quæ hujus generis: Calculi autem extractionem, quod Hippocrates eam abjurarit, cur, qui operationis hujus peritus, Medicus detrectet, rem honeſtam, & operariis minus peritis conceſſam, non video. Si vera ſunt, quæ *P. Laurembergius Port. Æſculap. c. 9.* perhibet, quaſi in Coorum republica privilegio ſingulari conſtituti fuerint Medicorum quidam exautorati miniſtri, ut calculoſos ſecando quærerent victum, atque hoc quidem conſcientibus & conſentientibus ſeu indulgentibus eorum Magiſtris Medicis, ad quos proprio jure manuales alioquin pertinebant; res hæc pacti eſt ſpecialis: quantum ego tamen judico, alios Medicos non ita obligat, quin repetundarum pro lubitu inſimulare queant ejuſmodi operarios proletarios, aut ad minimum jure ſuo priſtino uti. Vel, poſito, hanc unam operationem a Chirurgia & Medicina per Juramentum Hippocratis ſequeſtrari, ideo tamen non reliqua ſeu tota ars manuaria a Medico & Medicina erit ſequeſtranda; quodcunque demum moverit illum ad lithotomiam detrectandam: poſtquam

eodem in loco ejusdem jurisjurandi delati totius artis, quæ Chirurgiam complectitur, diſcipulos ſuos ſe participes facturum, pollicitus fuerat. De cœtero in hoc ipſo juramento illos tantum artem medicam ſe edocturum pollicetur, qui ſcripto caverint & jurejurando ipſi addicti fuerint, alios vero præter hos nullos: quale quid tamen non obſtante hoc jurejurando, in deſuetudinem abiit, ac religio diſſuadet.

Haud apparet, cur operationem hanc arduam abjurent Medici, qui perinde, ac alii ſibi ejus peritiam acquirere poterant, & quidem eo promptius, quod ex anatomicis non levia adminicula ipſis ſuppetant: adeo ut, quamvis ævo Hippocratis chirurgia hæc medicis terrori, ægris exitio magis fuerit, & vel ob hanc cauſam, ſeu quod in ea ſe forſan minus exercitatum ex opinione *Botalli* noverit, ille huic prudenter & religioſe ſe abdixerit, nunc nihilominus commodius operari liceat anatomicis experimentis plenius inſtructis. Exemplo ſit modus Lithotomiæ Franconicæ, quem ſummi apparatus ajunt, cujus *Petrus Francus* primus inventor, quem ex hoc *Hildanus de Lithot. veſic. c. 17.* recenſet, *Rouſettus de partu cæſar. ſ. 3. c. 6. & 7.* præ duobus ordinariis modis commendat, ac *Tolet. de la Lithotom. chap. 13.* a Bonetto quodam bis feliciter adminiſtratum perhibet. Secundum quem in inguine alterutro adornatur ſectio, ibique perforatur veſicæ fundus, ut per aperturam hanc inguinalem protrahatur tortor calculus. Rationem hanc operandi ſe ſemel tantum ſuſcepiſſe nominatus *Francus c. 33.* tradit, & quidem ſtolide ſeu temerarie, quamvis feliciter, ideoque haud imitandum ſuadet: ſuſpectum pariter eam reddit *Hildanus l. a.* inprimis quod ſubſtantia veſicæ membranoſa difficulter conſolidetur, ac per ejus vulnus lotium ad cavum abdominis profundatur. Memini etiam, me cum uno alterove noſtrorum Circumforaneorum de hoc negotio olim ſermonem habuiſſe, quibus nihil omnimode de eo innoteſcebat, & an ita operari liceat, qui nec affirmare, nec negare, audebant. Difficultatem vero hanc promptiſſime ſolvit Medicus, anatomes leviter gnarus, cujus autopſia evincit, intra duplicaturam Peritonæi recondi veſicæ corpus, hinc ſine ulla interaneorum cœterorum læſione incidi poſſe; & quia interveniente hac duplicatura muſculis abdominis humanis (ſecus ac in brutis) connatum, nullum metuendum ex ejus plaga urinæ

Nec jure interdicitur Lithotomia Medicis.

ad

ad abdomen profluvium, nec adeo difficulter hanc, carnoſitatis illorum intermediæ beneficio conſolidari poſſe, ut alias declaravi. Cui accedit experientia duplex, qualem de *Bonetto* teſtatur *Toletus:* admirari interim & ſequi jubemur ſinceritatem Hippocratis, qui ſe calculi extractionem non aggreſſurum adeo ſancte promittebat, minus in eadem forte peritus.

Utinam commemores forent hujus modeſtiæ illi Medici, qui chirurgicæ ſcientiæ expertes de manuariis nihilominus præſidiis adverſus Chirurgos vulgares fallaci æque ac ſuperciliosâ diſceptatione, loqui contendunt: poſtquam impudentia improba eſt, alieno damno aliis perſuadere, ſe hoc ſcire, quod ignorare probe ſcit; ſilere potius in ejuſmodi caſibus prudentius ac pium magis foret, ſimul tamen pudere medicum neſcire, quæ ſcitu neceſſaria. Quemadmodum admittere haud dubito Chirurgos tonſores pro peritia ſua, & cum his mutuum conſilium inire: ac ſorditiem, avaritiam ſimileve olet in Medico, ſi, quæ a Chirurgo perite fieri novit, ipſemet ſuſcipiat, aut per ſuos, minoris peritiæ, peragi faciat, v. g. Venæſectionem, dentium eductionem, fonticuli inuſtionem, enematis injectionem & quæ plura hujus generis abſurda molimina.

In Chirurgia vulgari duo inprimis offendo, quæ caſtigatione ac emendatione opus habent, Inſtrumentorum apparatum, modo incongruum, modo ſuperfluum: & operationum nonnullarum ineptitudinem pariter atque incertitudinem. In officinis equidem plerisque noſtrorum tonſorum curtam cernere datur ſupellectilem machinarum ejuſmodi, ſi illas communiores, cunctis caſibus & ubique neceſſarias, quasque in pharetris ſeu thecis ſuis circumferunt, excipias: quamvis etiam has v. g. forficem, Volſellam, uſu & rubigine interdum ſatis attritas. Aut ſi quædam inſtrumenta majoris apparatus & non adeo quotidianæ adminiſtrationis in veterum quorundam gazophylaciis reperiamus hæreditaria, manca, obſoleta, rubigine exeſa vetuſtateve corrupta & ad uſum minus, quam ad oſtentationem, comparata ſunt: adeo ut, ſi vel leviſſimam operationem adminiſtrare contingat, inſtrumenta deficiant appropriata, ex duabus vel pluribus tonſtrinis conquirenda v. g. catheter, Elevatorium &c.; cum nihilominus Chirurgum prudentem ſemper inſtructum eſſe deceat

Inſtrumentorum in officinis chirurgicis defectus & ineptitudo.

deceat inſtrumentis varii generis & uſus, propter occaſionem præcipitem & quo pro caſuum obvenientium varietate ubicunque & opportune queat operari, dum juxta *Hippocr. de dec. orn. in his penuria detrimentoſa eſt, & artem mancam facit.* Et ſecundum *Abucaſin 2. meth. c. 67. non deſpicias ullum inſtrumentum, quin ſint omnia apud te præparata: inexcuſabilis eſt enim, qui hanc artem profitetur, & non habet in promptu, quæ ad hanc requiruntur.* Imo propter caſuum emergentium infinitam diſparitatem aliquando extemporaneæ & novæ parandæ ſunt machinæ, malo forte nunquam viſo appropriatæ.

De ineptitudine ſeu defectu inſtrumentorum congruorum conqueritur *Hildanus epiſt. 26.* ad Griffonium exarata, his verbis: *Nihil, ut ſcis, magis fere deſideratur in operationibus chirurgicis, quam inventiones optimorum inſtrumentorum, quibus non raro operationes, quantumvis difficillimæ, facillimæ efficiuntur.* Et ſi fateri malimus quod res eſt, diverſa eorum penes *J. A. Cruce, Ferraram, Paræum, Aquapendentem* aliosque delineata vel fabrefacta oculis uſurpamus, quorum ſtructuras miniſteriis, quibus dicata, minus congruere, inter operandum deprehendimus: ut de nonnullis horum aſſerere haud verear, nunquam forſan ab inventoribus ſuis ea in uſum fuiſſe tracta, & ſpeculationum potius figmenta, quam praxeos producta, eſſe, quæ operationem magis turbent, quam juvent, quod quibusdam declarabo exemplis.

De Terebris ſeu Trepanis calvariæ dicere auſpicabor, iis nempe, quæ a celebrioribus Scriptoribus fuerunt commendata, diverſæ fabricæ. Horum *Celſus* duo notat, fabrorum unum, lignariorum, alterum, utrumque vel transverſo fuſte aut ferramento, vel Zona ſimplici, vel arcu, vel manubrio &c. agendum, ut ex *Vido Vidio in Hipp. de vuln. cap.* ac *Paaw. in Hipp. de vuln. cap.* cernere licet: minus tamen aptum, quod, ſi latius vitium fuerit, aut præter fluidum extravaſatum fragmenta oſſis eximenda, adeoque latiore opus apertura, una ſeu exilior eorum foratio non ſufficiat, pro pluribus autem foraminibus parandis pluries inſtrumenta hæc ſint admovenda, ac demum inſuper nihilominus per ſcalpra exciſoria, malleolo adigenda, os foraminibus intermedium exſcindendum poſtuletur. **Trepanorum vulgarium ineptitudo.**

 Quales

Quales ſane multifarii impetus operationem tardiorem, ſimul autem ſtrepitus præſtant ægro moleſtos ac cerebrum plus minus commoventes. Raſoria ſeu in imo ſui ſemicirculata ac pomiformia, qualia *Vidus Vidius l. a. p. 122. lit. a. J. A. a Cruce chirurg. p. 655.* & *Botall. de vuln. ſclop.* §. *9.* delineant, indulgerem, modo firmum & perpetuum obſervarent forationis punctum, nec adeo facile hinc inde fluctuarent: niſi in extremitate ſui ſubacuta, quale *Botallus* ſimul, ac *Paræus l. 9. c. 5.* ſub nomine trepani exfoliativi ſeu deſquammatorii exhibent, quamvis poſterius, quia immerſile, non adeo quadrare videatur. Nec Tridentis terebræ uſus tantus eſt, quantum *Vidius l. a.* & *A. Cruce p. 656.* putant; nec bidentis ac circiniformis, qualem idem *a Cruce l. a.* & *Paræus l. a. c. 18.* deprædicant, ob difficultates a *Botallo l. a.* contra has motas: quarum nonnullas, quamvis aliquatenus temperare contendant ejusdem Scriptoris additamenta, non omnes tamen, inprimis exſcindendi torporem ſeu tarditatem, tollant. Pariter ad operandum minus apta eſt terebra in pomum quaſi ſtriatum deſinens *Vidii l. a. l. c.* ſeu cujus extremitas ſemigloboſa inſtar limæ crenata aut inciſa cernitur, a *Ferrara* & *Cruce* etiam depicta: omnino vana vel maxime laborioſa expertis. Cuncta E. hæc trepana excedit, quod modiolo ſerrato gaudet, abaptiſtum tamen ſeu non ſubmerſile eſt: atque hoc quidem non, quod circulo remotorio fixo, juxta ſchema *a Cruce p. 659. Ferraræ l. 2. fig. 19.* & *Paaw.* in *Celſ. de re medic. l. 8. c. 3.* nec capitio mobili, ad mentem *Paræi l. 9. c. 18.* munitum; neque circulum habens, qui vel ſpira, vel ſimili machina ſurſum deorſumque fertur, juxta *a Cruce p. 660. 661.* ac *Ferraram obſ. 19.* Si quippe obex hic fixus extiterit, inſtrumentum non omni Calvariæ craſſitiei reſpondebit: ſin quocunque modo mobilis, illud periculo vix expers ſimulque tædioſum erit, quatenus ſub fine operis ſingulis fere circumductionibus remoram hanc modo attollere, modo deprimere, jubemur, ipſius interim modioli exſcindentis ingreſſum adeo accurate obſervare non poſſumus, impediti ab eadem. Neq; modioli inſtructi alis, ſive duabus, ſecundum *Ferraram fig. 19.* ſive quatuor, innuente *a Cruce p. 659.* & *ab Aquapend. p. 201.* quibus ejus profundior ſubmerſio & membranas lacerandi periculum evitetur, fabrica adeo congrua: utpote quæ ad imas

inſtru-

inſtrumenti ſerrati oras anguſtiores, ſurſum latiores valde ſint; ita ut, quamvis leviter ſimul radant, propter lateſcentiam nihilominus ſuam, tardiorem ac difficiliorem reddant forationem. Aſt ipſam manum operi admoventi pateſcet, nec aptiorem, nec tutiorem, modiolum excogitari potuiſſe, vel poſſe, quam quem *Botallus* a ſe inventum ac fabrefactum delineat, a *Berengario* tamen ante illum ſubminiſtratum, ac qui penes omnes nunc in uſu eſt ſpiculatus ſeu ſtriatus, vel pluribus anguſtioribus alis inſtructus, quique in ſuperna ſui parte latior, in inferna anguſtior, exiſtit, facile hinc non ſerrando tantum os exſcindit, ſed limbum quoque foraminis lævigat ac aliquantum ampliat, præterea nec adeo facile ſponte profundius dilabi aut imprimi poteſt, ſcobs vero inter perforandum commode foras projicitur.

Ratione manubrii ſeu vertibuli aut verticuli, ad circumagendam machinam neceſſarii, nec omnis hujus fabrica, ab Autoribus ſuppeditata, æque commoda videtur. Scilicet non illa, ubi modioli ſuperiori parti globus adaptatus, vel manubrium, ſive ligneum, ſive ferreum, transverſim infixum, ut in vulgaribus terebris obſervamus, & penes *Vidium p.120. a Cruce p.654. Paræum l.9.c.17.* & *Aquapendentem p.201.* videre licet: cum inſtrumentum hac ratione non adeo prompte atq; æqualiter circumferri queat, laſſetur etiam brevi in ejus circumductione manus forantis. *Aquapendens* equidem hunc mechaniſmum cœteris anteponit, quaſi ſine notabili ſtrepitu & horrore agat: in quo quidem ipſi annuendum, ſi ad terebras vel habena ſimplici, vel per arcum aut transverſarium, circumducendas, reſpiciamus, prout a *Vidio p.118. & 119. a Cruce p.652. ac 653.* deformantur; quodſi vero machina hæc cum vertibulo ab eodem *a Cruce p. 657. & 658.* item a *Paræo, Ferrara, Botallo & Berengario* delineato, conferatur, merito huic poſtponitur, ob rationem dictam; ſeu quod per hoc facilius & circumſpectius longe agere liceat, ſive pila ejus ſuperior volvatur, ſive prematur, ſecundum diſparitatem, quam *a Cruce* innuit. Neque ab hoc metuendæ ſunt, quas in vertibulis ejuſmodi vitandas monet *ab Aquapendente*, gravitas ac vaſtitas, cum utrumque ſatis commode moderare poſſimus: nec ſtrepitus, quem timet ab hoc manubrio idem, tantus & adeo moleſtus eſt, quantum ac quem ipſe modiolus inter exſcindendum præſtat.

Horumque manubriorum.

Cataractæ recidiva contingit.

Cataractæ chirurgia duplici de cauſa minus fida deprehenditur, vel quod poſt detractionem prioris pelliculæ interdum brevi tardiusve nova generetur & priſtinam moleſtiam pariat; vel quod ipſa depoſita poſt plures paucioresve dies, inprimis ſi adhuc imperfectior & levior extiterit, aut non rite depreſſa fuerit, vel etiam omnibus lege artis peractis, facili occaſione & capitis motu, denuo elevetur. Qualis poſterior recidiva, dum hæc ſuffuſionis materia extra oculi bulbum non educitur, cum frequentius metuenda fuerit, ſolertiora Chirurgorum ingenia, in ejuſmodi mediis ac inſtrumentis inveniendis allaborarunt, quibus pelliculam obtenebrantem non tantum dimoveant, ſed omnimode protrahant: inter quæ a *Burrho in epiſt. ad Bartholin. de artif. ocul. humor. reſtit.* refertur acus cannulata, a *Rocho Matthiolo*, Chirurgo Italo, excogitata, qua oculum perforare ſimulque ſuctu provocare conabatur deraſam cataractam. Quod nihilominus inſtrumentum cum propter orificii anguſtiam, membranæ exſugendæ ſpiſſitudini minus adæquatam, artificis ſolertiam atque intentionem moraretur, idem *Burrhus* operationi perficiendæ minus congruum judicabat, emendare proin ſatagabat hoc modo. Jubebat nimirum tubulo huic perforanti intrudere ſubtiliſſima aliquot auri textilis filamenta, in modum tenuis penicilli ſibi coaptata, quæ immiſſa ad medium orbitæ fiſtula punctoria, a manubrio, manu operatoris circumacto & impreſſo, per aperturam extremitatis acus protruſa expandantur: quibus mediantibus ſuffuſio deterſa ſeu deraſa & implicata ad tubulum retrahenda, & cum hoc ex oculo educenda foret, ſecundum manuductionem *a Lamſwerde in append. ad Scult. tab. 14. & pag. 79.* traditam. Aſt quod de anguſtia orificii acus cannulatæ metuit *Burrhus*, quaſi exſugendæ ſeu protrahendæ pelliculæ ſit minus adæquata, idem inventioni ejusdem videtur obſtare: cum quod exilius oſtiolum pelliculæ ſoli introitum denegat, huic etiam & penicillo ſimul, ex filamentis metallicis, quamvis ſubtiliſſimis, formato, tranſitum intercludat. Ut taceam, nec hoc inſtrumentum ab uno homine commode tractari poſſe, quatenus dum dextra manu penicillus circumvolvitur & dirigitur, ſiniſtra ad firmiter atque in æquilibrio tenendam acum non ſufficit: ut probabile fiat, nec hanc ſpeculationem unquam cum ſucceſſu uſui fuiſſe datam.

Quia ſextrahi pellicula nequit.

Propter inſtrumentorum defectum ſeu ineptitudinem.

Ejus-

Ejusdem indolis judico acum forcipiformem, quam ante bienium circiter Operator quidam circumforaneus mihi monſtrabat, affabre ſatis formatam, & qua ad oculum, ſuffuſione vitiatum, detruſa, hinc leviter dilatata eam a tunica oculi ſeparatam comprehendere & educere promittebat. Ipſemet operator hujus machinæ experientiam teſtari non poterat, vereor etiam, ne ſub operatione & forcipellæ dilatatione oculi tunica annata ſeu cornea plus juſto tendatur ac laceretur: proin nec hanc commendare, mihi præſumo.

De Speculo Oris majore ſeu dilatatorio duplici, cujus unum *Scultetus t. 11.* alterum *t. 12.* delineat, utriusque applicationem & uſum *tab. 32. fig. 7. & 9.* tradit, poſterioris fabricam *Paræo* in acceptis refert, monendum duco, primo, hoc a *Paræi* machina *l. 8. c. 9.* depicta quam evidentiſſime diſcrepare, ut avtopſia docet. Deinde, ſi uſum ſpectemus, muſculis, vel ab inflammatione ſimilive tumore, vel a ſpaſmo contractis, hæc dilatatoria minime quadrare: quod per violentiam eorum dilatativam dolor atrocior concitetur, hinc convulſio aut producetur, aut præſens exacerbetur. Porro quod a ſpeculis his expectatur, commodum in conſpiciendis ac dignoſcendis faucium vitiis, hisque commodius applicandis tam inſtrumentis, quam medicamentis, *Paræi* & *Sculteti* poſteriorem machinam vix concedere, utpote quæ quidem os dilatant, apparatu ſuo tamen ſimul impediunt, quominus vel oculus, vel inſtrumenta operantis, libere & commode ad interiora ejus penetrare queant: adeoque his caſibus ſpeculum *Sculteti t. 11. fig. 6.* delineatum tantum inſerviet. Qui vero vel furioſis, vel ſpaſmo affectis, intervenientibus machinis his alimenta ingerere contendunt, non parum hallucinantur, quod nec convulſi, nec quibus os machina diſtractum eſt, deglutire valeant faucibus intruſa, ob organorum deglutioni miniſtrantium impeditum motum. **Speculi oris fabrica minus apta.**

De Uteri Speculo ſeu Dioptra notetur, non tam utero, quam vaginæ hujus dilatandæ, hoc inſtrumentum miniſtrari, pro ulceribus ſimilibusque illius affectibus dignoſcendis: multo minus ad fœtus eductionem illud aliquid conferre, quæ Medicorum & mulierculorum imperitiorum olim erat traditio; & in hoc caſu inſtrumentorum omnium, quæ Chirurgia unquam vidit, ineptiſſimum erit pro- **Speculi uterini uſus incongruus.**

nunciandum. Ac mirari non ſatis poſſum *Barbettum* quando *chir. part. 1. c. 23.* per inſtrumenta, quibusdam obſtetricibus familiaria, anguſtias genitalium, partum morantes, expandi poſſe tradit: dum laminæ Dioptræ explicatæ, quantum vias has dilatarunt, tantum mole ſua easdem anguſtant, adeoque manibus obſtetricibus aliisque inſtrumentis aditum, fœtui vero egreſſum, intercludunt; ut doloris taceam intenſiſſimi, ſine quo hujusque ſymptomatum v. g. ſpaſmorum, metu inſtrumentum hoc adplicari nequit. Refero huc fœtus capitis extractoriam machinam, quam gryphios pedes ajunt, & ab *a Cruce p. 691. Bauhino App. ad Rouſſet. p. 371.* ac *Paræo l. 23. c. 26.* delineatam: cujus ineptitudinem *Roonhnyſen part. 1. obſ. chir.* & ipſe machinæ apparatus inconcinnus innuunt.

It. pedum gryphiorum.

Cauterii cultellaris nullus uſus.

Ignis vim rarefactoriam & ferrum quoque expanſivam ignorant, qui Cauterium cultellare in mammæ cancroſæ extirpatione cum *H. F. ab Aquapendente* & *Jeſſenio a Jeſſen* commendant: quippe ignitione ferramentum etiam acutiſſimum ad hebetudinem usque evidentem incraſſeſcit; a ſanguine vero, ſub primo mox ferramenti contactu promanante, extinguitur ejusdem fervor, ut nec hac ratione profundius agat, dolor interim ac ferocia cancri exaſperentur. Quod eo confidentius aſſero, dum ipſemet *Aquapendens*, ſe tale quid nunquam molitum fuiſſe perhibet: *Jeſſenius* autem ex nomine Præceptoris gloriam ſibi nuncupare contendit, penes hunc qui non operationem ipſam, ſed inſtrumentum tantum, quod viderit. Par erit ratio cornu vel ligni, acie inſtructi, aut monetæ argenteæ, quibus, Aquæforti frequentius intinctis, mammillæ extirpandæ baſin & circuitum erodere idem *Aquapendens* molitur: dolorifica maxime, exaſperativa, tardiſſima vel tantum non inefficax erit hæc chirurgia, ſectione intra tria vel quatuor momenta quæ peragi poterat.

Nec cornu ſimilive acie inſtructi inſtrumenti corroſivo imbuti.

Flexilium catheterum haud tanta utilitas.

Suſpecti valde a nonnullis redduntur catheteres ordinarii, calculo veſicæ explorando & urinæ educendæ deſtinati, quod minus flexiles, hinc rigiditate ſua multum moleſtiæ inferentes, v. g. *ab H. F. ab Aquapendente, de calculi extractione. Panarolo 2. obſ. 20. Helmontio de lithioſi c. 7. Mœnichen obſ. 17.* & *Pechlino 1. obſerv. 1.* ita ut tantos dicantur concitare dolores, ut quosvis cruciatus potius, imo mortem,

tem, ſubire malint experti, quam adminiſtrationem hujus inſtrumenti denuo admittere. Unde factum, ut de flexibilibus & mollioribus cogitaverint, v.g. *Aquapendens* ſtylum ſeu fiſtulam ex cornu, ſtylum argenteum, *Helmontius* tubulum ex aluta ſeu corio tenuiore paratum & ſtylo ex balenæ mandibulo flexili inſtructum; alii cum eodem *Aquapendente* candelas cereas adhibent, quas intertextis fibris oſſis balenæ fiſtuloſas reddere licet. Ex lamina argentea ſpiraliter ſibi circumvoluta catheteres flexiles parat concinnos Chirurgus recentior Belga, *Solingen*, ut ex ejus tract. *de operat. chirurg. l.3. c.7. & tab.5.* videre eſt; Sed cornea fiſtula ac ſtylus flexiles non ſunt, niſi in humido ſemper aſſerventur, neque hi ſine dolore agere videntur, quo tenuiores & acuminati magis, parietes partium hinc inde lacerantes, nec cervicem veſicæ conſtrictam adeo prompte ſubeuntes, quod de ſtylo metallico pariter metuendum; ita ut ipſemet *Aquapendens* de eorum aptitudine dubitet: de candelæ autem ac fiſtulæ corneæ argenteæ flexilium vi explorativa calculi ambigere jubet ipſamet hæc flexibilitas atque mollities. Per conſequens, quamvis urinæ educendæ machinæ ejuſmodi inſerviant, (neque hoc, ſi calculus meatui duriter impactus hæreat;) indagando tamen huic, veſicæ inexiſtenti, minus videntur adæquatæ, & in his caſibus communi cathetere operandum erit, modo a Chirurgo perito hoc fiat: cum dolorificam equidem ſemper, nunquam tamen intolerabilem omnino, ejus adminiſtrationem obſervarim.

Sinubus ac fiſtulis profundioribus incidendis atque detergendis forfices idoneæ haud ſuppetebant hactenus, donec modernorum quorundam dexteritas incurvatas exhibuerit, eaſque duplicis generis: ſcilicet ut modo capula tantum, modo crura ſeu laminæ incidentes ipſæ, inſtar cultri falcati, recurventur & uſui dicto accommodentur. Globulorum ſclopeto eliſorum extractionem qui docent, diverſæ figuræ hunc in finem commendant machinas, haud tamen ſingulas æque aptas. Harum prima videtur Alphonſina communiter a ſuo inventore, *Alphonſo Ferrio*, appellata, ab eodem *2. de vuln. ſclopetor. c.3.* nomine roſtri corvini deſcripta, & a *Sculteto tab.15. fig.1.2. ac 3.* delineata, quæ forcipis dentatæ genus eſt: a Chirurgis ſequentium temporum, v.g. *Maggio de vuln. ſclop. p.40. Botallo de vuln. ſclop. c.2.*

Sinubus incidendis hactenus minus idoneæ ſuppetunt forfices.

Nec ſclopetorum globulis extrahendis cuncta quadrant inſtrumenta.

c. 2. & *Hildano cent. 1. obſ. 88.* repudiata, quod ubi glans non adeo profunde immiſſa, minus neceſſaria ſit, ubi vero profundius hæreat illa, ſine dilatatione ſui agere nequeat inſtrumentum hoc, hinc vulnus anguſtet, parteſque laceras ſenſiles premat ac lædat. Alterum ex cannula & terebello conflatum inſtrumentum penes *Maggium de vuln. ſclop. Paræum l. 10. c. 4.* & *Scultet. tab. 16. fig. 6. ac 7.* delineatum cernitur, quod tamen inutiliſſimum & noxium maxime pariter a *Botallo l. a.* pronunciatur: ſine dubio, quod cochlea ſtyli globulo educendo abſque notabili carnium ſubjacentium compreſſione & dolore infigi nequeat, qualem nihilominus dolorem præter *Celſum 7. c. 5.* omnes prudentiores, quantum poſſibile, evitare jubent. Quinimo vix ſine omni violentia carnibus aliisq; partibus mollioribus incumbenti glandi infigi poterit terebellum, dum, quia nihil renitentiæ in iis reperit illa, huic adacto mox cedit ac hinc inde dilabitur. Et miror, neminem ſcriptorum, qui hoc inſtrumentum primæ inventionis, aut ab *Hildano l. a.* emendatum, hactenus commendarunt, difficultatem hanc annotaſſe, nec ipſum quidem *Hildanum*, qui nihilominus in adminiſtratione aliis cautior videri geſtiebat, & ne ad latera vacillaret, ſed firmius hæreret globulus, cannula adhuc dentata machinam præſtantiorem reddebat. Ipſummet ſi legiſſent, quem autorem ejus agnoſcunt, Maggium, eos latere non poſſet, haud in quolibet caſu, ſed tunc demum, ubi oſſi incumbit, aut infixus eſt globulus, hoc inſtrumentum quadrare. Proin proficuum videtur plures diverſi generis in ejuſmodi occaſionibus paratas habere machinas, ut ſi una earum in opere præſtando deficiat, altera mox ſine mora eidem ſuccurrere liceat, neque penuria ægro detrimentoſa ſit.

Terebra trochlearis calculo diffringendo non undique quadrat.

Circa terebram trochleiformem, quam pro calculis in urethra virili hærentibus; ſi hinc propter molem majorem non prodeant ac educi queant, in minora fruſtula confringendis invenit *Paræus l. 16. c. 39. Hildanus* itidem *de lithotom. c. 26.* delineat, pariter monendum eam vix tantum utilitatis præſtare, quantum quidem communiter ſibi perſuadent. Quippe aliquando ſoliditas calculi ejuſmodi terebellum haud admittit, ac dum a poſtica calculi ejuſdem parte coles comprimitur, hujus parietibus tenerioribus innixus & ab inſtrumento

to terebrante durius impreſſus calculus non poteſt non intenſum dolorem concitare: ita ut forſan commodius per tenacula dentata confringatur, aut ſine tanta moleſtia iisdem mediantibus per viam naturalem, vel per exiguam in urethra factam inciſionem, educatur. Refero huc ſuctum, Ægyptiorum inventum, quem nonnulli in ejusmodi difficultate ſuadent, *Tulpius* *l.* 3. *obſ.* 8. qui cœteris calculum extrahendi modis illum præpollere ait. Super hunc ſiquidem audienda erit cenſura *Hildani l.a.* quod nimirum meatus urinarius mollior ſuctu non tam dilatetur, quam conſtringatur, adeoque lapillus, niſi in anteriore forte illius parte hæreat, hac ratione minime educatur. Addo, ſi in antica parte ſeu prope glandem immoretur calculus, ſuctum hunc minime locum habere, aut alicujus efficaciæ deprehendi.

Nec ſuctu calculum adeo commode e veſica protrahere licet.

Præterea in inſtrumentorum indagine ac formatione non raro curioſiores & liberaliores juſto obſervamus chirurgos, talium ſcilicet, quorum apparatu ſuperſedere valemus, ac quorum adminiſtratio moleſta potius, quam neceſſaria, exiſtit: unius vel alterius hujus generis meminiſſe ſufficiet. Cuſtos membranæ qui Celſo, *Μηνιγγοφύλαξ* Græcis, appellatur, lamina eſt argentea, vel ferrea, aliquantum reſima, a *Botallo* & *Sculteto t.* 2. *fig.* 10. depicta, quæ intra cranium & duram matrem demiſſa, huic & cerebro incumbens impedit, ne a ſcalpris, forcipibus ac ſerrulis, ſi forſan horum ope, in majoribus calvariæ depreſſionibus vel fracturis, os pluries perforandum, factorumque foraminum interſtitia inſtrumentis dictis excidenda fuerint, hæc lacerentur. Quali tamen operculo, ſi manu perita exciſio hæc fiat, haud opus, nec ejus adminiſtratio ubique adeo oportuna deprehenditur; quippe a forcipum ac ſcalprorum operatione nihil omnino de ſubjacentis panniculi læſione metuendum, ſerrularum vero impetum moderare valet ſpecillum latum quodvis calvariæ aperturæ oblique ſubmiſſum: adeoque ſupervacanea hac machina non onerandæ chirurgorum thecæ ſeu promptuaria.

Nonnullorum inſtrumentorum apparatus ſuperfluus.

Pyoſin ac Hypopyon nonnulli diſtinguunt, forſan ratione latitudinis ſeu expanſionis majoris minorisve, conveniunt tamen in hoc ambo, quod pus ſeu ſanies ſub oculi cornea hæreat, quæ, ſi diſcuti

non poſſit, ſui eductionem evidentem per diæreſin poſtulat. Hanc olim adornabant Lanceola communi, tantum paulo ſupra mucronem remora quadam, ne ad motum ægri profundius irrumpat, inſtructa, facta per circumvolutionem exigui emplaſtri, aut tantilli terebinthinæ coctæ: imo plerumque ſine ejuſmodi obice Lanceola ſimplici operabantur, v. g. *Paræus l. 16. c. 17.* & *Guillemeau des maladies de l'ocil cap. 13.* & quemvis feliciter operaturum, ſi circumſpecte agat, confido. Peculiarem nihilominus inſtrumenti perforantis fabricam *Job van Meekren obſ. chir. c. 9.* exhibet, cujus cuſpidi ſuperimpoſitus globulus profundiorem in oculi bulbum immerſionem impediat: ſed præterquam, quod ab aliis Operatoribus peritis ſatis rudis & minus idonea pronuncietur ejus ſtructura, & ſine eo per lanceolam communem æque commode & absque periculo operari liceat, hæc illius locum tenebit. Si enim ab acu, oculum in cataractæ depoſitione perforante, nulla facile læſio timenda, quæ tamen ejus bulbo profundius intruditur; nec tale quid metuendum, ubi pus erumpens profunditatem juſtam innuit.

Puri ex oculo educendo vix adeo commodum inſtrumentum modeſtum.

Paracenteſi abdominis ſufficere poterit ſimplex lanceola.

Qui Paracenteſin abdominis aſciticorum formidabant olim, eos inter alia movebat hoc, quod facta apertura vix ſemper adeo commode obturari & deligari valeat, quin præter noſtram intentionem ac voluntatem ſerum cum ſenſibili ægri virium diſſolutione confertim nimis prorumpat. Solliciti proin erant de ejuſmodi inſtrumentis & operandi modis variis, quibus periculum hoc averterent, inprimis puncturam inflictam eousque munirent, ut non, niſi ad lubitum & ad menſuram ſeu tolerantiam hydropici ſerum promanaret. Inter quos *Sanctorius* acum triſecam ferream, cannulæ ſimili vel argenteæ alatæ immittendam, invenit, quæ ex cannulæ extremitate inferiore prominens abdominis integumenta perforaret, hoc facto retraheretur, cannula vero ſola per vulnus immittatur & intus relinquatur, obturaculo & faſcia probe munienda, ne ægris quieſcentibus plus juſto aquæ profunderetur. *Tulpius 4. obſ. 43.* penicillum ſeu operculum quoddam ligneum, vulneri abdominis obturando & aquis coërcendis adeo conveniens, ut nihil eo commodius inveniri potuerit, cum hoc applicato ne guttula quidem illarum invito proflueret, commendat ac delineat. *Solingen* denique, Chirurgus Hagenſis, *de operat. chir.*

chir. part. 3. c. 1. cannulam abdomini poſt perforationem intruſam, ſicut Sanctorii quoque, epiſtomio trochleari occludere prolixis circumſtantiis jubet. Verum facile ejuſmodi ſollicitudine & inſtrumentorum majorum apparatu nos ſuperſedere poſſe, experientia convincimur, poſtquam vel lanceola ſimplici, vel ſimili inſtrumento perforante exiliore inciſum fuerit abdomen, vulneri tantum turundam, ex emplaſtri tantillo convoluto formatam, aut cannulam argenteam exiliorem, immittendo, hanc carbaſo obtegendo ac faſcia firmando; quali deligatione ſcopo deſiderato ſatisfieri non dubitandum: imo plumaceolus ex carbaſo exilior, modo craſſior paulo, emplaſtro reſinoſo ſeu tenaciore cum ſplenio latiore & faſcia firmandus vulnus itidem commode ſatis occludit. Quod vel illos latere nequit, qui acu cannulata aut *Sanctorii*, aut recentiorum, quam *Blockio* cuidam Amſtelodamenſi *Barbettus, Sylvius, van Horne &c.* tribuunt, operati fuerunt: ubi poſt acum cum cannula extractam, & vulnuſculo dicta ratione deligato, parum admodum ſeri exſtillat, donec inſequente die vel per eandem aperturam acu cannulata denuo immiſſa, vel de novo in vicino loco paratam, ejus eductionem repetere liceat.

Mercurii & globuloſum plumbeorum uſus pro alvo reſeranda haud adeo congruus.

Addo his circa inſtrumentorum chirurgicorum apparatum obtingentibus hallucinationibus remedium illud famoſum alvi conſtipationis, ad Iliacam usque paſſionem contumacius urgentis, duplex: dum pondere vel Mercurii currentis, quem ejus cauſa ad uncias plures, nedum libras duas vel tres, deglutiendum exhibent, vel globulorum plumbeorum pariter devorandorum, fœces obfirmatas exturbare ſicque ventrem ſolvere contendebant. Globulis uti jubet *Zacutus Luſit. 2. prax. admir. c. 34. Helmontius de flat. §. 31.* ac *Velſchius Hecatoſt. 2. obſ. 33. obſ. & epiſagm. 43.* Mercurium autem vivum commendant *Paræus* ex Mariano Sancto *l. 16. c. 58. Epiphanius Ferdinandus hiſt. 74. Zacutus Luſit. l. a. obſ. 35. Rhodius cent. 2. obſ. 80. Mœnichen obſ. 6. & Heer 1. obſ. 2.* qui hunc globulis illis anteponit. Aſt quemadmodum utriusque hujus remedii ætiologiam duplicem inprimis practici ſibi concipiunt, quaſi nimirum pondus horum implicita & ſibi circumvoluta ſeu contorta inteſtina, conſtipatæ alvi autores, explicet ſeu ad habitudinem ac ſitum priſtinum reducat, inſuper

tamen fœces induratas cum aliis obſtruentibus exturbet: ita ratione prioris monendum, illam circumvolutionem ſeu contorſionem inteſtinorum vix fieri poſſe ob connexionem, quæ cum meſenterio ipſis intercedit, vixque obſervari, prout a *Sylvio* aliisque evictum: vel, ſi etiam talis aliquando eveniat, a ponderoſis ejuſmodi devoratis, deorſum tendentibus, inteſtina eadem facilitate magis convolvi ac implicari, quam reſtitui; imo, cum anguſtia hæç inteſtinalis frequentius ab inflammatione, hinc ſpaſmo, contingat, metuendum, eorundem corporum mole & gravitate dolorem ac ſpaſmum intendi. Neque hæc ſcybala indurata neceſſario deprimunt, quod convolutio & gyri inteſtinorum naturales ac per connexionem cum meſenterii limbo emergentes, deſcenſum eorum perpendicularem morentur, & in parte quadam illorum globuli aut hydrargyrum congeſta, hanc ad ſacculi latioris formam extendant, ſicque ſibimet moram parent, ſub qua detrudere & expellere educenda minus poſſunt. Accedit, ratione Mercurii, me eum devoratum aliquoties vidiſſe per anum iliacorum rejectum, ne tantillo fœcum ſimul protruſo: quod ſine dubio fit, dum, quatenus in molecolas minimas ſe prompte divelli patitur, ſub his etiam fœcum compagem, perinde ac corium, per quod depurationis gratia minerale hoc trajicitur, permeat, adeoque renitentiam fœcum vel inteſtini ſpaſmo anguſtati haud ſolvat: ne referam, me in nullo conſtipatione inteſtinorum iliaca defuncto fœces induratas, ſed mollioris ſemper conſiſtentiæ, obſervaſſe.

Denique hoc remedii genus etiam illud ſuſpectum reddere videtur, quod, cum pro tanta ſcybalorum, per totidem dies congeſtorum, mole dimovenda proportionati ponderis exigatur premens ſeu urgens, quemadmodum argentum vivum ad libram unam alteramve, globulos plumbeos non exiliores & paucos, ſed majores, ſeu, ſecundum Helmontium, musquetarum, & quo plures, eo certioris effectus, commendant practici nonnulli: ſuperius nihilominus allegatorum Scriptorum unus vel alter, v. g. *Zacutus obſ. 34.* triginta tantum pilulas plumbeas, quibus Sclopetarii pro enecandis paſſeribus utantur, Vogel-Schroth/ *Velſchius hecat. 2. obſ. 33.* tres tantum globulos, quorum ſinguli drachmam unam pendebant, & *Epi-*

ſagm.

ſagm. 43. hydrargyri Unciam unam cum dimidia, ac *Riverius obſ. a Chomel. commun.* 1. Mercurii cum ſulphure extincti (qui forſan idem cum modernorum Æthiope minerali) unciam unam, hinc pondus exile nimis, exhibuerint. Ut hinc veroſimile fiat, vel a natura medicatrice, vel a cæteris ſimul admotis præſidiis, ſalutem his ſubjectis contigiſſe: vel, ſi aliquid egerint hæc corpora mineralia, per modum non prementis ſeu trudentis, ſed heterogeneitatis inteſtina ſtimulantis tantum, hoc præſtitiſſe. Per conſequens inferendum veniat, ea, ſi non, juxta *Sydenham.* noxam inferant, certe quod de iis plures jactitant, minus, aut rarius, præſtare.

Chirurgus ſit mechanicus.

De Inſtrumentis chirurgicis hæc ſufficere puto, non quod præter hos errores alios circa eadem offendere haud liceat, ſed quod horum exempla ad aliorum examen occaſionem ſuggerere credam. Hinc inde tamen conſtare judico, non inutilem Chirurgo fore mechanicam ſcientiam, per quam non tantum, qualia poſtulent morbi inſtrumenta, mox norit, ſed quali apparatu mechanico hæc gaudere debeant, vel poſſint, intelligat; aut, ſi inventa non undiquaque cum fructu applicari quæant, qua ratione facile corrigenda, ſciat. Cujus gratia quoque neceſſarium erit, materiæ, ex qua formantur, ut exactam notitiam habeat; i. e. ferrum an quadret plus minusve induratum: dum v. g. pro terebris calculum comminuentibus non chalybs, ſed ferrum mollius ſeu tenacius, requiritur, ne a renitentia calculi adeo facile frangantur, pro acu Sanctorii vero, abdomen hydropicum perforante formanda rigidiſſimus chalybs laudatur. Ita ut, quamvis Chirurgus non ipſemet cudat aut fabrefaciat ſuam ſuppellectilem, dignoſcat nihilominus hujus materiam & mechaniſmum exactius, adeoque artificem de iis inſtruere norit.

Acus pro cataractæ chirurgia fabrica.

Quantum v. g. ſuffuſionis Chirurgiam facilitet aut turbet acus decuſſoriæ fabrica, textura oculi tenerrima & Operatores peritiores, v. g. *Durandus Scacchus ſubſid. Medic.* & *Bartiſch Ophthalmodul. p.* 65. & 66. teſtantur. Ex auro & argento eam communiter parant, vel argenteam, in mucrone ad minimum inaurant, ex chalybe vero confectam maxime diſſuadent allegati Scriptores: *Paræus* contra *lib.* 16. *c.* 22. ex ferro, non argento aurove idem inſtrumentum conflare jubet, cui etiam adſtipulari videtur *van Horne:* quamvis diſſen-

ſus hujus ratio non magni momenti videatur. Sine dubio, argenteam ſeu auream acum qui poſtulant, tenaciorem minusque fragilem hanc ſuſpicantur, ni fallor, aliquid potentiæ roborativæ eidem ſimul adſcribentes, chalybeam autem fragilem magis æſtimantes: molliorem juſto & flexilem magis qui illam metuunt, ferream ſuadent, virtutem auri & argenti confortativam in dubium vocantes. Perinde erit, utra machinolæ huic dicatur materia, modo ita temperata, ut perforationem oculi commode & ſine fracturæ ſui metu ea præſtet. *Paræus l. a.* & *Guillemeau des maladies de l'ocil ſect. 6. c. 3.* inſtrumenti hujus mucronem complanatum & biſecum volunt, quo tunicam ſcliroticam facilius penetret, nec diutina foratione dolorificam nimis reddat operationem, nec pellicula acum elabatur, & ſui decusſionem moretur. Aſt hinc quia metuendum eſt vulnus latius, teretis apicis præfertur acus: ſit modo in extremitate ſua ſatis acuminata, polita & terſa, nullisque aſperitatibus lacerantibus deturpata, quales ut evitent circumſpectiores Ocularii, ipſimet mucrones hos poliendo operationi adaptant.

Quædam operationes chirurgicæ ineptæ. V. g. in ſiſtendis hæmorrhagiis.

Ad ipſas Operationes me nunc confero, quarum pariter non omnes & undiquaque adeo aptas, aliquando ſuperfluas, interdum minus fidas, deprehendo, quod exemplis nonnullis declarabo. Quo famoſiores ſunt modi, hæmorrhagias, ſive ex diæreſi caſuali, ſive artificiali, evenientes, compeſcendi, ſc. per vaſorum laceratorum ligaturam, ferramentorum ignitorum contactum & eſcharoticorum ſeu cauteriorum potentialium applicationem: eo minus congruos illos judicarunt nonnulli modernorum, argumentis haud omnimode deſtituti.

Per vaſorum ligaturas.

Et primo quoad vaſorum vulneratorum ac diſciſſorum ligaturas, poſt *Galenum* atque *Celſum* a *Paræo*, *Fallopio*, *Hildano* & modernis quibusdam prolixe deſcriptas, eas difficiles valde reddunt operationes ad has præparatoriæ illæ, ſine quibus nihilominus vaſa lacerata comprehendi & filo conſtringi nequeunt; ideoque a *Gourmelino* jamdum *chir. l. 2. p. 125. Fieno tr. 11. cap. 8.* & quoad partem ab ipſo *Hildano de gangr. & ſphac. c. 19.* damnantur, quaſi promptius forſan deſcribantur, quam perficiantur. Cogites modo, quantum poſt detruncatum v. g. membrum ad vaſorum unum poſt alterum ligandum requiratur temporis, quantum interim ſanguinis profluat

ac

ac perdatur; & quam difficile ſimulque dolorificum valde ſit, vaſorum reſciſſorum arripere & protrahere extremitates, quamcunque demum forcipem aut tenaculum adhibeas: cum penes omnes conſtet, eas verſus truncos ſuos retrahi & intra carnes adſitas abſcondi, ut inter remedia hæmorrhagiæ vaſorum majorum laceratorum præciſio transverſalis commendetur; proin ſine ingente carnium vicinarum laceratione, nervorumque irritatione convulſiva & frequenter lethali, hoc fieri vix queat, ut, ſi quis laniatum hunc expertus incolumis evaſerit, eum Deo, cujus benignitate a crudelitate & carnificina iſta liberatus fuerit, maximas grates habere & agere jubeat *Gourmelinus*. Cogites pariter, quantum operationem hanc turbent tot præter Chirurgi ipſius miniſtrantium, duorum ad minimum, manus: quarum nulla nihilominus, ſecundum directorium Scriptorum & rei exigentiam, ille carere valet. Quem in aliis vulnerum caſibus læſionis in vaſe locum inciſione & ſeparatione partium incumbentium explorari & manifeſtari volunt, nec inter hæmorrhagias impetuoſiores, ſine enormi laniena, fieri poteſt, quin operator non minus, ac vulneratus, animo deficiat: ne addam, non raro vinculum vas conſtringens citius decidere, antequam caro, quæ locum ſauciatum replere & vaſis aperturam occludere debebat, producta fuerit; hinc hæmorrhagiam recrudeſcere. Quemadmodum nec, qui ſine ejuſmodi vaſorum læſorum detectione operantur, acu modo incurva partem profundius transfigendo ſicque vas ſimul filo conſtringendo, prout v. g. a *Guillemeau p. 509.* hic modus delineatur, unquam certi ſunt, quin hac acus trajectione aut nervum, aut vas ſanguiferum ſauciato vicinum comprehendant, conſtringant, pungant vel perfodiant, hinc novam ſanguinis extravaſationem, ad Ecchymoſin ad minimum, novam inflammationem, convulſionem, ſenſus ac motus impotentiam, concitent.

Nec ſanguini ſiſtendo cauteria actualia ſunt adæquata.

De Cauteriis idem metuendum. Actualia ſiquidem præterquam quod v. g. membro, bombardæ majoris ictu conquaſſato ac lacerato atque extirpationem crudelem paſſo, novam adferant adflictionem, nervis ac nervoſis partibus adjacentibus hoſtilia & dolorifica valde dum exiſtunt: nunquam ſecuros nos reddunt, quin citius juſto decidente eſchora, per aduſtionem inducta, recrudeſcat ſanguinis

nis profuſio, hinc fallax atque infida cauteriſationis deprehendatur efficacia. Porro gradum caloris in ferramento exacte metiri atq; attendere maxime opus eſt, antequam vaſis adurendis admoveatur hoc; quod, ſi fervidius, æque facile in occaſionibus cunctis, quas præter alias circumſtantias ipſa hæmorrhagia vehementior utplurimū præcipites valde reddit, eſcharam introductam ſimul tollit aut laxiorem reddit, ſin minus ignitum, præter terrorem ac cruciatus nihil præſtat; dum interim, antequam rite candeat cauterium fluxus ſanguinis maxime urget. Adeo, ut, ſi ponderemus ejuſmodi aduſtionum uſum, ægris ingentem incutere terrorem, vehementem concitare dolorem, non ſine difficultate adminiſtrari, frequentius infauſti vel incerti ſucceſſus obſerventur eædem: ne dicam, profundius ſub carnibus ſitorum vaſorum vulnera hanc chirurgiam minus admittere.

Nec potentialia. Eidem fato expoſita videntur Cauteria potentialia ſeu medicamina corroſiva, ſiſtendo ſanguini vulnerum a vulgo dicata, ſc. Colchotar, Calx viva, Mercurius ſublimatus, Oleum Vitrioli, Aqua fortis, Regis, Butyrum Antimonii, Euphorbium &c. Quorum unum vel alterum, aut ex his paratas mixturas, quas ſibi nonnulli arcanas ſervant, vulneribus immittunt, ſicque cruſtam inducendo mederi contendunt hæmorrhagiæ profuſiori. Sed incongrua, noxia & infida valde eadem exiſtere *F. Wurzius l. 1. c. 4.* prolixe declarat, ut mirari ſubeat, hujus rationibus atque experimentis non obſtantibus hodienum adhuc a quibusdam eſcharotica ejuſmodi in uſum trahi. Brevitatis gratia minus diſſeram de ſymptomatis ac damnis, quæ in ſpecie ex Arſenici & Mercurii corroſivi applicatione membro pariter & toti evenire poterant ac frequentius ſolent: quatenus nervis admodum infeſta exiſtunt, ſi præprimis recenter vulneratis & cruentis partibus admoveantur, ubi virulentia eorum interiora penitius ſubit: poſtquam cunctorum recenſitorum ſimiliumque cauſticorum uſum periculoſum ac detrimentoſum maxime teſtatur experientia; quatenus, quod ab iis ſperatur, non præſtant, agunt tamen, quod formitandum ac cavendum.

Tanquam minus efficacia, Primo ſiquidem, niſi commoda forſan accedat membri vulnerati deligatio ſimileve adminiculum, impetum ſanguinis prorumpentis minime reprimunt illa, ſeu fruſtranea plane obſervantur. Studioſi

dioſi cujusdam memini, qui ſclopeti minoris improvida & infauſta exploſione ſibi pollicem manus vehementius, cum arteriæ hujus laceratione, conquaſſaverat. Chirurgus præſens diverſa, pro enormiſſima ejus hæmorrhagia ſiſtenda, adhibebat ſtegnotica, ſed irrito conatu; donec vel accurrentium, vel in ſubſidium advocatorum, unus alterve eſcharotica potentiora commendarent, & quidem ſub ſpecie ſingulariorum & evporiſtorum: qualium nihilominus neutrum ſanguinem cohibebat, ſed vel hunc, vel partes continentes eousque irritabat, ut majore impetu idem prorumperet; donec tandem rejectis his corroſivis, blandiori remedio cederet ille impetus. Quemadmodum militis pariter ſuburbii noſtri præſidiarii recordor, per carpi regionem internam enſe transverſim graviter, ad arteriæ cubiteæ rami interioris diſciſſionem, ſauciati: cui ab imperitiore Chirurgo campeſtri ejusdem generis corroſiva per aliquot dies applicata fuerant, usque dum ſub fluore cruoris recrudeſcente mortem obiret ille. Bina ſimilis eventus exempla nominatus refert *Würzius*, quorum unum inefficacem plane cauteriorum actualium æque ac potentialium, alterum fatalem ac funeſtum Butyri Antimonii, uſum perſpicue tradit. Qualem quidem corroſivorum ejuſmodi irritam ac inefficacem applicationem vix mirabimur, penſitantes, cruoris erumpentis fluorem atque impetum diluere, avertere & quaſi repellere eadem, ut hinc diluta ſeu viribus fracta & leviter tantum admiſſa cruciatibus ſimilibusque pathematis inferendis, non tamen cruſtæ vaſorum aperturis inducendæ, ſufficiant: niſi in majore quantitate & profundius intruſa ac impacta, ubi graviora ac lethalia ſymptomata patrant.

Sicut enim ſecundo in vulgus percrebuit, quævis acida ac corroſiva nervoſo generi infeſta admodum exiſtere, ſive intrinſecus asſumpta, ſive externe admota: ita, quacunque demum cautione & circumſpectione cruentis partibus eſcharotica hæc adplicentur, ramulos nervorum, membranas & quasvis fibroſitates ſenſiles earum non poſſunt non exquiſite irritare atque eo usque afficere, ut vulneratum in dolores atrociſſimos, convulſiones, febrem ac ſynoviæ fluxum copioſum, quique difficulter reprimitur, conjiciant. Quibus tertio accedit, cruſta, mediantibus illis producta, maturius decidente **Et noxia.**

operculum ſuum vas laceratum intempeſtive frequentius perdere; hincque hæmorrhagiam recrudeſcere: quæ recidivans difficilius longe reſtringitur, partis nimirum tono magis laxato, ſeu viribus reſtrictoriis conſumptis. Nunquam enim, quod quarto loco attendi meretur, corroſiva ejuſmodi effectum aliquem præſtant, ſeu cruſtam inducunt, quin quantum carnoſitatis in cruſtam commutant, tantum ejus ſimul corrumpant ac conſumant, hinc carnes ſanas corrugent & ulcus dyſepuloticum pone ſe relinquant: ſordidum & graveolens ſimul, ratione virtutis ſepticæ plerisque eorum intertextæ.

Nec vaſorum transverſalis præciſio.

Neque demum præciſio vaſis transverſalis, a nonnullis commendata, quaſi hac facta illius extremitas reſciſſa verſus truncum ſuum retrahatur, & ſub muſculis adſitis ſe occultando horum fotu comprimatur, ſemper adeo tuta: experientia evincente, etiam profunde ſatis ſub carnibus latentes arterias ſauciatas ſanguinem protrudere, vibratione cordis nempe potentiore appulſum. Quemadmodum memini generoſioris ſtirpis Studioſi, qui in brachii dextri interna parte, ad manus transverſæ latitudinem ſupra carpum, enſe ita vulneratus fuerat, ut hic intra cutem & muſculos brachium conſcendens arteriæ brachialis ramum externum ſeu ſuperiorem (ut cadaveris inſpectio manifeſtabat) perfoderit: vulneratus hinc primo decendio frequentiorem, eamque aliquando enormem ſatis, hæmorrhagiam ſuſtinuerit, quæ ſedata intra quatuor ſeptimanas bis, ac denuo, omnibus bene ſe habentibus & coaleſcentiam vulneris promittentibus, poſt decimum octavum diem, ad interitum usque ægri recrudeſcebat; ſc. non obſtante, quod intra muſculos profundius hæreret arteria. Vel utut in arteria læſa operatio hæc feliciter ſuccederet, quid nihilominus ſperandum foret a vena præciſa: cujus equidem ſuprema extremitas, venæ Cavæ vicina, nihil, aut parum, ſanguinis fundet, per circulationis legem, inferior vero, non retracta, ſanguinem refluum copioſius dimittet. Imo denique nonne ab arteriæ ramo majore diſciſſo metuendum foret, ne membrum, aut hujus aliqua pars, a ſanguine ejus actuata hactenus, nutrimento & vitalitate omni, ad mortificationem usque, hac ratione defraudetur.

Addo artibus ſanguinem ſiſtendi fallacibus modum, quem *Ferrara Chirurg. obſ. 14.* ſibi ſingularem, facilem atque efficacem nihilominus

minus deprædicat, & tradit. Jubet nimirum poſt adſperſionem pulveris ſui adſtringentis & ſtrictiorem membri ligaturam, vulneratum induſio recente frigidoque induere, hinc ejus pectus & teſticulos aqua frigidiſſima ex improviſo adſpergere: quo facto haud dubitandum fore, quin ſanguis illico ſiſtatur. Quod tamen remedium aut non efficax ſatis, aut violentum & periculoſum maxime, videtur: ac poſterius quidem in illo præprimis, qui a ſanguinis profuſione majore jamdum refrigeratus, quod intra biduum demum ſanguinem, hoc præſidio reſtrictum, ad priſtinam vivacitatem & motum redire aſſerat; ſub qua mora interim vulneratus in perpetuo aut ſyncopes aut ſtrangulationis, verſatur periculo. Unde forſan, quando *obſ. 15.* idem in vaſis cujusdam interni, pectoris v. g. ruptura quoque commendat, prudenter agit, dum ante omnia ſacerdotem accerſere jubet. **Nec corporis per aquam infrigidatio.**

Verum ne diutius juſto his immorer progredior ad Depreſſionem calvariæ ab ictu factam, quam diorthoſi elevatoria haud ſemper indigere, *Würzio* lubens concedo, ſi nempe hæc non adeo profunda fuerit, ac cerebro nihil moleſtiæ creet, ut ex ſymptomatum graviorum abſentia inferri poteſt: quemadmodum in pueris, fœminis aliisque molliorium oſſium ſubjectis aliquando laminam externam molliorem verſus interiorem deprimi ac ſubſidere obſervamus, & quidem ſine omni ſymptomate, niſi quod commotio cerebri ſub ictus momento concitet. Nollem tamen cum *Hildano* Würzium inſimulare, quaſi nullius ejuſmodi depreſſionis rationem habendam eſſe, aſſerat, dum contrarium vel ex ejuſmet contextu *parte 2. c. 7.* quam evidentiſſime conſtat, ubi gravioribus apparentibus ſymptomatis (quales depreſſionum caſus ſine dubio frequentiores ſunt) eandem chirurgiam utique concedit & commendat. An vero ejuſmodi depreſſio ſine fractura aut fiſſura facile fieri poſſit, merito ambigo, in adultioribus potiſſimum, quorum calvaria ſolidior minime, inſtar vaſis cuprei, ſtannei &c. ſubſtantiæ mollioris atque flexilis, ſine fiſſura ſeu ſuæ continuitatis ſolutione ſe impelli patitur, ut foveam retineat. Atque ideo rariores forſan penes illos erunt caſus, quibus ſola elevatio medeatur; quin per inciſionem integumentorum mollium, raſionem ac trepanationem complicatæ ſimul fracturæ ſubvenire, ne dicam fragmenta protrahere, neceſſarium videatur. **Depreſſio calvariæ elevatione non ſemper opus habet. Aliquando tamen, quamvis non ſemper ſufficiat.**

Aſt, quicquid horum ſit, convenit nihilominus inter omnes de Chirurgiæ hujus uſu atque neceſſitate: quamvis quoad inſtrumenta elevatoria diſcrepet a Veteribus *Hildanus*, ab utrisque *Würzius*, trochleiformia inſtrumenta rejiciens; quorum litem dirimere mihi haud præſumo. Saltim ratione modorum, quibus puerorum aliorumque Calvariarum depreſſionibus mederi contendunt, tyronem advertendum judico, rariſſime & vix unquam forſan, illis reſtaurari poſſe os loco motum: i. e. ſive juxta *Paræum* per cucurbitam cum magna flamma, ſive ſecundum *Hildanum* & *Paaw in Hipp. de vuln. cap.* per cucurbitam, in ſummitate ſui perforatam & ab homine robuſto ſugendam, ſive ſecundum eosdem per emplaſtrum tenaciter adhæreſcens, quod capiti applicatum cum violentia aliquoties avellitur, hoc tentetur. Irrita & abſurda hæc judicat molimina *van Horne*, nec ſine ratione, cum cuncta hæc attractoria in integumenta tantum molliora agant, quibus cum oſſe ſubſtrato vix adeo arcta intercedit connexio, ut ſurſum vulſa illud ſecum abripiant, ſeu hoc illa ſequatur. Concurrente inprimis hoc, quod tanta capitis contuſio, quæ ſolidius os introrſum cogit, minime concipi valeat, quin fibrulæ & vaſa illi ac cuti intermedia rumpantur, adeoque connexione horum per ictum jam dum ſoluta, omnis illa cutis attractio ſupervacanea evadat; ut vel exinde concludere jubemur, quod depreſſioni ejusmodi Ecchymoſis utplurimum combinetur, vaſorum ruptorum productum, cum elevata ſimul in tumorem cute. Invitus hoc ipſemet *Hildanus 2. obſ. 4.* innuere videtur, dum depreſſam calvariam pericranium minus ſequi, ſed renitens potius tendi ac vellicari, atque hoc quidem non ſine dolore, inflammatione aliisque periculoſioribus ſymptomatis, ſcribit.

Elevatio hæc per concurbitam, vel emplaſtrum vix ſuccedit.

Circa Trepani, in calvariæ contuſione, adminiſtrationem duo adverto monenda, quorum unum concernit tempus, a quo ſane ipſius operationis ſucceſſus varii maxime dependent: dum obſervante *Celſo* antiquiores Medici protinus ad ferramenta exciſoria deveniebant; idem *Celſus* contra non, niſi ſub ſymptomatum ingruentia aut notabili horum exacerbatione ad chirurgiam hanc tranſibat. Plus autem dubitandi de hoc negotio occaſionis movit *Hippocrates de vuln. cap.* ubi *text. 20.* calvariam intra primum mox triduum perforare

Tempus trepanationis.

rare ſimpliciter jubet: *textu* autem *28.* perforationem in principio quoque percuſſionis concedit, ita tamen reſtrictam, ne totum os ſimul ad membranam usque perforetur atque exſcindatur, ſed ubi jam valde parum abeſt, ut os ſit perforatum, i. e. interior lamina aliquantulum tantum inciſa, & vacillet ſegmentum, a terebratione ulteriore deſiſtat Operator, hoc, ut ſua ſponte diſcedat, linquat. Quantum contradictioni huic ſolvendæ ac textui poſteriori defendendo inſudarint *J. B. Sylvaticus controv. 99.* & *Paaw de vulner. cap. p. 255. 256.* prolixe haud tranſcribam: cum non tam Hippocratis autoritatem vendicare, quam veritatem eruere atque tradere, Doctoris ſit; ipſomet illo Scriptore procraſtinatione in capitis vulneribus nihil calamitoſius hinc inde aſſerente, imo in eodem *textu 28.* verbis his: *ſi vero etiam ſtatim volueris usque ad membranam perforare & poſtea os auferre &c.* totam calvariam terebrare liberum relinquente.

Si proin ſupponamus, aperturam hanc calvariæ inprimis indicare heterogenea præter naturam ſub ea hærentia, cruorem nempe, ſaniem & fragmenta oſſis, ſine dubio conſultius erit, hæc, quæ ſua præſentia mortis periculum innuunt, tempeſtive & quanto citius, antequam vel ſitu, vel per ſui corruptelam, vel quocunque modo, interiora afficiant, eximere, hinc opportune operari. Neque *Celſo* auſcultandum, qui ſymptomatis gravioribus comparentibus & aliis fruſtra tentatis demum chirurgiam ſuadet: quod ab initio vires adhuc valentiores ſint, ſymptomatis autem illis ſe manifeſtantibus natura jamdum fracta & ſuccumbente, hinc operatio utplurimum minus fructuoſa & vana, ne dicam noxia, deprehendatur. Potius ſequamur eundem *Hippocratem*, dum in *proëmio* ſtatim *citati libri Nullum capitis vulnus parvi faciendum* inculcat: quod plagarum harum interdum leviſſimæ a principio viſæ inſidias ægri vitæ ac medici exiſtimationi frequentius ſtruant. *Feſtinanter*, inquit *Paaw p. 254. itaq; hac in re agendum, cunctando enim hanc rem non reſtitues; ſed in cauſa eris, ut collecta fiſſuræ aut fracturæ loco ſanies, oſſe corrupto, ſe in meningem ſit præcipitatura & eam quoque inquinatura &c.*: Præeuntem habens *Berengarium de fract. cranii c. 35.* qui ex mente *Oribaſii, Galeni* & *Avicennæ*, oſſa non minus meningem pungentia, ac ſaniem, quam citiſſime educenda, & hujus cauſa ante ſecundum & tertium diem

Trepanandum ſtatim ac aliquid educendum.

Haud exſpectando graviora ſymptomata.

diem calvariam aperiendam eſſe, ſuadet: *Quanto citius*, ait, *aperitur, tanto melius eſt*.

Aut horum principium.

Neque illi omnino circumſpecte agunt, qui non intenſiora ſymptomata, ſed primum tantum horum principium, expectare monent, antequam perforatio inſtituatur: quoniam, ſi graviora ſymptomata ægrum aliquando ex improviſo & inexpectato obruere ſolent, ubi nimirum omnia adhuc in tuto videntur, brevi & intra paucas quoque horas mitiora ad illam ſævitiam adſcendere valent, ut Chirurgiam hanc intempeſtivam ac ſupervacaneam reddant. Accuratius proin tempus forandi determinant, qui indicantium illorum præſentiam tempeſtive dijudicant, adeoque non ſymptomata expectant, ſed ex aliis potius circumſtantiis læſionem, illa involventem, dignoſcere norunt: quod quemadmodum nonnunquam facilius, aliquando difficilius, fit, ita ſine ulla mora, & mox prima etiam die, calvaria aperienda, ſi ſigna illa fuerint manifeſta; minus contra feſtinandum, ſi de iis adhuc dubitemus. Hoc eſt, quod *Hippocrates t. 20.* nos admonuiſſe voluit, ubi hæc leguntur: *Si quidem ad perforationem tendere* (h. e. eam indicare) *oſſis ſauciatio videatur, perforare oportet, & citra perforationem triduum non excedere:* ut ſc. perforationis indicatione præſente, & per hanc ejus neceſſitate determinata, eam quanto citius perficiamus, neque tridui ſpatium ſine hac prætermittamus; *ſi* nimirum, ut emphatice adjicit, *a principio curationem ſuſceperis*.

Ventilatur ſententia Hippocratis.

Quando E. in initio *textus 28.* ſub terebrationis urgentia non totum os perforare injungit *Hippocrates*, i.e. juxta Interpretes v.g. *Paaw*, tota tabula exteriore perfecta & altera eouſque tantum inciſa, ut vacillare videatur ſegmentum, hæc pro apertura interim aliquali, exili foramine pertundatur, per quod ſub calvaria hærens heterogeneum expelli poſſit: ſui aſſerti binas reddit rationes, nimirum quod minus conducat, membranam male ſe habentem diu denudatam eſſe; quodque, ſi totum os mox excidatur atque auferatur, periculum ſit, ne in ipſo opere membrana eadem vulneretur, hincque expectandum, donec modiolo circumſcriptum os ſponte demum ac ſine violentia diſcedat. Quarum prior tamen haud tanti momenti videtur, cur incerti ac futuri damni intuitu metuendæ ſc. ab aëris contactu menin-

De non omnimode in principio perforanda calvaria.

meningis corruptelæ, præſentis ac certi ſeu urgentis, fragmenti v. g. cruoris, æruginis, eidem membranæ ac cerebro hoſtilium, eductionem procraſtinemus: potiſſimum cum haud appareat, cur plus lædatur dura mater per triduum vel quatriduum, quo ante ſeptimanam, quem nihilominus terminum terebrationis ultimum in æſtate conſtituerat idem, denudatur, quam per viginti aut triginta pluresve dies inſequentes, utpote cui corruptelæ, ſicut inſequentibus, ita primis quoque diebus, commoda deligatione obviam ire licet. Imo, ſi rem penitius penſitemus, ambiguum manet, annon, quantum extractio ſegmenti illius differtur, ac illa toto genere p. n. diutius in membranas ac cerebrum ſæviunt, tantum ab utroque horum partes nominatæ magis affligantur? quod probabile valde eſt: poſtquam inprimis jugi Chirurgorum peritiorum experientia conſtat, procraſtinata membranæ denudatione inflammationem hujus leviorem hactenus ad ſuppurationem usque, huic ac cerebro exitioſam, intendi.

Sicut nec altera, ab *Hippocrate* mota, difficultas tantum urget, ideo quod aut ab ictu ſeu contuſione, aut a terebrationis, quamvis non omnimode penetrantis, agitatione, membrana mox ſeparetur: neque, niſi ab ictu ſeceſſiſſet, fragmenta oſſis, cruor aut ſanies præſto ſint ac perforationem urgeant, quatenus illa ſine membranæ avulſione ad hanc non deflectere ſeu eidem impingi, nec cruoris ac æruginis deſcenſus, ſine vaſorum, calvariæ & membranæ intermediorum, ruptura contingere, hinc nec perforationem indicare, queunt. Per conſequens, nec timenda eſt a modiolo membranæ laceratio, quæ jam dum facta, ſi inprimis manu cauta & perita operatio adminiſtretur: neque unquam memini, quoties Chirurgiam hanc vel ipſe peregi, vel eidem adſtiti, poſt modioli uſum, ſi modo undique reſciſſum fuerit oſſiculum, multo molimine opus fuiſſe, pro ſegmenti extractione; quin potius levi Voſellæ apprehenſione amoveretur, imo ipſi modiolo inhæreret ac cum eodem educeretur idem, & quidem ſine notabili dolore, qui de avulſione violentiore teſtari debebat. Quinimo recordor, in ejuſmodi ſubjectis, quibus non propter capitis contuſionem, ſed aliam cauſam v. g. epilepſiæ, cephalalgiæ gratia, modiolo exciſum fuerit os, hoc abſoluta terebratione ſponte quaſi ſeceſſiſſe, vixque guttulam cruoris extravaſati ſuper membrana viſam,

viſam, hinc nullam hujus rupturam factam; fuiſſe. Nec, ſi tale quid fieret, leviſſima illa membranæ laceratio ſauciati ſaluti tantum præjudicare poterit, quantum cœtera urgentia, tardius educta. Eo ipſo vero, dum educendorum gratia ejuſmodi perforatio in tempore ſeu opportune adornatur, ſufficiens etiam ſeu patula ſatis per calvariam formanda erit apertura, quæ eliminandis ac protrahendis reſpondeat: ut minus ſubſcribendum videatur conſilio interpretum, poſt exterioris tabulæ omnimodam perforationem, interioris exilem pertuſionem ſuadentium, cum hæc educendis, v.g. fragmentis osſeis, cruori & ſaniei, minus adæquata exiſtat, perinde ac fiſſura calvariæ, cum foraminulo tali ejusdem latitudinis & majoris longitudinis, ſcopo illi haud ſufficit; interim ſtagnatio inflammatoria in meninge ad ſuppurationem usque intenditur, quam tempeſtiva & ſufficiente trepanatione avertere licebat. Breviter, aſſertum hoc poſterius & primum, ſeu ejus hypotheſin, de tempeſtive vel celerius movendis, aut evidens intercedit contradictio, quam miror, nullum interpretum animadvertiſſe, vel ſolvere tentaſſe; aut ſuſpectus dicendus poſterior Hippocratis textus, quo *Foëſium* in commentario inclinare, obſervamus. Et æque mihi peccare videntur, qui os non mox totum exſcindunt, ac qui illud omnino non attingunt: cum remedium ſeu inſtrumentum hoc indicanti ſeu educendis, non ſit adæquatum, & intra plures dies demum ſpontaneus oſſiculi abſceſſus foret expectandus; quod contra Hippocratis aliorumque Doctorum ſententiam, & plerisque forſan percuſſis exitioſum.

Haud expectandus ſeceſſus membranæ.

Prout ex dictis luculenter etiam conſtare puto, quæ de expectando illo duræ meningis a cranio, cui illa undique (non in ſuturis tantum, ut communis fert traditio) adhærere, præter *Berengarium de fract. cran. c. 11. 12. & 38.* nonnulli modernorum, v. g. *Roonhnyſen 2. obſ. chir. 1. & 2.* per avtopſiam aſſerunt, ſeceſſu monet, vix adeo eſſe attendenda. Vel quod a perpeſſa contuſione, aut a trepani, etiamſi ad interioris tabulæ cranii medietatem tantum adacti, agitatione membrana illa ſecedat: vel orbiculi oſſis non ſine omni plane violentia & cum unius alteriusve guttulæ cruoris perfuſione facta avulſio tantum damni inducere nequeat, ac vulgo quidem metuunt; quin potius aperturam ejuſmodi, etſi non omni moleſtia deſtituatur,

ab

ab atrocioribus ſymptomatis evidenter præſervare, communis comprobet obſervatio.

Qua occaſione non poſſum non mirari conſilium cujusdam *de Foi*, Chirurgi ſuo tempore Ordinum Hollandiæ Generalium famigeratiſſimi, quod penes *Roonhuyſen l. a. obſ. 1.* legitur, quoque Chirurgos Medicosve admonet, ne, ſi de plagarum capitis lethalitate a Magiſtratu deponere poſtularentur, communi ac hactenus conſueto modo calvariam tollant, eam a dura matre Elevatorio certo avellendo; ſed potius utrumque hoc integumentum ſimul circulariter reſcindendo & a pia auferendo: ne ſc. vaſis ſanguiferis, calvariam & craſſam meningem intermediis, ruptis ſanguis ad hanc profundatur, qui nobis, quaſi percuſſionis fructus, in præjudicium percuſſoris, imponat. Speculatio ſane Chirurgo tantæ autoritatis indigna, proin a peritioribus non facile admittenda. Haud equidem nego, per avulſionem calvariæ a ſubjacente & adhæreſcente membrana rumpi his communia vaſcula, & proin nonnullas hinc inde cruoris guttulas ſuper ea conſpici: quales nihilominus prudentior a cruore per ictum ſuffuſo, copioſiore, confluente, congrumato, graveolente &c. facile diſcernet. Similis vel major extravaſatio metuenda foret ex vaſculorum utrique meningi intermediorum, ſinuum, plexus choroidei ruptura, &c. ſine quali ejuſmodi capitis aperturam vix fieri poſſe, præter *Roonhuyſen obſ. 2.* ipſa operatio loquitur.

Encheiriſis de Foi in aperienda calvaria percuſſorum nullius eſt momenti.

De tempore Trepanationis poſtquam diſſerui, huic ſubjungere minus incongruum videtur, quod loco cautelæ eximiæ in hac perinde, ac calvariæ raſione obſervare jubent tantum non omnes Scriptores ac Operatores: nimirum ut, antequam inſtrumenta admoveantur, ægri aures bombace ſimilive materia probe obturentur, ne raſionis aut terebrationis ſtrepitum moleſtum ille perſentiat, hincque lædatur. Rationi pariter ac experientiæ hæc refragantur, prout a *Fallopio* jamdum annotatum, & mirandum, tot viros eruditos atque expertos nugis ejuſmodi adhuc abblandiri. Claudantur aures miſeri talis quam firmiter, percipiet ſonum: aperiantur, & ejus non plus percipiet, adeoque claudere nihil refert. Strepitus quippe hic, ex ſcalptura ſeu perforatione cranii concitatus, non per aurem

Fruſtranea eſt obturatio aurium.

externam interius organum percellit, ſed per oſſium illius contiguitatem & impulſum tremorificum, ipſi ab inſtrumentis impreſſum, ad auris interiora propagatum.

Quædam operationes chirurgicæ minus fidæ.

De evidentia ſeu certitudine effectuum chirurgiæ ſub principio præſentis capitis, occaſione Celſi, diſſerui, non eousque tamen hæc extendenda eſſe, quaſi nulla ejus operationum unquam decipiat, ſeu infida ſit, diverſa cavere jubent. Repeto huc, quæ de ſucceſſu dubio depoſitionis catarrhactæ ſuperius monui, quibus inpræſentiarum ſubnecto unam alteramque chirurgiam non oppido certam ac deſiderio ægri faventem. Dirum & periculoſum valde remedium lithotomiam veſicæ cum *Dureto* multi, non ſine ratione, pronunciant, hinc eam non præcipitanter eſſe ſuſcipiendam, antequam de calculi præſentia & habitudine, i. e. an mole, ſitu, figura & nexu talis ſit, qui ſine vitæ diſcrimine evidente eximi queat, conſtet, ac utriusque teſtes omni exceptione majores præſto ſint: ne aut fruſtra torqueatur, aut perimatur, miſer, neve fraudibus ac imposturis ſuam occultare & incruſtare urgeatur temerarius lithotomus imperitiam, qualibus utebantur Empirici illi penes *Aquapendentem de operat. chir. p. 264. Hildanum de lithot. veſic. c. 1. van Horne microtechn. p. 150. & 151.* ac *dans la Legende du Gaſcon*, ab Illuſtri quodam Gallo, eum in finem, quo nefas hoc publico innoteſceret, conſcripta.

V. g. exploratio calculi veſicæ.

Quemadmodum autem calculum veſicæ cognoſcimus partim per ſigna quædam conjecturativa, hinc inde ex Practicorum monumentis petenda, partim per explorationem chirurgicam, manu pariter ſolitaria, ac inſtrumentis, perficiendam: ita illa ſine hac pro ſectione adornanda minus ſufficiunt; neque hæc omni difficultate caret.

Per digitum æque in anum immiſſum.

Conjecturas illas recenſere ac penſitare intentioni præſenti haud conforme judico, de chirurgiis potius illis exploratoriis ſollicitus, quantum frequenter etiam circumſpectis ſatis operatoribus imponant. Qui nempe digitis, ano in maſculis, collo uteri in fœminis, intruſis hoc tentant, conatu operantur minus adæquato, nec cui adeo abſolute fidendum eſt. Dum hac ratione calculum in ſubjectis craſſioribus attingere vel contrectare, ob ſitus hujus profunditatem, iis haud conceditur: quod metuendum pariter, ſi ſummitati veſicæ fundi idem adhæreſcat, quorſum digiti penetrare nequeunt.

Deinde

Deinde ſarcomata, tumores ſcirrhoſi ſimiliaque ſub calculi ſpecie eosdem digitos exploratorios decipere poſſunt, inprimis ſi hæc alia ſigna cum calculi veri ſignis communia habeant, ut ex *Hildano 2. obſ. 65.* & *de lithot. veſ. c. 3.* conſtat. Hinc Catheteriſmus certior ac fidus magis creditus fuit negotii hujus dubii arbiter: quem nihilominus pariter nonnunquam fallere, ex ſequentibus conſtabit. Sc. calculum adeſſe, certos nos credimus, ſi immiſſo in veſicam cathetere alliſionis ad rem duram quidam & repercuſſionis cujusdam ſonus, cum renitentia notabili, percipiatur: Verum quemadmodum non omnis ejuſmodi ſolidioris ſubſtantiæ reniſus ſonorus lapidis infallibile argumentum eſt, ita nec, ubi nihil hujus deprehenditur, talem abesſe, mox inferre convenit.

Ac per Catheteriſmum.

Prioris dubii ratio eſt, quod non ſemel obſervare detur veſicæ faciem internam calloſam ac cruſta lapidea ſeu tartarea obductam aut lapidefactam, cui ſi catheter allidat, ſonora renitentia calculum mentiatur; cujus exempla hinc inde offendimus, v. g. penes *Borellum cent. 1. obſ. 5.* de cujusdam Nobilis veſica integra fere lapidefacta, ac *Pechlinum 1. obſ. 2.* de quodam Religioſo Aurelianenſi, in quo repulſus cum tinnitu catheter calculum innuebat, cujus extrahendi gratia, quamvis ille ſectioni exponeretur, in eo tamen Operatorem & Medicos adſtantes fefellerat, quod nullus per vulnus eductus, in cadavere vero tota ejus veſica periſtromate calculoſo undique obducta viſa fuerit. Cui ſimile quid ex relatione cujusdam Galli, quam ad Vallottum, Regis Galliæ olim Medicum primarium perſcripſerat, idem *Pechlinus obſ. 3.* commemorat, ubi poſt extractionem calculi, cura & manu Jannotti ac Collotti, celebratiſſimorum tunc temporis Lithotomorum, factam, ac poſtquam duo inſuper alii calculi minores per vulnus exciderant, ſecti, quarto ac vigeſimo die mortui, veſicæ ſuperficiem internam calloſo & tartareo velamento, cum eminentiis durioribus hinc inde infinitis, obductam viderunt. Et quamvis tumores ſcirrhoſi, in veſica geniti, rarius forſan ad ſoliditatem ac calloſitatem ſonoram evehantur, minus tamen impoſſibile hoc eſſe, ex eadem obſervatione *Pechlini* conſtat. *Van Hammen* nempe, Medicum alias peritum, ſcirrhum duriſſimum, quem ipſo catheteris tentamine calculum judicarat, per ſectionem e veſica eduxiſſe; adeo-

que quam parum examini, per hoc inſtrumentum facto, ſit fidendum, quoque expertum fuiſſe.

Poſterius vero, i. e. lapidem ita aliquando in veſica occultari, ut catheter eum minus deprehendere queat, non una ratione contingit. Aliquando ſcilicet aut mucilagine multa viſcoſa, aut tunica craſſiore, ille obvolvitur, qualia exempla *Hollerius de M. J. c. 49.* & in hunc *Duretus*, *Hildanus* l. a. *cap. 3. & 8. Tulpius obſ. l. 3. cap. 5. Verzaſcha obſ. 52. Solingen obſ. chir. part. 3. c. 10.* & *Pechlinus obſ. 2.* recenſent: quemadmodum aliquando veſica conformatione vitioſa & extraordinaria quoque gaudet, v. g. ſi duplex fuerit, aut ſepto membraneo in duas cavitates diſtinguatur, qualem *Volcherus Coiter* in virgine, *Bauhinus theatr. anat. 1. c. 31.* in Principe Onolsbacenſi perhibet, aut in plures cellulas & quaſi totidem ſacculos diſtincta, prout in Eruditisſimo Iſaaco Caſaubano cernere erat, exiſtat; ac in his diverticulis & receptaculis calculi hæreant. Quibus ex *Blancard. anat. pr. cent. 2. obſ. 77.* addendum, quod in hernioſo veſica cum calculo delapſa hujus explorationem per catheterem quoque turbarit. Quales anomaliæ, quia reluctationem ad catheteris contactum tinnientem intercipiunt, fallere poſſunt & ſolent exercitatos nonnunquam operatores.

Difficulter etiam dignoſcuntur calculi conditiones.

Quia tamen, ut ſuperius indigitatum, non inexiſtentiam tantum, ſed conditiones quoque calculi, antequam ſectio ejus ſuſcipiatur, tanquam totidem ejus permittentia ac prohibentia, dignoſcere multum intereſt, molem nempe, ſitum, configurationem ac nexum: novæ ratione harum circumſtantiarum emergunt difficultates. A calculi majoris juſto extractione vix, niſi infeliciorem exitum, ſperare datur; cum ſine inſigniore ſphincteris veſicæ laceratione illa fieri nequeat, inprimis in corpore exiliore atque teneriore: cum nec in grandioribus ac robuſtioribus ſubjectis calculi, ovi gallinacei mediocris molem ſuperantis, ſectionem ſine vitæ periculo tentare liceat. Pariter aſperior, ſpinoſus ſeu anguloſus valde lapis operationem difficiliorem & variis diſcriminibus implicitam metuere jubet: quemadmodum nec calculus oblongior, forcipe minus commode, v. g. in medio ſui ſeu transverſim comprehenſus, vel etiam oblique tentatus, ſine lacerationis & exulcerationis veſicæ metu, extrahetur. Porro ſitus

ſitus & nexus ejus extraordinarius chirurgiam aliquando funeſtam aut fruſtraneam reddunt, v. g. ſi in cavernoſo quodam ſinu is lateat, ſi vinculo membraneo veſicæ validius cohæreſcat, aut cyſti peculiari obvolvatur: vel quod ad cellulas iſtas non pertingere queant forcipes extractoriæ, vel per ejus avulſionem violentiorem veſica aut laceretur, aut ſimul protrahatur. Qualis nexus vel ideo facilius decipit, quod membranæ quamvis incluſus, aut hac mediante veſicæ affixus, digitorum nihilominus in anum intruſione ad collum usque ejus devolvi queat, hinc pro mobili & libero habeatur calculus: ubi poſtmodum, ſi ſupra hunc, parvo ſcilicet apparatu, ſectio fiat, illam tunicam inciſam, advertente *Sculteto*, inſanabile ſequitur ulcus.

Magnitudinem equidem vel digitis in anum immiſſis, vel catheteriſmo probabiliter, aſt non infallibiliter, dijudicamus, ut non raro eveniat, lapidem, quem mediocris & tractabilioris magnitudinis etiam ſagacior Lithotomus judicarat, ſub ipſa operatione majorem juſto deprehendi, & vel ſui eductionem interpellare, vel hanc exitioſam reddere. Ita memini circumforaneum quendam in juvene, octodecim, ni fallor, annorum, calculi extractionem jactatam minus feliciter præſtitiſſe: dum me aliisque adſtantibus congrue equidem ſatis ſecando operabatur, calculum tamen apprehenſum præ vaſtitate &, ſi non figura, certe ambitu ovum gallinaceum majus æquantem, imo ſuperantem, non niſi cum maxima partium laceratione, educere poterat, a cruciatibus poſt biduum defuncto miſero. Idem perhibet obtigiſſe Marotto, Gallo, in Hamburgenſis Patricii filio *Pechlinus 1. obſ. 2.* qui cum, inciſione neceſſaria facta, calculum forcipe teneret, hunc tamen, propter ſui vaſtitatem protrahere non potuerit, conatibus vero intenſioribus in duriore lapide illum fregerit, hinc deſerere ægrum coactus fuerit, proximo die mortuum. In ſitu & nexu lapidis veſicæ dijudicando pares, ſi non potiores, offendimus difficultates, cum de hoc, ad cuniculoſas cellulas detruſo, aut involucro membraneo obvoluto, omnimode incerti maneamus; de leviore etiam, lithotomiam tamen valde turbante, ejus cum veſica colligatione non, niſi per ipſam operationem, informemur. Neq; omnes ac ſingulas ejus inæqualitates digitis explorare conceditur, quod his uti aliquando inhibeamur, prout ſuperius dictum: multo minus per tentamina cathetere adornata.

 Per-

Vulnerum profunditas aliæque conditiones male ſpecillis explorantur.

Perverſe pariter utplurimum agunt Chirurgi, qui vulnerum profunditatem aliasque conditiones ſpecillis indagare annituntur, plus curioſitati vanæ ac intempeſtivæ, quam arti & medelæ vulneratorum, litantes. Abuſum hunc ſtrenue caſtigat *Würzius Chirurg. I. cap. 6.* qua nihilominus animadverſione haud obſtante inſtrumentis ſuis fodicare & rimari illa nondum ceſſant illorum ſtupidiores & præ aliis ſolertiores videri geſtientes, profunditatem ac latitudinem plagæ, ſimulque partium latentium magis, viſcerum etiam læſiones, indagaturi: & quidem reiteratis ac diverſis vicibus atq; deligationibus; aliquando etiam ex conſuetudine mera ac prava & quod ab aliis ita actum fuiſſe noverint, utut quid quæritent, ignorent. Nec ſufficit, unum tantum naſutulorum per tentamina hæc disquiſitoria vulnerato dolores exacerbaſſe, ſed, ſi medentium plures adſtent, ſinguli horum ſpecillum apprehendunt & curioſitatem ſuam dolorificam in miſero experiuntur; hicque inſons aliquando plus inde cruciatuum ſuſtinet, quam percuſſor male feriatus inter tormenta legalia. Negari vix poteſt, interdum exploratione per ſtylos ejuſmodi opus eſſe in vulneribus v. g. capitis, pro fracturis calvariæ dignoſcendis: aſt frequentius minus neceſſaria ſeu fruſtranea illa dicenda, vix unquam tamen ſine noxa adminiſtratur.

Irritam ſeu ſupervacaneam Chirurgiam hanc tentativam inde concludo, quod profundiori ac latiori plagæ non alia ſuppetant remedia quam ſuperficiali atq; anguſtiori, & per conſequens raro medelam mutare hæc jubeat. Sufficit, conditiones vulneris ſenſibiles magis ita ſe habere, ut exin nihil periculi metuendum: & ſi pravitatis ſigna compareant, nullis inſtrumentis opus, nec adæquata hæc erunt ad cauſam profundius latentem partiumque internarum læſiones inveſtigandas ſeu dijudicandas. Interim ſpecilla ejuſmodi exploratoria vix unquam applicari valent, quin partes nerveæ, maxime irritabiles, dolores exquiſitiſſimos hinc experiantur, gluten balſamicum & teneriora coaleſcentiæ ſtamina ab iisdem deradantur, & natura conglutinatrix in opere ſuo turbetur. Accedit, quod venulæ ac arteriolæ ſauciatæ, grumo hactenus obturatæ ſeu obvolutæ & ſub hoc ſui conſolidationem molientes, illo per ſpecillum detruſo ſeu avulſo, ſanguinem de novo fundant, & earum coalitus inchoatus denuo laceretur

retur ac vulneretur; ne dicam, majorum vaſtorum vulnerum, thrombo aliquantulum obturatorum, hæmorrhagias recrudeſcere, & periculum vitæ intendere mortemque maturare. Imo annotarunt nonnulli circumſpectiorum Chirurgorũ, per hæmorrhagiarum ejusmodi recidivas, circa juncturas inprimis, fungos moleſtiſſimos produci.

Paracenteſin thoracis ac abdominis non equidem nullius omnimode efficaciæ ac fructus eſſe, alias tradidi, & experientia loquitur: quod tamen eadem ægrum aliquando citius interimat, aut non adeo fidum ſemper hydropicis præſtet præſidium, quotidie pariter deprehendimus, illis v. g. quorum vaſa lymphatica majora rupta, aut viſcera, propter ſeri extravaſationem jamdum indurata, vel quovis modo enormius corrupta. In prioribus quippe, educta colluvie ſeroſa, hactenus cavitatem opplente, novum mox ſpatium conceditur novæ lymphæ extravaſationi, & dum, quod cauſæ antecedentis affluxui obex hactenus ponebatur, ſerum in ventre collectum ſubtrahitur, idem, tanquam cauſa continens, denuo augetur, ſeu tantum, quantum colluviei extravaſatæ depletur, protinus affluit, & vaſa confertim nimis exinaniuntur; quatenus in his, quorum viſcera vitium enormius contraxerunt, digeſtiones vitales maxime lædi plus, quam probabile, eſt. Non mirum proin, ſi Chirurgia hæc, quem interdum ſatis anxie anhelant miſeri, fruſtranea plerisque eveniat. **Paracenteſeos ſucceſſus dubius.**

Quem Chirurgus nonnullus modernus, qui magno conatu artem locupletare contendit, fibrarum muſculorum abdominis tractum, pro paracenteſi accuratius inſtituenda, obſervare inculcat, delineat quoque, nullius momenti, ac fruſtranea omnimode eſt cautela, in inciſione abdominis adeo exili aut punctura potius: per quam, ſive recta, ſive transverſim, lanceola ſimileve inſtrumentum adigatur, fibrarum nexus ac continuitas minus læditur, hinc nec muſculorum actio. Dedecent talia Chirurgum anatomicum. **Fibrarum tractus in paracenteſi vix attendendus.**

Erroribus atque ineptiis his non ſine ratione accenſeo Herniotomiam vulgarem circumforaneorum, quæ cum extirpatione ſeu reſectione teſticuli fit, quamque *P. Æginetæ 6. cap. 65.* debent: operationem adſpicientibus etiam maxime crudelem, his vero, qui eam perpetiuntur, admodum dolorificam, periculoſam, frequentius funeſtam, ideo a Medicis & horum Collegiis frequentius deteſtatam. **Herniotomiæ vulgaris ineptitudo.**

Memini

Memini equidem, unum alterumve ejuſmodi Caſtratorum per fidem ſuam aſſeveraſſe, nullum hernioſum absque illa ſpurca teſticuli extractione, niſi ſub recidivæ metu, ſecari poſſe: neq; ignoro, Medicos quosdam in hoc iis ſubſcribere, ut quidem truculentam valde & cum periculo vitæ conjunctam hanc chirurgiam pariter aſſerant, fidiſſimam nihilominus omnium cœterorum operandi modorũ eam pronuncient, v.g. *Thevenin* & *Lud. van Hammen*. Priorum tamen fidem ſubleſtam, & horum aſſerta præjudicio inniti, puto, poſtquam alii magnæ peritiæ atque autoritatis Medici & Chirurgi v. g. *Dodonæus*, *Aquapendens*, *Scultetus* & modernorum diverſi v.g. *le Quin Chir. herniaire*, plerosque ſectorum brevi ab operatione mortuos, aut per totam vitam valetudinarios, teſtantur; nec me fugiunt triſtia exempla diverſorum, qui non adeo diu poſt herniotomiam ejuſmodi caſtratorum ſub convulſionibus atrociſſimis expiraverint. Sicut contra eorum

Herniæ ſine ſectione frequentius ſanantur.

pariter quotidianæ ſunt obſervationes, qui ſub mora & quiete quatuor vel ſex ſeptimanarum per ſola brachieria, victus rationem congruam & medicamenta adſtringentia ſeu vulneraria perfecte reſtituti & ſanati fuerint; adeo ut cingula hæc non tantum palliativam curam præſtent inteſtinis retinendis, ſed compreſſione tandem ſua eousque etiam firment annulos muſculorum abdominis, per quos dilatatos inteſtina ad bubones vel ſcrotum hactenus prodierint, ut tandem arctiores facti prolapſus recrudeſcentiam, depoſitis quamvis illis, inhibeant. Teſtem provoco præter allegatos *Horatium Norſinum*, Herniotomum ſui temporis exercitatiſſimum, qui *H. Fabr. ab Aquapendente* demum faſſus fuit, ſe, poſtquam olim ſingulis annis plus quam ducentos hernioſorum inciderit, nunc vix viginti horum ita tractare, quod brachieriis & medicamentis adſtrictoriis plerosque ſine truculento ejuſmodi remedio ſanarit. Confirmant idem Chirurgorum recentiorum plerique, v. g. *Blegm. art. herniar. curatr. le Clerc Chirurgie complette, Beranger des deſcentes* & *le Quin Chirurgie herniaire &c.*

Herniotomia non ſine recidiva.

Quibus accedit, quod ramex per ſectionem quamvis curatus nihilominus frequentius recidivet, atque hoc quidem non tantum ex obſervatione medicorum herniariorum peritiorum, ſed empiricorum quoque: quorum hi recidivæ hujus rationem eam reddunt, quod proceſſus peritonæi minus rite, v. g. non in altiore

altiore ſui parte fuerit ligatus; quamvis aliam hujus cauſam eſſe, inferius oſtenſurus ſim.

Scilicet in quavis hernia mobili, ubi inteſtina, ſive ad inguina, ſive ad ſcrotum, elapſa reponi poſſunt, i. e. taxin eorum non impediat ſtrangulatio inflammatoria annulorum, aponevroſibus tendineis muſculorum abdominis ſuperveniens, coalitus inteſtini cum ſcroto, teſticulis aliisque partibus vicinis, fœcum nimia congeſtio atque induratio &c. adæquatum & ſufficiens remedium deprehenduntur Brachieria concinne fabrefacta: dum in difficultatibus recenſitis, adeoque ſummo neceſſitatis demum caſu, ſectione opus eſt, non circumforaneorum, ſed inferius indigitanda. Supplicii equidem genus vinculorum ejuſmodi ad tumulum usque geſtationem ac uſum nonnulli pronunciant, vel quod cuncta ſub his evitari debeant exercitia & motus corporis majores, vel quod dolore afficiantur perpetuo muſculi hinc compreſſi: aſt leve illud, & chirurgiæ adeo periculoſæ minus par erit dicendum, quod etiam ſecti ſeu caſtrati cavere jubeantur ab agitationibus corporis vehementioribus, & ſine recidivæ ſuſpicione has vix unquam ſubeant; nec de dolore conqueri ullum audierim, ramicis cauſa qui geſtat brachieria, modo affabre contexta & applicata hæc fuerint; ut taceam, nec omnes vinculis his per totum vitæ curſum opus habere, quibus ſcilicet laxitas illorum tendinoſorum annulorum obfirmata, quod multis contingere, experientia loquitur. Per conſequens male agunt, qui hernia laborantes ſe ab Empiricis ejuſmodi torqueri, quam Medicis ac Chirurgis peritioribus, mitiora, moleſta quamvis aliquantulum, ſuadentibus, paucas ſeptimanas obedire, malunt: & Medicus eo ipſo, dum tutiores & tolerabiliores caſtratione ſuppetunt rupturis medendi rationes, illi nunquam ſubſcribere debet; quia nec arti, nec conſcientiæ ſuæ, conſulit, ſi ab ægro hujusve parentibus, agnatis &c. in conſilium vocatus caſtrationi ejuſmodi adſtet, huncque perverſe operantem haud tempeſtive corrigat, vel illos ejus admoneat.

Brachieriorum moleſtia haud metuenda.

Herniotomia vulgaris non ſuadenda vel concedenda.

Ipſimet illi circumforanei ſe ſuamque ſecandi rationem ſuſpectam reddunt, dum vel ſponte, vel rogati, caſtrationem celant, & quaſi ſine hac ac per ſingularem encheiriſin operentur, privatim ac in

Circumforaneorum fallacia.

foro ſimulant ac popello imperitiori perſuadent: quod diverſis exemplis ejuſmodi glorioſorum caſtratorum, etiam ex Actis forenſibus, comprobare poſſem. Ita v. g. quidam ex hominibus iſtis perquam temerariis menſe Septembris 1685, civi hujus urbis & Medico, in conſilium vocato, ſe ejus filii herniæ per peculiarem ſecandi modum, quem quingentis aureis a Gallo quodam addidicerit, ſine teſticuli reſectione mederi poſſe ac velle, ſancte promittebat; vulgari nihilominus herniotomia & miſerum puerum, altero mane ſub vomitibus & motibus epilepticis defunctum, caſtrando operabatur. Sagaciorem, quamvis æque imperitum & nefarium, ſe olim præſtabat alius Empiricorum, civitati & provinciis noſtris famoſiſſimus, qui ruriculæ cujusdam filium ſecturus Medicum operationi ſupervenientem clam compellabat, ne de caſtratione coram adſtantibus verba faceret, ſine dubio, quod penes eos hanc diſſimularit; extirpando interim teſticulum nycthemero nondum elapſo puerum ad plures dimittebat. Quales Syotomos proin non culpæ tantum, qua ancipitem valde ejuſmodi operationem morbi minus periculoſi cauſa, parant, ſed doli quoque, quo penes ægros æque ac Medicos caſtrationem ſpurcam diſſimulant, arguere convenit.

Herniotomia cum caſtratione eſt contra autopſiam anatomicam.

Aſt, quod maximum momentum, vulgaris illa Herniotomia principiis ſeu avtopſiæ anatomicæ repugnat, dum falſam partium conformationem, hinc falſam ramicum ætiologiam, ſupponit: ut non mirum, ſi minus neceſſaria ac inepta illa hodie dicatur. Triviale olim & hactenus de Herniis dogma fuit, proceſſus Peritonæi communiter dictos, per quos, tanquam canales laxiores, in maribus vaſa ſeminaria ex abdomine ad teſticulos ferantur, hincque ad hypogaſtrium & ſeminales veſiculas recurrant, ac qui tunicam teſticulorum vaginalem forment, in fœminis ligamenta teretia obvolvant, præter modum laxatos aut ruptos omentum ac inteſtina eousque admittere, ut eorum ductu in utroque ſexu ad inguina, in maribus ad ſcrotum, & in fœminis ad genitalium labia, devolvantur ſeu præcipitentur. Quo ſuppoſito ratione therapeiæ inferebatur, repoſitis inteſtinis denudandas eſſe productiones has p. n. dilatatas, ac, ne illa per easdem denuo ad loca priſtina deſcenderent, vinculo arctiſſimo ad conſolidationem usque ligandas eſſe: quale quid ſine vaſorum ſpermaticorum conſtrictione

ſtrictione cum fieri non poſſet, hanc ligaturam nihilominus, hincque ſanguinis atque ſpirituum affluxum interpellatum, neceſſario teſticuli mortificatio & ſphacelus excipiat; hunc ſimul reſcindendum eſſe agyrtæ ejuſmodi aſſerebant, hacque deteſtatione deteſtanda peracta, remediis appropriatis proceſſui reſecto cicatricem inducebant, quæ vinculo per ſuppurationem ſeparato ejus aperturam occluderet, & contra abdominis interaneorum deſcenſum firmaret.

Verum primo, quæ de Proceſſuum Peritonæi fabrica hactenus tradiderunt Anatomicorum plerique, avtopſiæ minime reſpondent: dum Vaſa Spermatica, præparantia vulgo dicta, illud abdominis involucrum minime perforant, ſed inter ejus membranarum duplicaturam ab exortu ſuo lata, hinc lacinias membraneas mutuantur, quæ tanquam involucra, non latiora ſeu cannulata, ſed vaſorum illorum ramis intertexta, & hos arctius obvolventia ad teſticulos iſta comitantur, hincque vincula, firmamenta & tunicam communem iis concedunt. Pari ratione res ſe habet cum vaſis teſticulorum deferentibus, quæ iisdem tunicis obvoluta & abdomini ſe inſinuantia Peritonæum neutiquam perforant, ſed intra hujus tunicas binas lata ſub Veſicæ urinariæ cervice veſiculis ſeminalibus, itidem intra Peritonæi duplicaturam latentibus, implantuntur. Præterea tamen in ipſa hujus lamina interiore, ſeu quæ cavum abdominis reſpicit, prope illum vaſorum deſcenſum atque aſcenſum, utrinque aperturæ comparent exiliores ſtilum facile admittentes, & in tubulos membraneos, ad inguina exporrectos, deſinentes; quos proceſſus ac diverticula Peritonæi moderni vocant, licet ad ſcrotum haud ferantur, multo minus teſticulum involvant. Provoco ad ea, quæ ante annos tantum non triginta *Schraderus obſ. anat. 5.* & paulo poſt *Bidloo Anat. tab. 32.* de conformatione eorum annotarunt, confirmatque Proſectorum diverſorum experientia: hos nempe, longitudine digiti articuli & pennæ anſerinæ craſſitie a Peritonæo ita prodire, ut ſui oſtium in hujus ſuperficie interna monſtrent, ſub forma vero oblongæ & pyramidalis burſulæ, cujus extremum inſtar inteſtini cœci clauſum, verſus ſcrotum protendatur & huic per fibram membraneam gracillimam cohæreſcat, minime tamen teſticulum involvat. Quem uſum corpori præſtet hæc vaginula ſeu diverticulum vacuum, hactenus

Vera proceſſuum peritonæi & vaſorum ſpermaticorum conformatio.

nus equidem a nullo Scriptorum declaratum, probabile tamen eſt, hanc ipſam capſulam tubulatam Inteſtina ac Omentum niſu ſuo deſcenſorio ad ſacciformem latitudinem extendere ſicque Herniam formare: adeo tamen, ut accuratius loquendo, non propter canales hos dilatatos vel ruptos, ſed aliam ob cauſam, mox explicandam, illa extra locum ſuum naturalem ferantur, ſicque non a dilatatis illis canalibus admittantur ſeu excipiantur, ſed ſitum mutantia mole ſua & premendo eos magis minusve dilatent; qualem proceſſum dilatatum in cadavere pueri, alumni Orphanotrophii noſtri, hernioſi, olim etiam in viro ob homicidium decollato, illum ſchemate a *Schradero* l. a. delineato minorem, hunc notabiliter majorem, vidi, videruntque mihi adſtantes. Et, quod potiſſimum ac hactenus pro vero atque conceſſo habitum, ſimul annotari meretur, tantum abeſt, ut proceſſus hi vaſa ſpermatica amplexu ſuo foveant, quin potius his, intra diploen membranarum duplicati Peritonæi prope oſtium prodeuntibus, tantum inſternantur, ea ſuperficie ſua externa contegant & iis contigui modo exiſtant; adeoque nec in hernioſis intra eorum ambitum reperiantur, quamvis Peritonæum perforando ab hoc productiones membraneas connectentes & involventes recipiant eadem cum teſticulis.

Annuli muſculorum abdominis. Deinde, quod ab anatomicis olim pariter neglectum fuit, muſculorum abdominis bini obliqui & transverſus in ſui cum oſſibus pubis ac ilei connexione, utrinq; aperturam ſeu ſpatium exilius relinquunt annuli triplicis nomine hodie veniens, & vaſis ſpermaticis non minus, exporrectionibus Peritonæi obvolutis, ac proceſſui illi membraneo coneiformi, de quo modo dictum, commeatum & viam concedens. *Horum dilatationis occaſione fiunt ramices.* Quales hiatus ſecundum naturam ſatis conniventes nihil abdominis interaneorum, niſi vaſa dicta ſpermatica, tranſmittunt, a quacunque vero cauſa præternaturali, ſive latente, ſive evidente, aut violentia quadam externa, præter modum extenſi ſeu ampliati, inteſtino Cœco Iliove cum Omento aditum eousque concedunt, ut ad Bubones in utroque ſexu, in maribus ad ſcrotum, in fæminis ad labiorum extrema, devolvantur, herniamque modo incompletam, modo completam, conſtituant.

Ex quibus recenſitis colligere licet, primo in chirurgia herniarum non tam proceſſus Peritonæi membranei, ab inteſtino deſcendente

dente dilatati, quam annulorum illorum in muſculis, præter naturam ampliatorum & patentiorum, rationem eſſe habendam: adeoque non illos funiculo conſtringendos, quam hos latiores arctandos, eſſe. Metuendum ſiquidem, quale quid non raro evenire, ſuperius dixi, ne annulorum illorum latiorem hiatum penetrent tandem denuo inteſtina membraneumque canalem de novo vel laxent, vel rumpant; utpote qui ſuſtinendis ac reprimendis illis, ſine muſculorum concurſu, minus par foret. Secundo hinc apparet, teſticulorum maſculinorum extirpationem in herniotomia minus neceſſariam, nedum ineptiſſimam & fundamentis anatomicis adverſiſſimam, eſſe: cum vaſa ſpermatica extra ambitum proceſſuum dilatatorum reperiantur, adeoque hi ſine illorum ligatura ac teſticulorum mortificatione vinculo conſtringi & amputari valeant, quorum neutrum tamen, herniarum hac ætiologia ſtante, poſtulatur.

Unde herniarum poſt caſtrationem recidiva?

Caſtratio hæc minus neceſſaria.

Quippe etſi ſub certis tantum caſibus, quibus nimirum herniam formantia abdominis interanea per anevroſes illas muſculorum perforatas reponi nequeant, ſectione opus eſſe, ex *Paræo l. 7. cap. 15. Geigeri Kelegraph. cap. 9. Blegny art. herniar. part. 2. ſ. 1. c. 3. le Clerc chirurg. complett. des operat. cap. 13.* aliisque modernis Chirurgis conſtet; alias vero ſeu extra tales caſus ſubligacula cum aliis remediis ac diæta congrua ſufficere, ſuperius indigitavi: niſi tamen his minus fidere quis velit, & ſine ſectione medelam abſolvi poſſe, dubitet, repoſitis inteſtinis & inciſione, pro denudanda ſufficienter illa muſculorum apertura ampliata, facta, hæc, pro cicatrice majore procuranda circumcirca ſcarificetur, eique intrudatur turunda lintea, quantitatis idoneæ ac filo inſtructa, quo retrahi queat, quæ inteſtinorum relapſui obicem ponat; vulnus vero digeſtivo, plumaceolis, emplaſtro & deligatione congrua, qualem ſpica præſtat, deligetur, ægrum interim ad omnimodam conſolidationem usque quietum in lecto ſupinum aut in oppoſito latere decumbentem detinendo, imo poſthac etiam a vehementioribus exercitiis arcendo. Sub quali Chirurgia natura cicatrice ſimilive excreſcentia illum hiatum opplet ac eousque firmat, ut illum perrumpere denuo haud poſſint abdominis contenta: conſpicuæ vero ſimul redduntur ineptiæ rudiorum ac ſcutica, niſi furca, dignorum Herniotomorum circumforaneorum.

Sectione quando opus.

& quomodo inſtituenda.

Fibrarum tractus in abſceſſuum inciſione haud adeo attendendus.

Quas de fibrarum muſculoſarum tractu in abſceſſuum Aplotomia adeo anxie injungunt, cautelæ itidem plerumque ineptæ ac minus neceſſariæ videntur: materiam purulentam ſive muſculis incumbere, ſive ſuccumbere, nobis concipiamus. In priore ſiquidem caſu, ubi præter cutem nullum integumentorum incidendum, hujus fibrarum tractus multifarios attendere nec licet, nec opus eſt: neque in poſteriore, quoniam puri educendo exilior inciſio, id eſt, quæ ad puncturæ tantum modum fit, ſatis adæquata eſt, apparet, quid damni ex tantillo fibrarum aliquot inciſo muſculo perforato evenire queat; quin major harum pars integra diſciſſis ſuccurrant haſque in officio ſuo juvent. Et quoties non contingit a vulnere notabilem & ingentem ſatis faſciculum fibrarum in muſculo transverſim diſcindi, cujus nihilominus functio, conſolidatione facta, integra manet? Ut taceam duos vel plures muſculos ſibi inſtratos ſub ſe fovere materiam educendam, v. g. poſt inflammationem muſculorum abdominis, cujus unius fibras cavere non poſſumus, quin alterius ſtratum diſcindamus, v. g. muſculi oblique aſcendentis & deſcendentis; atque hoc nihilominus ſine ulla noxa & motus muſculi diſſecti conturbatione. Imo pauci forſan muſculorum adeo ſimplices, ſed plerique ex fibrarum ſtratis ac ordinibus diverſis diverſæque tendentiæ coagmentati deprehenduntur, quorum hos ſi obſerves, illos lædes: vana proin erit utplurimum cautela de fibris in apoſtematum apertura non diſcindendis.

Dentes dolentes non mox extrahendi.

Circa dentium Chirurgias quales comittantur errores, hinc inde obvium fit, dum illi inconſiderate ac intempeſtive non raro extrahuntur, & quidem nec ſine ſymptomatum graviſſimorum concitatione. Neque omnis mox odontalgia dentis remotionem exigit, cum affectus hic non raro a catarrhoſa defluxione ſeu ſtagnatione circa gingivas & dentis fibrillas nerveas eveniat; tanta etiam, quæ partibus his mollioribus ſe plus juſto inſinuando eas inflat ac dilatat, ipſumque hinc dentem, ut vacillare ægris videatur, commovet: qualis nihilominus dolor ac laxitas dentis, ſuperata catarrhoſa illa diſpoſitione, brevi ceſſat, & illum firmum atque ſanum relinquit. Et quoties non contingit, dente etiam corrupto evulſo, dolorem circa maxillam & dentes reliquos perſeverare, vel ad partes vicinas, oculos

v. g.

v. g. aures, fauces &c. eaſdem defluxiones converti; per conſequens, a chirurgia, ſine medela univerſali, haud ſanabiles. Quemadmodum illi pariter perperam agunt, qui ſub gingivarum concurrente inflammatione dentem dolentem ſibi extrahi poſtulant, ac evellunt: intempeſtiva ſiquidem hac chirurgia inflammatio ac dolor intenditur, cum gravioribus inſuper aliis ſymptomatis.

Inter alia vitia dentibus familiaria etiam hæc tria ſunt, ut aut illi parte ſui inferiore ſeu prope radices ſe arctius contingant ac quaſi mutuo premant, in ſummitate dehiſcant, ſub hac vero conformatione vitioſa alimentorum quædam ramenta ſe interſtitiis his inſinuent, ibique putreſcendo dentem corrumpant: aut unus dens cœteris longius promineat, hinc vel deformitatem pariat, vel maſticationis motum conturbet: aut ſi denique ſuperficietenus corrumpantur. Quibus ſingulis mederi conantur raſione, per limas adornanda: ſub hujus adminiſtratione dentem limandum digitis, linteo obvolutis, firmius continendo, ne ſc. hic ab inſtrumenti atque raſionis ſubſultibus nimis concutiatur, ejusque cum maxillo connexio laxetur. Verum neque hæc operatio omni difficultate caret, cujuscunque ſubtilitatis inſtrumento & quacunque circumſpectione fiat, inprimis ſi dentes jamdum aliquantulum vacillent. Nec prominenti denti abbreviando qui modernorum forcipem exciſoriam præ lima commendant, adeo ſecure agunt: quod per experientiam conſtet, dentes hac ratione reſciſſos facile corrumpi ac cariem contrahere; denudato nimirum horum meditullio teneriore ac ſenſibiliore. Ut taceam, ab ejuſmodi inſtrumento dentes vix adeo commode decurtari, quin pro aſperitatibus, hinc factis, delendis nihilominus politura raſpatoria opus ſit. **Dentium limatio ſuſpecta.**

Denique dentibus genuinis, vel evulſis, vel quavis fortuita occaſione perditis, quomodo fictitii ſubſtituantur, hinc inde conſtat, ac vulgo innoteſcit: ſaltem ratione anapleuroſeos hujus palliativæ hic notetur, eam dentibus adhuc firmis haud undique proficuam contingere; quibus nimirum ſuppoſititius filis ſive ſericis, ſive metallicis, annectitur. Quippe ſub hac connexionis ratione duo viciniores dentes, quibus falſus innitebatur, a mobili hoc ſeu perpetuo commoto, ſenſim ad vacillationem usque concutiuntur, ac tandem **Dentium ſubſtitutorum ſeu artificialium incommoda.**

nec

nec ſibi, nec illi continendo ſufficiunt, ut loco unius perditi decoratione hac perdantur tres, ac tandem plures: imo ex motu hoc fili & dentis ſubſtituti demum gingivæ plus minus lacerantur.

Plures obſervantur chirurgiæ ineptæ ac vanæ.

Ac forſan hujuſmodi Chirurgiarum, admiratarum & approbatarum hactenus, plures recenſere poſſem, ſimul tamen evincere, vanas, irritas, infidasque ſatis has deprehendi, & non raro plus lædere, quam prodeſſe; ſi tantum totuplices capitis faſciationes & vulnera conſuendi modos, quibus forſan, modo pompam futilem detrectemus, pauciores pares forent; ſi Varicum cauteriſationem, Polypi e naribus protractionem &c. attendamus ac penſitemus: niſi nonnullos tantum manuariæ hujus artis errores innuere, minime totam reformare, mei ſcopi fuerit; ſimul tamen Scriptorum Chirurgicorum Lectores admonere, ne horum præceptis ſine judicio practico vel proprio, vel alieno, cœco obſequio ſe ſuamque agendi rationem ſubmittant.

PARS SECUNDA
DE
OFFICIO MEDICI FORENSIS.

Caput I.
De
Doctrinæ hujus Neceſſitate ſeu Uſu.

Quamvis illum inpræſentiarum me haud geram, qui litem inter Jure Conſultos & Medicos, utri horum primus in Republica locus ſit concedendus, ſeu prærogativa decernenda? ventilare, multo minus dirimere, ſibi præſumat, utpote quod arbitrum majoris autoritatis exigit: illi nihilominus, quod inter multa alia pro Legumperitis contra Medicos *Caſſaneus* & *Tiraquellus* producunt, argumento, quaſi medendi ars non, niſi paucis, iisque invalidis ſeu ægrotantibus tantum, Civibus præſit, vel quaſi privatorum ægrotantium ac morbos metuentium tantummodo curam gerat, quod in publicum prodire ipſi non concedatur, quod de civitate hujusque ſalute non æque mereatur, & quæ ſimiles ſunt nobiliſſimæ artis autoritatis elevationes, äſſentiri nequeo. Neque Ulpiano illi ſubirato annuere poſſum, qui penes *Langium 3. epiſt. 6.* ait: *nihil mihi cum Medicis, præter capitulum de cloacis purgandis & ventre inſpiciendo commune eſt;* quin potius linguam hujus candeſcentem mentem præcurriſſe ipſiuſmet ſanctiones & Legum commentatores moderatiores teſtentur: adeo ut, notante *F. Fideli*, Jurisprudentiam qui profitentur, ipſique Magiſtratus graviſſimi Medicos conſulere horumque cenſuras in multis expoſcere teneantur, quibus adjuti demum de rebus dubiis ſapienter atque integre judicant, contra

Medicinæ reipublicæ quoque ac juſtitiæ litat.

irrita frequentius illorum contingit ſententia, quam Medicorum præjudicium dogmaticum non ſuffulciat.

Interceſſerat olim *Horatium Augenium*, & *Seraphinum Olivarium*, S. D. N. PP. Capellanum & ejusdem Sacri Palatii Cauſarum Auditorem, lis, de Interſepto virginali, tanquam certo virginitatis ſigno, ab illo & aliis Medicis in dubium vocato: quorum opinionem Olivarius non tantum impugnarat, ſed temerariam quoque prolixa diſſertatione pronunciarat. Hunc auſum ſeu falcem in aliena meſſe minus ferre poterat Augenius, quod de iis ſcripſerit Olivarius, quæ ad eum non ſpectarent, de rebus nempe medicis, de qualibus nihilominus Jurisconſulti antiquiſſimi non ſolum audire, ſed ultro Medicorum decreta recipere, conſüeverint. Cum vero inter alia momenta etiam hoc adduxerit Reverendiſſimus Pater, quod atteſtatio hæc Medicorum textibus Juris Pontificii diverſis refragaretur, *Augenius* primo diſſenſum ſeu repugnantiam hanc *cap. 8.* diffitetur, ſubnectit tamen mox: *Sed quid, ſi contradicerem in iis, quæ non pertinent ad fidem aut ad ſanctæ Eccleſiæ præcepta? cur quæſo licebit incuſare Medicum nomine temeritatis, de iis agentem, quæ duntaxat ad ipſam Medicinam pertinent. Si de medicis rebus aliqua ſit inter Medicos & Canonum Profeſſores diſcordia, cui credendum? certe magis cenſuerim, Medicis, &c.*

Proin in civitatem quoque ejusque integritatem immediate magis ſe Artis noſtræ ambitum exerere, conſtat, quod non tantum, advertente *Zacchia*, hominis, antequam exiſtat, ſeu concipiendi, concepti & vix in lucem hanc editi Hygieinam ac Therapeiam illa ac Medicus moderetur; Jurisperiti etiam, ut homines fragiles, Medicorum conſilio & opera crebrius indigeant: Sed, quod in publici magis, ſine dubio, vergat ſalutem, in judiciis forenſibus formandis & ſuum cuique tribuendo Medicinæ opera ipſæ Leges publicæ uti cogantur, quarum multas ſine illa nec Legislator condit, nec explicare audet Interpres, hinc in cauſis gravioribus, civilibus pariter, ac criminalibus, decernendis medica implorat oracula Prætor cautus, quinimo ſalubritatem aëris ac victus Medicorum prudentiæ committit Magiſtratus ſaluti civium invigilans. Nec Theologi & Fora Eccleſiaſtica his carere valent, ſed ad eorum pronunciata ſe recipere urgentur, antequam in matrimonia dubia conſentiant, hæcque

que ſolvant, partus monſtroſos ad ſacrum Baptismi lavacrum admittant, aut hoc iis denegent: ut alios varii generis caſus, Noſtris pariter ac Pontificiorum Conſiſtoriis frequentes, taceam, ſine medicorum decretis minus decernibiles. Neque hanc autoritatem iis denegant, ſed ſanctiſſime potius confirmant, Leges publicæ harumque Commentatores infiniti, præcipientes, illis, ut in arte peritis, in quæſtionibus, hanc ſpectantibus, fidem eſſe adhibendam, v. g. *Gailius 2. obſ. 111. num. 1. Caro Camuſius de excuſ. tutel. de art. & diſciplin. 1. fol. 62. num. 12. Actius de privileg. infirm. part. 1. p. 35. n. 3. Rutger Rulandus de commiſſar. & commiſſion. part. 1. l. 4. cap. 15. Pacianus de probat. cap. 47. num. 24. 25. &c. & Maſcardus de probat. vol. 2. concluſ. 1038.* & *volum. 3. concl. 1175. n. 2. 5. 6. 7. 12.* caſuum inſimul ſpecialiorum, in quibus Renunciatione Medicorum opus, potiſſimos recenſentes. **Confirmantibus hoc ipſis legibus.**

Id eſt, prout, juxta *Codronchium method. teſtif.* legum imperatoriarum Majeſtas & Pontificiarum Sanctimonia medicorum judicio ſe ultro ſubmittit, in quæſtionibus, Ætatem, Pubertatem, Matrimonium, Virginitatem, Partum, Veneficia, Percuſſiones, Tormenta &c. concernentibus; nec Legislatoris Summi lenitas, ſi quid indulget, niſi Medicorum accedat calculus, indulget: ſic eorum, qui latas leges adminiſtrant, ſeu Magiſtratus inferioris quoque, ſententia a Medicorum placitis pendet; niſi impuberes ex contractu obligare, puberibus teſtandi poteſtatem præripere, in divortia, ſine impotentiæ connatæ aut accidentalis indagine, condeſcendere, partum nothum ſeu ſuppoſititium, cum avitæ ſtirpis dedecore, legitimum hæredem nuncupare, exceptiones frivolas, ſub mortis ex Prægnantia & Partu ſpecie, in contractibus ſocietatum admittere, ac veneficii & homicidii reos inſontes, temerarie non minus, ac flagitioſe, pronunciare, velit. Membrorum mutilationis argumentum, Pontificii æque, ac Cæſarii, Juris Doctoribus & Adminiſtratoribus commune, dum illi qualem irregularitatem, quæ Ordinibus ſacris eorumque administrationibus officiat ſeu deroget, inducat iſta, disquirunt, hi de pœnis condignis, mutilantibus irrogandis ſimilibusque ſunt ſolliciti, Medicorum declarationi ac dictamini innititur; Virginem a deflorata, Gravidam a Vacua, morbum fictum a vero quis JCtorum diſcernet? quis de Sterilitate & Amentia lites componet? niſi Me- **Et quidem in variis ac multis caſibus.**

 dico-

dicorum judicia in ſubſidium poſtulaverit. Edicti, quo Mancipii ac Jumenti vitioſi redhibitionem Ædiles Curules olim cavebant, tenorem & rationes explicat *Ulpianus*, ignorans nihilominus, qui morbi ab eorum venditoribus celari queant, quæ infirmitas uſum miniſteriumque ſervi ac jumenti turbet, proin ſuper his informationem medicam exigens. Imo plures longe emergunt in civitate caſus, quorum dignotionem & medelam Magiſtratus a Medicis deſiderat: ad quorum Reſponſum ſententiam ſuam ille format, aut ſi hoc ambiguum fuerit, ſuſpendit; juſſus hoc per ſanctionum publicarum harumque Interpretum Autoritatem.

Hinc Medicina forenſis.

Legum E. peritia ſociam & adjutricem fidam ſibi, ſacro quaſi fœdere, in jure dicendo, jungit Medicinam, ex quo utriusque connubio Scientia prodit Medico-Legalis, ſeu Medico-Forenſis, Reipublicæ maxime fructuoſa & neceſſaria, in cauſis undique obviis ac varii generis, quas medico non audito dirimere detrectat Nomophylax, Ulpiano aliove Juſtitiæ antiſtite peritior ac perſpicatior. Ut per conſequens non paradoxus adeo ſeu ſine ratione agere viſus fuero, ſi præter finem illum Medicinæ ultimum, quem Scholæ hactenus ſolitarium admiſerunt, ſc. ſanitatis conſervationem ac reſtitutionem, alterum inſuper illam agnoſcere dicam, Juſtitiæ nempe in quibusdam cauſis adminiſtrationem curatiorem.

Ac duplex Medicinæ finis ultimus.

In hac doctrina JCti parum,

In argumentis ac problematis his conglomerandis ſeu recenſendis an aliquid operæ collocarint Legum Doctores, ambigo, nam quem *Rutgerus Rulandus de Comiſſar. lib. 4. cap. 5. Maſcardus* aliique eorum exhibent, Catalogus inſufficiens maxime videtur: plus occupatos in hoc Negotio Noſtræ Artis Commentatores obſervamus, nec ullus tamen horum accurate & ſufficienter illud peregit, nempe nec *F. Fidelis*, nec *P. Zacchias*, nec *Codronchius*, nec *Paræus*. Quamvis enim horum prior cæteris primus & ſine exemplo hoc ſcribendi argumentum in ſe ſuſceperit, ac caſus varii generis præclara perſpicuitate atque mira ſolertia explicuerit, nec ipſemet tamen, nec reliqui doctrinam hanc eousque excoluerunt, quin defectus, errores atque dubia multa gemat adhuc eadem. Plenius ac locuples magis *Zacchiæ* equidem Opus *Quæſtionum Medico-Legalium* deprehenditur, præter neceſſitatem tamen & ultra legentium captum prolixius: multa dum

plus Medici egerunt.

in

in eodem inutiliter & ad nauſeam usque repetuntur, diverſa majoris momenti negliguntur, ut ex hoc ipſo tractatu hinc inde conſtabit.

Et ingenium humanum forſan ſuperat rerum huc ſpectantium varietas atque multitudo, ut, ſi per plura, ac hactenus factum, ſecula colatur hæc Scientia, vix ſibi quiſpiam promittere poſſit cunctorum caſuum ſpecialium, quos experientia non tam fingit, quam gignit, adæquatam enarrationem, multo minus evolutionem perfectam ac neceſſariam. Quatenus nec tituli ac capita, in quæ aut *Florentinus* ille ſuas *Relationes*, aut *Romanus Quæſtiones*, reliquis hujus materiæ commentatoribus potiores, digeſſerunt & congeſſerunt, adeo conſummati ſunt operis, quin in Foro Civili pariter ac Eccleſiaſtico quotidie nova naſcantur & ſuccreſcant problemata, de quibus Medicos horumque Collegia percontatur Judex, a neutro nominatorum Scriptorum annotata, & quibus ſolvendis non Commentariorum autoritas, ſed præter rationem atque experientiam Medicam Naturalis Philoſophiæ dictamen præeſt; i. e. qualia non per decreta ac præjudicia Anteceſſorum, ſed ex noſtris ſenſibus & ingenio, decidere jubemur.

Latiſſimus eſt hujus doctrinæ campus.

Hinc imperfectius tradita.

Multis hanc Doctorum Medico-Legalium imperfectionem evincere poſſem caſibus, qui vel Facultatis Noſtræ, vel meo, arbitrio, hinc inde hactenus fuerunt propoſiti, talibus ſc. de quibus illi altiſſime ſilent; niſi molem hujus argumenti monſtroſam nimis vererer: paucis proin & brevioribus inpræſentiarum agam. De artibus immundis & fracedine ſua proximis accolis moleſtis, diſſerit equidem *Zacchias lib. 5. tit. 4. quæſt. 7.* Sed, an Pellionum infectus (Kürſchner Beitz) fœtorem virulentum & morbificum exhalet, demum 1659. a Collegio Noſtro quærebat hujus urbis Civis ac Pellio: a quo hoc reſponſum ferebat, fermentum illud non tam in ſe & ratione materialium, ſed effectus ſeu putrilaginis, quam pellibus, in quas agit, introducat, fracedinem ſanitati humanæ infeſtam, exhalare. Idem *Zacchias l. a. quæſt. 3.* diverſa, quæ aquis ac piſcibus officiunt, recenſuit atque ventilavit, v. g. latrinarum ac ſentinarum expurgationem, pannorum lotionem, lini ac cannabis macerationem: an Baphiarum autem tincturæ harumque ingredientia & heterogeneitates aquis, quæ illas alluunt, earumque accolis detrimento ſint, Anno 1654.

Infectus ſeu fermentum Pellionum an veneſum?

 deci-

An tinctu-
ræ baphia-
rum vene-
noſæ.

decidere poſtulabatur eadem Facultas. Circa venenorum materiam & venenandi modos *Zacchias* pariter *lib. 2. tit. 2.* & *F. Fidelis l. 4. ſ. 5.* multa tradiderunt, de agrorum & paſcuorum venenatione ſilentes, phænomeno nihilominus aliquando obvio, & ſuper quod Medicorum cenſura petitur, v. g. ejusdem noſtri Collegii, Anno 1659. a Cauſidico quodam *Greuſſenſi*, An ſc. oves aliaque pecora campi, pane toſto ac ſale paſta, paſcua admorſu ſuo in detrimentum aliorum pecudum & ita inficere queant, ut hæc pediſſequa paſcua ab illis arroſa renuant ac morboſa evadant? negative reſpondentis. Cujus pariter ſententiam aliquando percontabatur Magiſtratus Quedlinburgenſium oppidanus, de ſceleto infantis, terra eruto, an ſc. perfectionis recens nati, an adultioris ſubjecti, illud extiterit? item an hujus carnes intra quadriennium terra ad ariduram usque ejus corrumpi ſeu conſumi valuerint? hincque fonſan conjectura ſuppetat infanticidii, cujus ſuſpicionem puella certa pro gravida ante indigitatum tempus delata, incurrebat. Qualem circiter in finem olim aliquando Facultas Nobiliſſima hujus Academiæ Juridica noſtri Collegii luſtrationi quoque exponebat oſſicula infantis, ut, an partus perfecti & vitalis fuerint? decerneret. Suffocati infantis ſigna commemorat *Paræus de Renunciationib.* it. vulnerum vivo an mortuo illatorum, ac illorum, qui vivi aut mortui ſuſpenſi, vel in aquas præcipitati, qualia *Zacchias* quoque *lib. 5. tit. 2: quæſt. 11.* exponit. An vero ex meretrice natus puer mortuus, an vivus, prodierit? nullus Scriptorum hactenus ambigere juſſit: donec curioſiores quidam ac cauſarum ejuſmodi Criminalium Patroni a me aliisque Medicis Privatis, Collegiis quoque Medicis, Saxoniæ non minus Noſtræ ſeu vicinis, ac Belgii, diſcernere poſtularint cadaver fœtus a cadavere infantis nati, v. g. per pulmonum diverſam utriusque habitudinem: quod ſignum nihilominus aliquando imponere poſſe, hac ipſa occaſione ſaltem innuo, donec alio quodam loco dubitandi argumenta exponere liceat. Paradoxa magis videbatur quæſtio plurium membrorum, cujus deciſionem Advocatus quidam ex vicinia, nomine cujusdam, criminis Sodomiæ, cum cane perpetrati, accuſati, a nobis olim poſtulabat. Nimirum an per indolem ejuſmodi bruti fieri queat, ut ſedato ejus orgaſmo venereo, vel imprægnatione facta, coitum

Paſcuorum
venenatio.

Ex ſceleti
infantis
habitudine
hujus ætas
dignoſcenda.

Cadaveris
fœtus a nati diſcrimen.

Sodomitici coitus
cum cane
indicium.

coitum denuo appetat vel admittat, Canis in ſpecie venaticus frendens & mordens? item, an intumeſcentia & ſpurcities ejuſmodi beſtiæ fœmellæ genitalium præſentaneum & hoc ipſo momento cum homine celebratum coitum certo teſtentur? ac denique, an per altitudinem ejusdem animalis & ſitum in genua decumbentis inculpati maris ſodomiticus talis congreſſus concipi ſeu fieri poſſit &c.

Quo refero, ſi Medicus enſis & vulneris producti figuram conciliare poſtuletur; an hinc forſan de vulnerante aliqualis conjectura eveniat, aut præſumptio de eodem firmetur vel infringatur: it. ſi de tractu vulneris & percuſſionis impetu paradoxis rogetur. Noſtra Facultas v.g. Anno 1695. 4. Octobr. An credibile, ut uno gladii ictu coſta ſexta lateris dextri, carnoſa Diaphragmatis circumferentia, Epatis medietas circiter cum Ventriculo prope Pylorum perforari potuerit? Et Anno 1696. 26. Septembr. An vulnus ſub Maxilla ſiniſtra, prope muſculum Maſſeterem per Collum & Medullam ſpinalem, inter primam & ſecundam Cervicis vertebram penetrans, ſimulque Venam Jugularem externam ac internam notabiliter lædens in altiore ſcalæ loco conſtituto ab eo, qui illo inferiorem tenebat, inferri valuerit? Item Anno 1695. d. 8. Auguſti, An punctura paulo ſuper Papilla dextra inter Coſtam primam & Os Claviculæ Thoracem penetrans & in hoc Pulmonis extremitatem atque Aortæ principium lacerans ſitum corporis digladiatoribus ſolennem in Occiſo eine Poſitur und Lager ſich zu defendiren / & duellum formale inferre faciat?

Indicium vulnerantis ex enſis & vulneris collatione.

De vulneris tractu ac impetu.

Imo ſunt quædam inſuper, a Medicis recenſitis neglecta aut prætervisa, quæ unus alterve nihilominus indigitat Jure Conſultorum & de his illorum aſſerto ſtandum eſſe, ait, v.g. *Maſcardus de prob. concluſ. 92. & 632.* An equus v.g. ſimileve animal venditum & intra triduum mortuum, ſi hujus cor putridum aut marcidum repeҁriatur, tempore venditionis morboſum præſumatur? it. *concluſ. 1169.* An hujus illiusve enſe vulnus factum fuerit? quale problema crebro ſatis, occaſione homicidii tumultuarii ventilari, ex Actis publicis legimus. Quamvis inficiari nequeam, penes *Fidelem* atque *Zacchiam* ejuſmodi quoque obſervari quæſtiones, quarum vel ſolutionem haud ſemper præſtare poterit Medicus peritiſſimus; vel quarum ventilatio

Quædam a Medicis neglecta a JCtis recenſentur.

Quædam quæſtiones Medico-forenſes

vix decidi poſſunt. tio foro noſtro plane exulat. De prioris generis exemplis inferius, ubi de Effectu Renunciationum Medicarum erit dicendi locus, agam: poſterioris autem veritatem facile deprehendet, qui vel leges quaſdam civiles in Republica noſtra abrogatas ſeu ceſſantes hujusve ſtatum mutatum, vel quantum Juris Canonici ſeu Conſtitutionum Eccleſiaſticarum vigor penes nos obſolerit, perpenderit. V. g. conditiones morborum, quas, juxta Edictum Ædilitium in mancipiis venditor emptori exponere tenetur, & propter quas ab illo diſſimulatas huic illa redhibere liceat: it. quoad leges de Jejunio & Quadrageſima, & an hæc uſus Tabaci, Aquæ Vitæ, Chocolatæ &c. frangat? De Clauſura Monialium, ſeu quibus de cauſis ab illa eximi queant? eandemque, morbis contagioſis, quorum cauſa dimittebantur, ſanatis, quando repetere teneantur? Quibus & ob quas cauſas aliquis beneficiis eccleſiaſticis renunciare queat? Qui morbi ab officiis divinis recitandis excuſent? item, de Irregularitate ſeu corporis ejuſmodi vitiis, quæ a ſacrorum adminiſtratione arceant, de Miraculis. Quid quod, obſervantur penes JCtos ejuſmodi pariter problemata, quorum deciſio hypotheſibus phyſicis, dubiis atque incertis omnimode innituntur; & quæ proin his concuſſis ſeu evaneſcentibus itidem evaneſcunt: hincque innuunt, cum Philoſophis ac Medicis Legum interpretes egregie hactenus hallucinatos ac deceptos fuiſſe, quod conjurato quaſi conſenſu ſuppoſuerint ſive admiſerint diverſa, quorum veritas ſuſpecta, quæque caſtigatione prudentiore indigebant, vix tamen ſine Doctorum horum diverſarum ſcientiarum conſpiratione ſperanda; de quibus inferius agam.

Quædam foro noſtro exulant.

Frivolæ nonnunquam proponuntur quæſtiones. Etſi negari nequeat, quinimo dolendum ſit, ejuſmodi aliquando fingi ac Medicorum disquiſitioni exponi dubia, quæ vel ſupra horum ſphæram ſunt, vel omnimode non, aut certe ex Actis forenſibus & Teſtium cœterorum ſeu popularium depoſitione potius ac commodius, quam per artis conjecturas, dirimi poterunt: qualibus operam ſeu judicium ſuum non ſine ratione denegant illorum cordatiores, a quocunque demum rogati. Frivolas ſane atque ineptas valde aliquando experimur tales quæſtiones, a Defenſoribus homicidarum inprimis cuſas, ad quas decernendas eum tantum in finem urgemur, quo dubium reddatur homicidium, hinc, juxta Canonem Juriſperito-

peritorum, in re dubia mitiorem ſententiam amplectatur judex, & pœna ordinaria in arbitrariam mutetur, &c. Quod poſterius quam inſulſe & præcipitanter nonnunquam fiat, me elapſi anni docuit obſervatio. Vocabar nimirum ad Prætorium quoddam vicinum, quo de fœmina, propter furti ſuſpicionem torturæ mancipata, quæ Epilepſiam mentiebatur, referrem: aſſerebat mihi coram eandem infirmitatem, ego vero, qui viſitationis tempore nihil ejuſmodi ſymptomatis deprehendebam, me illud teſtari non poſſe deponebam. Exclamabat mox ſtante pede quidam Aſſeſſorum, E. in dubio mitiori ſententiæ ſtandum, ac ſine tortura &c. dimittebatur illa nefaria, nunquam poſthac (forſan nec olim) de convulſivis ſymptomatis conqueſta. Dubia nempe ab hoc Judice reddebatur cauſa, hujusque pœna, quia illa affectum fingebat, de quo Medicus non, niſi ambigere, tenebatur. Ne temerarius E. ſit Medicus, aliorumque delicta ſua faciat, a decidendis ejuſmodi extra circulos ſuos ambiguitatibus caveat: caveat tamen ſibi pariter Judex, ne a tricis ejuſmodi ſe confundi patiatur, eorumque, quæ Medici haud ſunt, evolutionem huic committat, ac ex evidentiore forſan crimine dubium evadere, conniveat. Infiniti generis ac numeri caſibus illas technas declarare & hanc cautelam planiorem reddere poſſem, paucos tantum horum ſine prolixitate innuere inpræſentiarum ſufficiat: in qualibus nihilominus non raro proterviam ſuam modo riſui, modo deteſtationi, exponunt inquiſiti ac horum Paraſtatæ. Anno 1671. ex oppido Thuringiæ Weiſſen-See ad Facultatem noſtram deferebat quidam, caput ſuum ab alio, urceo, ita percuſſum fuiſſe, ut in hoc vulnera & ſuggillationes diverſas cernere licuerit: percuſſorem nihilominus cum ſociis hoc ſtrenue negare & plagas has illi ex lapſu in humum contigiſſe aſſere. Quærebat hinc percuſſus ſtupidior, utrum horum veritati magis conſentaneũ: ac Reſponſum ferebat, non tam per ſententiam Medicorum, quam Judicis inquiſitionem, litem hanc dirimi poſſe. Anno 1692. Menſe Julii judicium noſtrum petebatur ſuper juvencularum duarum, de abortu aut partu ſuſpectarum, linteamina, cruore & ſanie, lochiis ſimili, maculata, a duabus Obſtetricibus demum arida & exſiccata inſpecta, ac ab his ſi non partus perfectioris, certe abortus, ſigna declarata: qualia nihilominus duobus illis

Medicis, quorum conſpectui veſtimenta hæc fuerant expoſita, nec nobis, videri poterant, per dubitandi rationes diverſas. Porro Anno 1694. menſe Maji, quidam a Collegio noſtro ſcire avebat, an fratris ſui uxor, cujus caput maritum verberibus lethaliter contudiſſe ferebatur, non ex lapſu æque per teſtes aſſerto, ac a percuſſione illa interire potuerit? ubi quæſtione quoad poſſibilitatem a nobis affirmata reliquum Prætoris perſpicaciori indagini concedebatur. Perinde ac Anno 1699. menſe Julii, cum in vicino oppido, Damitſch/ dicto, inter rixas & verbera Opilio quidam Lyricen, in dolio, ſuper menſem collocato, ſedens, in capite vehementius percuſſus inſequente die mortem obiret, ſimulq; menſa cum doliolo, cui percuſſus inſedebat, dejiceretur, quæſtio emergebat hæc: numne ex qualitate vulnerum ſeu læſionum, a Medico atque Chirurgo annotatarum, huic percuſſo, non tam ex ictu, per radium rotæ inflicto, quam ex lapſu de tabula, mors contigerit? quale quid tamen ex obſervatis anatomicis determinare nec ſagaciſſimus determinare poterat. Sicut his ipſis diebus, dum hæc typis mandantur, Percuſſoris cujusdam Defenſor ſciſcitabatur, an defunctus non tam a verberibus, quibus cæſus, quam a reiterato ex equo caſu, obierit? Cui deponebam, ab utroque idem fieri potuiſſe, utrum tamen horum ſit, non a Medico æque, ac ab Actorum directore, decidendum fore. Et ſic non raro.

Quærit delirus, quod non reſpondet Homerus.

Intentio Autoris. Quo minus E. cultam cum aliis Viris cordatioribus Medicinæ Forenſis doctrinam hinc inde deprehendi, eo magis examine curatiore hanc dignam judicavi, & in defectus ejus inquirere, ſubinde tentavi: non, quod viribus meis hunc laborem & erroribus illis caſtigandis ac corrigendis autoritatem meam parem putarim; ſed ne per deſidiam aut credulitatem, ſuperioribus ſeculis ſolennem, meliora videns deteriora ſequi & Scholarum autoritatem trepide ac ſuperſtitioſe nimis venerari videar. Inprimis vero in argumento hoc ita agendum ſemper ac ſimul cogitavi, ne Legislatorum gravitati & Interpretum eruditioni aliquid derogarem, ab aliis, ſublimioris ingenii, cultiora & politiora expectarem atque expeterem.

Dum autem disquiſitionis hujus duplex Objectum ſeu duas partes offendi, undique vero multum ſimul difficultatis atque laboris impro-

improbi, ſi inprimis caſus ſeu momenta ſpecialiora infiniti generis recenſere ac eruere quis ſatagat: ſpecialem doctrinæ hujus partem evolvere muſis meis privatis ſubinde concredidi, quamvis non adeo ſecundo undique adhuc ſucceſſu; hinc inde tamen ſub disquiſitione hac deprehendi, minus rite præparatos negotium hoc aggreſſos fuisſe, qui manum ipſi admoverint, i. e. præceptis, ad artem hanc decretoriam neceſſariis, minus inſtructos. Ut non mirum, in ipſa re adeo ardua hactenus hallucinatos fuiſſe non privatos tantum medicos, ſed horum integra & inclyta Collegia: quod multis exemplis odioſis comprobare poſſem, nec licet tamen, nec libet. Cum introductionem hanc generalem neglexerint, aut fugitivo ſaltem calamo tetigerint, quos de Relationibus Medicorum Forenſibus & quæſtionibus Medico-Legalibus hactenus ſcripſiſſe, novimus: doctrinam nihilominus neceſſariam valde, & quæ methodum genuinam rite ac legaliter teſtificandi ſubminiſtrat, non junioribus modo, ſed quos gravior ætas & multifaria experientia ſolidiora docere poterat. Circa generalia ſiquidem ejuſmodi requiſita quotidie peccant deponentes ſeu ad deponendum poſtulati, ut judicare ſibi præſumant de Partu v. g. ſeptimeſtri an vitalis? diſcernere neſcientes vivum & vitalem; de vulneris lethalitate per ſe & per accidens, deſtituti adhuc genuino de utraque hac conceptu; Læſiones, ſuper quas deponere rogantur, non tam trutinent, quam fingant; Amentiæ habitudinem ad delictum, de qua poſtulantur, minime attendant; Plagæ lethalitatem non in relatione ad individuum percuſſum, ſed in genere potius, determinent, ut, dum de Petri v. g. vulnere ventriculi quæritur, non cuncta organi hujus vulnera omnibus mortem intuliſſe, prolixa Commentariorum autoritate & uno vel altero experimento, caſui præſenti inepte ſatis applicato, pronuncient; Chirurgi imperitioris manibus ac lanienæ in ſectione cadaveris nimis fidant, & qui ſimiles ſunt infiniti generis ſæpius commiſſi errores ac præcipitantiæ enormiores.

Iſagogem E. hanc ſub Officii Medici Forenſis delineatione exponam, primo perſonam deponentis, hinc judicandi ſeu teſtificandi inſtrumenta ac modum ac demum renunciandi difficultates varias recenſiturus; undique ac ſuis locis errores frequentiores notando ac pro viribus emendando, Quali ſucceſſu, judicabit Lector Benevolus,

volus, cujus animadverſioni honeſtæ meas adnimadverſiones lubens ſubjicio: partem autem hujus doctrinæ ſpecialem alii tempori concedo.

CAPUT II.

De *Medico deponente.*

Peritis in Arte credendum eſſe, dogma JCtorum generale & axiomaticum eſt, hinc minus mirari decet Legislatorum horumque Commentatorum prudentiam, quæ antequam ſententiam ferant in cauſis, Medicam artem ſpectantibus, Medicorum implorant, ſub *Relationum, Teſtimoniorum, Renunciatiorum* ac *Depoſitionum* nomine, Præjudicia, ac pro horum diverſa inclinatione jus ſuum cuique decernant: imo provocant ad hanc Medicorum cenſuram præliminarem ipſemet aliquando actor reusve, ſibi ex ea favorabiliorem in foro ſententiam promittentes, ſicque omnes, *Medicis* quoque *in rebus medicis ſtandum eſſe*, unanimiter compromittunt. Et quidem non Medicis tantum, ſpecialius ſic dictis, ſed Chirurgis quoque ac Obſtetricibus, utpote artis medendi aliquam partem exercentibus, in negotiis, peritiam ſingulorum ſpectantibus: ita tamen ut his Moderatores conſtituantur a plerisque Legislatoribus Medici, ac eorum Relationibus vix unquam abſoluta adhibeatur fides, niſi unius alteriusve horum, vel Collegii, ſuperveniat conſenſus atque auctoritas. Forſan Medicis his abuſive dictis addere convenit Pharmacopæos & Aromatarios, tanquam in arte ſua pariter peritos, ut de cauſis rem pharmacevticam concernentibus coram Magiſtratu deponant, ſc. de pharmacorum ſimplicium ac compoſitorum ingenuitate atque integritate, de horum præparandi ratione, pretio, &c. Verum quia commodius & perſpicacius ſine dubio de materia Medica judicare poteſt Medicus, tanquam Pharmacopæus dogmaticus, non merus empiricus, quales noſtrates ſunt Stationarii, ideoque ſine horum opera viſitationes Officinarum Publicarum peragi ſolent ac poſſunt: non, niſi in Taxa formanda, admitti debent, utpote quibus de pretio emptio-

Medici deponunt in foro.

Chirurgi etiam ac Obſtetrices.

Director ſingulorum Medicus.

emptionis ſimplicium & impenſarum neceſſariarum momento conſtat. Cur & qua ratione major teſtificandi auctoritas Chirurgis in Republica contigerit, inferius pateſcet.

Eo ipſo tamen, dum Legum Doctores, v. g. *Riccius* in *Maſcardi concluſ. 1174.* auctoritatem, quam Medicis contulerant, his limitibus circumſcribunt, *ubi ſcilicet conſtet, Peritos eſſe revera tales*, *Ulpianus* quoque Medicum, propter inſufficientiam, a munere, ad quod electus, removere cavit, ac dum, notante *Maſcardo concluſ. 1037.* Medicus novellus imperitus præſumitur; item, dum plerique JCtorum, ubi periti diſcordant, peritiori ſtare jubent, & alii, v. g. *Carrarius de Medico & ejus officio part. 4. num. 161.* ac *Farinacius de homicid. quæſt. 120. ſ. 4. num. 76.* paria judicant, Medicum non adhibere, ac imperitum adhibere: non ſine ratione, quis demum medicorum vere peritus ſit, dici ve debeat, ambigendum foret. Aſt, cum pro quibusvis non tantum, qui artem aliquam exercent, præſumptio peritiæ ſit, & propterea illis credatur, jubente *Imperatore L. Semel C. de re militar. l. 12.* ſed in ſpecie Medicus, ut ajunt, promotus, ſeu qui examina Academica rite ſuſtinuit, talis vere præſumatur, donec imperitiæ manifeſte convincatur; nullius horum peritia & publice ſeu in foro teſtificandi habitudo in dubium vocari debet. Proin, quando *Pacianus de probat. l. 1. cap. 47. num. 131. Maſcardus l. a. Clarus receptar. ſentent. l. 5. §. Homicid. n. 43.* & *Carerius cauſ. criminal. p. 414. §. 19.* Medicis etiam non doctoratis in iis, quæ ad artem eorum ſpectant, credendum eſſe, ajunt, modo ex communi loquendi conſuetudine Medici dicantur, ſeu Practici exiſtant: recedunt temere a communi Doctorum ſuorum ſententia, qua Agyrtas, Parabolanos ſimilesque Medici perſonam tantum gerentes, & quos vulgus duntaxat imprudentior Medicos appellat, quales tamen non ſunt, ex Medicorum ingenuinorum ordine proſcribunt, & publica lege atque auctoritate proſcribuntur. Tales ſiquidem Circumforanei in foro de rebus artem ſpectantibus deponere nequeunt tanquam in hac vere peritis haud accenſendi, quod, quam profitentur, non, niſi per meram empiriam, ſibi compararint, ut vel ex *part. 1. c. 3.* conſtare poterit. Sub qua relatione nec eorum Renunciationibus a Collegiis Medicis ulla fides atque autoritas conceditur, ipſimetque ruditatem aliquando inſi-

Qui Medicus peritus?

R. Omnis promotus & examinatus.

gnem in atteſtatis ſuis, ſi forſan ab incautis hæc poſtulentur, ad riſum usque teſtatum faciunt, teſtantur etiam Acta forenſia.

Quam Doctorum ac Licentiatorum Academicorum præeminentiam pariter propugnat *Decretum Viſitationis* Academiæ Noſtratis anno 1658. habitæ, illis tantum præ non-promotis facultatem praxin Medicam in provinciis his exercendi & cadavera viſitandi quam gratioſiſſime concedens: & *Pacianus l. a. n. 144.* a ſententia priore recedere obſervatur, ubi Doctores aliis non-Doctoribus præferendos monet, *quod pro illis regulariter præſumatur.* *Carerius* autem ſibimet contradicere videtur, dum *p. 462. §. 25.* Medicum, qui absque licentia officialium Regiorum & absque diſcuſſione ac Doctoratu mederi voluerit, privatione bonorum puniri jubet: quatenus ad teſtificandum peritia ac fides non minor, ac ad medendum, requiritur. Quo etiam inclinat *Waltherus, de ſtatu, juribus ac privileg. Doctor. cap. 12. §. 72.* ſcribens, in rebus ad Medicinam ſpectantibus non ſemper Doctorum Medicorum opinionem attendi, ſed aliorum etiam Peritorum, qui Doctores non ſunt, modo examini ſe ſubjecerint, v. g. Candidati, qui rigoroſum Academicum expertus, aut Practici cujusvis, qui Collegii cujusdam Medici aſſenſum meruit. Quibus annuere deprehenditur *Boſſelius Amalth. Med. Polit. apparat. 3. cap. 14.* dum Doctoratus Patavini celebris ſeu publici vim valde diſtare aſſerit ab eo, qui citra rigorem examinis, ſimplici verbo, *Eſto Doctor*, expletur: *hunc enim obſervari parvæ doctrinæ, non ex rigore juris, ſed potius ex æquitate, quod talis prærogativa dignitati concedatur absque exercitii conſideratione,* treibe das Handwerck nicht/ *& concludatur, ignarum Doctorem gaudere privilegio Doctorum, idemque dicendum eſſe de Doctoratu, a Comite Palatino illato &c.* Et *Mornacius obſ. in ff. 24. libr. prior. pag. 403.* perhibet, Lutetiæ Pariſiorum Senatum interdixiſſe, ne quis ibi Medicinam faciat, niſi quem Docturam a Scholæ Medicæ Magiſtris accepiſſe conſtet. Haud nego tamen, Seniorem forſan Medicum juniori hoc in paſſu prævalere, utpote majoris ſine dubio peritiæ: cum advertente *Paciano de probat. lib. 1. cap. 47. num. 38:* Jureconſultis bene peritus audiat, qui diu bene ſe habuit in arte ſua; item ille, de cujus peritia fama publica (adde, prudentum) teſtatur. Alias quippe etiam fieri poteſt, ut juvenis, quemadmodum

Senior Medicus prævalet juniori ordinarie.

modum in medicis præceptis ſcientiſſimus, & in operibus mediocriter exercitatus, tam in medendo, quam docendo, Reipublicæ præ Seniori ſit utilior, i. e. ſi modo mente caneſcat, & in brevi ætate tempora multa compleverit, adeoque *Doctor peritus, quantumcunq́s junior, antiquiori non docto*, monente *Carerio l. a. num. 144. ſit præferendus:* ita in teſtificandi pariter & judicandi dexteritate Seniori in foro aliquando palmam præripiat, i. e. illi, qui in ipſa ſenectute juvenis adhuc exiſtat.

Communiter Medicis deponentibus (inprimis ſuper lethalitate vulneris) non, niſi juratis, fidem adhibendam eſſe, Veteres JCti fere omnes, una cum *Conſtitut. crimin. Carolina* aſſeverant, adſtipulante itidem *Carpzovio pract. criminal. part. 1. quæſt. 26.* ideo forſan, quod peritis in nulla arte ac ſcientia, in nullo negotio, ſine juramento ſtetur, hinc nec Medico, ne advertentibus *Maſcardo concluſ. 138. Muſcatello de cognit. delict. rubric. de Vuln. lethal. num. 21.* ac *Carpzov. l. a.* ſe in favorem hujus vel illius depoſuiſſe ſuſpicionem incurrat. Verum, integra relicta Legum ſacrarum vi, rigor harum nihilominus quam commodiſſime temperabitur per inſequentes Interpretum quorundam limitationes. Juramentum primo non exigi ſpeciale ab illis Medicis, qui ab initio Officii, ad quod publica auctoritate evecti, jurarunt; hinc ſecundo nec ab iis, qui ad cadavera inſpicienda ſpecialiter vocati ſub muneris hujus collatione Sacramentum dixerunt; utpote quorum juramentorum tanta vis eſt, quæ ad omnes actus & exercitia hujus muneris ſe extendat, annotantibus *Baldo in prima conſtit. ff. num. 16. Maſcardo concluſ. 1037. Paciano cap. 47. num. 20. & 21. Gailio obſ. 111. num. 13. Rutg. Rulando de Commiſſar. part. 1. l. 4. c. 15.* ac *Carpzovio l. a. obſ. 40. & 41.* Quibus demum caſibus tertio idem *Rulandus l. a.* & *Nobiliſſimus Stryckius de jure ſenſ. diſſ. 1. cap. 2.* addunt juramentum, quod Doctores ac Licentiati in Promotione ſolenni præſtant, utpote ejuſdem cum indigitatis virtutis. Quemadmodum non tantum Commentatorum horum Poſterior, a Facultate Juridica Viadrina pro hoc juramento, tanquam ſufficiente, aliquando pronunciatum fuiſſe, perhibet: ſed judicii quoque hujus urbis Prætoriani Acta inquiſitionalia, in puncto homicidii, a *Joh. Dörnig* in *G. Geislero*, Anno 1657. commiſſi, idem loquuntur. Dum, quam

Etiam non juratus.

quam a Juramento Medici & Chirurgorum teſtantium, ante inſpectionem vulneris haud præſtito, petebat Rei defenſor, Exceptio una cum cœteris ejusdem generis rationibus ab Ampliſſimo hujus Loci Scabinatu rejiciebatur, his circiter ſententiæ verbis: quod, cum Inquiſitus in Defenſionalibus ſuis nihil ſolidi & exculpationi ſuæ faventis adduxerit, eidem hactenus indultus Salvus Conductus annihilari ac ipſemet prehendi debeat, &c.

Imperitus juramento nihil probat.

Bina igitur ſunt primaria in Medico deponente requiſita, Peritia nempe ac Fides, eæque adeo inſeparabiles, ut in ejuſmodi arduo negotio neutra earum ſolitarie ſufficiat: per conſequens, imperitior, utut fidem juramento docere malit, ad idem minime admittendus, Balneator v. g. aut notorie rudis, aut qui ruditatem ſuam vel ipſo deponendo comprobat, aliusve imperitus, v. g. Carnifex ille ad renunciandum admiſſus, cujus atteſtati, a Facultate Noſtra Auno 1694. 21. Julii omnimode rejecti, in Actis hæc leguntur verba: Dieweil ich Endes Benannder am Dienſtage gegen Abend und nach 7. Uhren den 12. Junii bin nach Teswig geholet worden/ wie die Gerichts-Knechte von Zing den Wirth Barthel Martin beſchädiget haben als wie folget: Erſtlich haben ſie ihn auff der lincken Seite in die Achſel gehauen/ auff dem Bruſtbiegel in den Halß/ wenn er nicht zwey Finger tieffer gekommen/ ſo hätte er ihm den Halß gar abgehauen/ ſo iſt die Wunde 4. Campffer tieff 6. Campffer lang 5. Campffer breit an der Gurgel hat der Hieb gewendet/ und es hat nicht ein Strohalm gemangelt/ ſo hätte er ihme die Pulß-Ader anzwey gehauen/ und die groſſe Flechſe iſt auch lediret. Zum andern hat er ihm einen Hieb forne auff den Kopff gegeben neben der Nadt 4. Campffer lang/ und die Hirnſchale hat er auch lediret/ wie ich ihme mit der Hülffe GOttes wieder zu rechte bringen will/ ſo ſich der Patiente darnach hält/ welches ich mit der Wahrheit bezeige. Datum Drößig ꝛc. Nulla enim per Deos deasque præſtito juramento conciliari poterit auctoritas ac fides ruditati evidenti: i. e. falſo ſeu prave obſervata Sacramento nunquam vera evadent.

Contingit aliquando, duos Medicos in deponendo concurrere, diſſentire tamen: in quali caſu neutrius pronunciato major præ alterius teſtimonio, fides erit concedenda, niſi forſan unius peritia evidentius antecellat alterius peritiam, qualem diſparitatem ſuperius

innui:

innui: ſed diſſentium ejuſmodi relationes Collegii cujusdam Peritorum cenſuræ exponendæ & hujus demum in re dubia ſententiæ ultimato ſtandum. Quod a litigantibus non tantum, ſed Magiſtratu quoque, obſervari ſolet, ut ſuper privatorum Medicorum diſcrepantium Renunciationes Collegiorum demum rogent cribrationem, nec ſine hac facile in ipſa cauſa decernat Prætor. De argumento hoc a Medico quodam Anno 1696. menſe Februarii *Facultatis noſtræ* poſtulabatur ſententia: An nimirum Medicus privatus de alterius Medici ac Collegæ conſilio ac facto, v. g. in ſphacelati cruris extirpatione, judicare, ac ſecundum hujus cenſuram, ſine Collegii publici auctoritate ac decreto res decidi poſſit? Cui hoc obtingebat Reſponſum: Licere equidem Medico cuivis, ad hoc requiſito, de alterius Medici actione & lato judicio ſententiam ferre, hancque literis conſignatam Actis publicis committere; minime tamen eum tantum auctoritatis ſibi arrogare poſſe, ut ſecundum pronunciatum ſuum, ſine Collegii Medici interventu res litigioſa a Judice forenſi decidatur: vel quod autoritati in caſibus dubiis dirimendis, ſoli illi conceſſæ, hac ratione temerarie derogaretur; vel ne Medicus ac Cenſor poſterior ſuſpicionem, ſe ex affectu quodam ita pronunciaſſe, incurrat. Quamvis, ubi forſan ſuper lethalitate percuſſionis plures Medici privati implorantur, ſi duo horum tantum, percuſſum ex plaga non deceſſiſſe, deponant, his potius, quam pluribus affirmantibus, credendum eſſe, Jure conſulti ſentiant, v. g. *Farinacius de homicid. t. 4. quæſt. 127. part. 4. n. 116.* Quod probabiliter extendendum videtur ad alios quoque caſus, ut in his quoque ſtandum ſit duobus in mitiorem ſententiam inclinantibus Medicis, quam pluribus, qui rigidiorem profitentur.

Diſſentientibus deponentibus Collegia rogantur.

Inſuper quicunque ad deponendum poſtulatur, Medicus, ſive privatus ac ſolitarius, ſive Collegii membrum, extiterit, conſcientiæ probe amans adeoque bonæ famæ & fide dignus ſit: ſive Sacramento & ſolenniore hujus formula ad deponendum ſe obſtrinxerit, ſive ſecus. Et quod *Sebizius* olim, *Prodrom. exam. vulner. part. 3. theſ. 4.* in Judicio de Vulnerum lethalitate ferendo maxime attendendum eſſe monet, his verbis: *Oportet hoc caſu animum habere ab omni affectu vacuum, credendo, Deum* καρδιαγνώστην *nobis adeſſe, & factorum noſtrorum*

Medicus ſecundum conſcientiam deponat.

ſtrorum omnium inſpectorem eſſe oculatiſſimum, ſique contra Veritatis & Æquitatis legem ſententiam tulerimus, Vindicem ſeveriſſimum; ſin pro veritate ſteterimus, Fautorem ac Remuneratorem benigniſſimum. Magnum quippe crimen eſt, impietatis pleniſſimum, eum, qui a mortis pœna liberari poteſt, falſo atque iniquo teſtimonio reum facere, &c. Illud cunctis cauſis, ſuper quas teſtificari poſtulatur, qui pietatem actionum ſuarum directricem cupit, Medicus applicat. Quemadmodum fidele pariter eſt *F. Fidelis* conſilium, quod in Concluſione ſui operis ſubnectit: *ſed ante alia ſemper te veri amatorem eſſe atque amicum conſulo, nam cum turpe ubique ſit, Medicum mentiri, omnium tamen maxime indignum eſt, cum jurisjurandi interponitur fides, quam violare ſummum eſt nefas, &c.* Et paulo poſt: *Mendacium in re quacunque ſemper evitandum ac deteſtandum eſſe arbitror; tametſi nullum jusjurandum obſtiterit: ſed tum maxime, cum accepto pretio mentimur: ut merito propterea vileſcant Medici ac deſpectui habeantur, qui mercede propoſita contra fas jusque omne veritatem ſubvertunt. At in medicis Relationibus, quæ tametſi longe a Curia aliquando fiant, nec ullum nobis religionis præſcriptum offertur, ſemper tamen nos ipſi tacite devincimus, ac ſemper, quaſi Deo teſte, referimus: Si quid inquam illo tempore mentiamur, nihil dubium eſt, non ſolum contemnere nos honeſtatis officia, ſed ſemper quoque jurisjurandi fidem violare.* Quale quid quosdam perfrictæ frontis & animi pravi haud ſemper ſatisque advertere, experientia, proh dolor! eloquitur, qui ad Actoris vel Rei nutum quam promptiſſime deponunt, jurati etiam aliquando, aut Relationes ſuas ſpeciali quoque juramento confirmant: quibus alii, conſcientiæ paulo tenerioris texturæ, falſo equidem renunciant, donec ad juratoriam Renunciationis ſuæ confirmationem adigantur; cui ſe turpiter ſubtrahunt, ſententiam perdite mutant & aut indolem ſuam nefariam, aut imperitiam & quod de ſe ipſis dubitent, publice teſtatum faciunt.

Nequitiæ hujus cauſam potentiorem innuit idem *Fidelis l. a.* ſequentibus: *Denique hoc in loco non me latet, quam facile avaritia ac lucri cupiditas ſerpat, quam prompte multorum animos obſideat eoque imprudentiæ deducat, ut Mendacium etiam atque Perjurium certa mercede paciſci non dubitent, &c.* Ac menti alte imprimantur, quibus

Tulpius

Tulpius lib. 4. c. 7. Judici in Lethalitate definienda ſincere reſpondendum eſſe monet, verba: *Plurimi intereſt, ſententiam ſuam haud leviter ferre, nedum in re tam gravi amicitiæ atque hoſtilitati aliquid dare, quin potius ſoli veritati litare, quæ ut ſemper recta, ſic nunquam non juſta ac Deo grata eſt. Cave ſis ergo, Medice, aliter loquaris, aliter ſentias, ſit Tibi religio, nunquam Judicem in fraudem allicere.* Pariter *Codronchius meth. teſtif. cap. 3.* ait: *Medicum, qui de morbo aliquo vel vulnere ſententiam ſuam religioſe teſtificari debet, ante omnia animum ab omni affectione perturbationeque liberum vacuumque habere oportet, & veritatem ſectando mendacium odio proſequi, ideo requiſitus a Judice, qui juxta formam vel ordinem juris interrogatus, veritatem dicere debet, qualibet utilitate, vel ſub ratione & ſpecie boni, vel honeſti, poſtpoſita.* Et *R. a Caſtro Medic. polit. lib. 4. cap. 11.* ſcribit, magna opus eſſe prudentia in vulnerum relatione, tanquam re perdifficili & maximi ponderis, ut, *ſi quando eos, de quorum capite agitur, vel eximere, vel talionis pœnæ noſtro teſtimonio addicere, ſit neceſſe, id inculpate præſtare poſſimus, ne in magnum incurramus ſcelus &c.*

Quam eandem fidem in Referentibus quam maxime exigunt Legum quoque Doctores, ideo, quod in Peritis non ſola peritia, ſed honeſtas & pietas etiam, ſupponatur, juxta *Pacianum lib. 1. cap. 47. n. 141. & 142.* Si enim Medico fides habenda eſt in iis, quæ ad artem ſpectant, autoritatem atque fidem hanc vel publico nomine quilibet, qui Publico natus, tueatur ac conſervet: cum, juxta *Ariſtotelem, nullus Civis ſe ſuum æſtimare debeat, ſed omnes civitatis, dum particula Civitatis unusquisque eſt.* Neque ingenuitatem & fidem hanc interpellet illa taciturnitatis lex, quam circa infirmos Medico Clinico cuſtodiendam *part. 1. c. 4.* commendatam recordor: cum in foro, ſeu ubi Reipublicæ ratio habenda, aliter agendum ſit, ut eodem loco prolixe pariter monui. Divinæ aliæque ſanctiores leges, conſcientiam obſervare Medicum, Chirurgum & Obſtetricem jubent, ut de his quoque, quæ latere mallet alter, v. g. Veneficio, Impotentia ad matrimonium, illatis percuſſionibus, partu clandeſtino ſimilibusque, poſtulati inprimis, ingenue ac ſincere deponant, & veritatem nunquam diſſimulent: cum Civitatis & Juſtitiæ interſit crimina innoteſcere ac vindicari, ſcandala declinari, &c.

Deponit Medicus tantum de credulitate.

Habent tamen hoc Medici cum cœteris Peritis præ Teſtibus communibus, ex Legum harumque Interpretum, v. g. *Baldi l. a. Maſcardi concluſ. 1069. Gailii l. a. Paciani l. a. num. 25.* & *Celeberrimi Stryckii*, indulgentia, peculiare, ut non ſemper de rei veritate, ſed credulitate ſeu probabilitate etiam tantum, in cauſis nempe, quæ in ſenſus minus incurrunt, nec alias certo ſciri poſſunt, deponant, etiam in ejuſmodi caſibus, ubi Magiſtratus eorum Relationem jurejurando confirmari poſtulat: quia Ars Medica ſæpe fallit, & per hujus incertitudinem atque experientiam maxime periculoſam ad perjurium facile abripi poteſt Deponens, juxta *Minſinger. cent. 6. obſ. 34. num. 11. & 12.* ac *Maſcard. l. a. num. 37.* Neque ullus eorum ideo culpari, multo minus convitiis excipi, debet, ſi poſt caſus difficilioris recenſionem judicium ſuum ſuſpendat, aut dubie reſpondeat, deſiderante ejuſmodi circumſpectam modeſtiam *Codronchio l. a.* ubi quemlibet Medicum ſententiæ magis peritorum potius ſe ſubjicere, quam temere in alterius præjudicium pronunciare, jubet. Qui modeſtiam hanc ignorantiæ ſiparium frivole proclamant, horum cavillandi libidinem vel ſolus *Fidelis l. a.* itidem reprimere poterat: *Sed illud etiam ignorandum non eſt, in nonnullas rerum occaſiones Medicum nonnunquam incidere, ut, cum nihil certi de re propoſita conſtet, dubia omnia incertaque referre nos etiam oporteat. Non ſemper enim promptæ ſunt rerum atque affectionum notæ: ut propterea in dubia atque ancipiti Medicorum relatione ſatis juſta eſſe poſſit excuſatio.* Quinimo nec Collegiis, de ſententia ſuper caſum expoſitum ferenda ambigentibus, & interloquendo, ut ajunt, minus accurate, confuſe ac intricate a primis deponentibus obſervata atque relata technice & legaliter magis explicari poſtulantibus, vitio hoc verti debet: modo defectus innuant alicujus momenti, non vero tales, quibus illos non tam erroris vel hæſitantiæ convincant, quam ignorantiam & præcipitantiam propriam eosque ſubſannandi pruriginem, prodant.

Etiam ſuſpendere poteſt judicium.

Circumſpecte & præmeditato deponat.

Detrimentoſa magis cujuslibet conſcientiæ ac exiſtimationi, aliis vero & publico exitioſa valde, continget illa levitas & præpropera feſtinatio, qua ad deponendum vocatus Medicus in judicando ac pronunciando inconſultum omnino ſe præſtat, nec mature & circumſpecte ſatis in negotiis ejuſmodi arduis expediundis agit, inprimis

mis ſi in problemate propoſito alios a ſe invicem & a ſe ipſo diſſentientes deprehenderit, eosque Viros in arte eximios. *Tunc enim*, inquit idem *Fidelis l. a. nihil dices, quod non ſatis digna meditatio judiciique maturitas elaboraverit. Neque enim in gravi ac difficili quæſtione, & quæ forſan a vulgari diligentia remotior ſit, dedecebit Medicum, doctum licet uſuque ac literis præſtantem, juſtum aliquod temporis ſpatium expoſcere, ut conſultis autoribus de re propoſita ſententiam ferat.* Dum vix axiomatis vim illud obtinet, ut nonnullus olim ſcribebat, quaſi præjudicia, hypotheſes & caſuum identitas ſeu conformitas Medicum in deponendo turbent; quin potius egregie juvent. Indulgent quinimo ac commendant Medicis atque Chirurgis Legum Doctores illud *feſtina lente*, ſc. ne feſtinanter & ex abrupto ſententiam dicant, ſed diu deliberent de obſervatis, quod ab iis ſemel ſtatuendum, ut legere eſt penes *Boërium deciſ. 323.* & *Maſcardum concl. 2037. num. 21.* Quale quid cum non omnes æque, quibus teſtificandi munus committitur, advertant, in id præcipitantiæ ac levitatis prolabantur, ut, quod primo aſſeruerint, paulo poſt negent, cogitationes poſteriores prioribus ſapientiores rati: Etſi nec hoc adeo feliciter atque apte ſemper, ſed cum ludibrio penes prudentiores non minus, ac rudiores fiat. Medicus v. g. cum Balneatoribus ſociis, qui vulnus Coli ſatis ingens cum fæcum eruptione & ſanguinis profuſione notabili immediate a ſectione cadaveris lethale dixerat, ſequente die idem non lethale, cum turpi prioris ſui judicati reſciſſione, renunciabat, rationibus quamvis nullius acuminis, quale quid Acta *Facultatis noſtræ* Ann. 1692. menſ. Aug. perhibent. Imo obſervare licet præ ſtupiditate adeo hæſitantes ac mutabiles, qui intra horulæ quadrantem unum idemque vulnus lethale ac non lethale, puellam virginem ac defloratam &c. aſſerunt, cum cachinno etiam aſſidentium. Feſtinatoribus ejuſmodi procacibus non ſine cauſa accenſeo illos Proſectores, qui, dum in aperiendo adhuc cadavere verſantur, ac antequam vix aliquid interaneorum, niſi oculo fugitivo ſatis, conſpexerunt, præpropere admodum, hanc vel illam partem, hoc vel illud vas, ſauciatum proclamant, aliquando etiam ejuſmodi membrum, de quo mox ipſemet Proſector ambigit, an ejus vulnus ab occiſore, an cultello proprio aut amanuenſis imperitioris, illatum fuerit: hac ratione

Feſtinata Renunciatio quantum noceat.

aut illegalis inſpectionis exceptionem prioris Defenſori ſubminiſtrans, aut pœnam præcipitantiæ ſuæ publicam luens, i. e. cœcos catulos enitens.

Idem quidem *Maſcardus l. a. num. 15. & concluſ. 1169.* cum pluribus aliis tantum fidei atque auctoritatis Medicis æque ac cœteris in arte peritis concedit, ut horum teſtimonio credendum aſſerat, licet effati ſui nullam rationem reddant: ſi ſc. hæc a Jūdice aut Parte non expreſſe petatur, ſeu de hac illi non quærantur. Verum cum non appareat, cur in rebus, quæ ſenſoriis externis non adeo, nec omnimode, obviæ ſunt & per indicia ſeu ſigna demum ſenſibilia ab intellectu eruuntur ac dignoſcuntur, quæ occulta hactenus erant, ſententiæ ſuæ ſeu decidendi rationem ſilere debeat Medicus, ſine qua non plus fidei merebatur, quam ſi rem mere ſenſibilem, non viſam, non contrectatam, deguſtatam &c. teſtetur: *Paciani* potius ac *Muſcatelli* opinionem amplector, quorum prior *l. 1. c. 47. n. 64.* inter alias Teſtis vulgaris ac Periti differentias etiam hanc profitetur, quod huic minime, ac illi, credatur, niſi dicti ſui rationem exhibuerit, a Judice, licet haud interrogatus de illa; poſterior *prax. crimin. de vulner. lethal. p. 241.* ait, *illos, qui ſufficientem rationem ſcientiæ dicti ſui reddere non poſſunt, minime ejus artis, quam profitentur, peritos eſſe.* In ſpecie autem, ubi de vulnere ferenda ſententia, aſſertionis ſuæ argumenta depromere tenetur Medicus, innuente *Carpzovio l. a. quæſt. 26. §. 43.* Quæ quidem conſuetdini & praxi hodiernæ ac noſtrati conformia ſunt, qua quotiescunque de Virginitate, Imprægnatione, partu, Lue Venerea, Veneficio, Vulneris habitudine, Morbo ficto &c. Medicus deponit, toties ſentiendi rationem unam pluresve annectit ſeu inſerit, ſub tali circiter connexione. *Quoniam mihi viſum fuit Cerebrum in Cajo ad ventriculos usque ſauciatum, Sinus falciformis laceratus, cum enormiore ſanguinis extravaſatione, Plagam hanc per ſe lethalem pronuncio: Purgamentorum muliebrium ſuppreſſione laboravit Tullia ab aliquot menſibus, cum facie ſatis vivida & ventris intumeſcentia, qua ſubito evaneſcente cum copioſo cruoris per genitalia fluore lac ſeroſum in ejus mammis deprehenditur; E. nuperrime peperit:* item *Calpurnius, temulentiæ quotidianæ deditus, geſtibus inconcinnis corpus exagitat, obſcœna & ſcurrilia effutit, jurgiis ac contumeliis petit* quos-

Medicus ſine ratione non deponat.

quosvis, nugas loquitur & ad quæſita incongrue reſpondet ; Dementiam proin in miſero hoc metuamus, quid prohibet?

Talem, i. e. rationibus inſtructum, gerere ſe debebat Medicus privatus ſeu ſolitarius, & quidem brevibus reddendis, niſi in controverſiam cauſa rapiatur, & præter ſe aliumve priorem Medicum, cujus effatum vel illi, quorum intereſt, vel Judex, ſuſpectum habent, alius inſuper adhibeatur, hujusque Renunciatio poſtuletur: & tunc prolixitate diſerta opus, per quam unius dubitandi ſeu contraria argumenta declinet, proprium vero ſeu alterius aſſertum firmet. Quod a Collegiis non, niſi tunc demum, expectandum, ubi vel a Requirente rationes dubitandi ac decidendi expreſſe deſiderantur, vel Medicorum privatorum diſſentientium ſibimetque contradicentium diſſidia componere, vel Collegii alterius cujusdam ſententiam contrariam refellere, neceſſarium obſervatur: quod itidem terminis ſuccinctis fiat, v. g. *Vulnus hoc, prout a Medico & Chirurgo, qui inſpectionem adminiſtrarunt, deſcribitur, per ſe lethale pronunciamus, non obſtante, quod regimine ac medela neceſſaria deſtitutus fuerit percuſſus &c.* aliquando etiam ſpecialiora magis contradicendi ac confirmandi argumenta annectendo.

Et quidem aliquando prolixius explicando.

Vitet proin Medicus teſtificari juſſus quamvis prolixitatem atque ambiguitatem, & ante omnia (in quo nihilominus multos peccare obſervo) Judicis vel cujusvis Requirentis mentem in referendo probe attendat, atq; ita ad poſtulata eorum tantum apte deponat: longius enim, quam res poſtulat, digredi, & quæſtiones impertinentes immiſcere, ſicque ſtatum controverſiæ negligere ac occultare, judicum animos defatigat ac tædio afficit. Caveat pariter, ne in tradenda Relatione obſcurus ac intellectu difficilis ullo modo reperiatur, ſed ſtylo ſimpliciore ac perſpicuo magis, neque ambiguis verbis & phraſeologia, quæ iniqua interpretatione veritatem ſupprimant, utatur. Hinc technice equidem ſemper loquatur, ita tamen, ut, ſi qui terminorum, Medicis quidem notiſſimi, aſt JCtis ignotiores, intercurrant, tritis ac popularibus magis, & interpoſita aliquali quaſi paraphraſi, interpretetur, v. g. Cauſo febrem ardentem ſubſtituat vel adjiciat, Diarrhææ fluorem ventris, Cephalalgiæ capitis dolorem, Aortæ arteriam magnam, Tracheæ aſperam arteriam, die Lufft-Röhre/ item

De cœtero vitet prolixitatem.

Sit perſpicuus.

item non, niſi per accidens, lethale hoc judicamus vulnus, worvon der Verwundete / da die behörige Pflegung und Artzeney-Mittel zu rechter Zeit wären gebraucht worden / wol hätte auffkommen und beym Leben erhalten werden können / ꝛc.

Sicut minus quadrat, quæ rarius eveniunt, caſibus individualibus mox, ſine ulla ratione, applicare, ſicque aut fruſtraneum metum, aut intempeſtivam ſpem, judici concitare: aut ſententiæ primariæ talia annectere, de quibus Medicus haud poſtulabatur, & quæ nihilominus eundem judicem pariter dubitare faciunt. Prioris generis aliquod exemplum *Fidelis l. a.* ſuppeditat, ſi nempe, quem febricula in carceribus corripuit, ajat Medicus, inde illum ſolvi oportere, quoniam ob inſalubriorem loci atmoſphæram pravi ſucci, quorum effectus indiciumque febris ſit, eousque in corpore cumulari queant, ut febrem ad periculum vitæ intendant. Ubi potius quidem fatendum foret febrem vitioſos in corpore ſuccos arguere, ac illos ab aëris vitio ad ægri internecionem aliquando depravari poſſe; quia nihilominus exigua ſeu levior febris omni periculo vacet, nec effatu dignam innuat humorum pravitatem, poſſitque etiam in carceribus ſatis diu innoxie perferri: vix ideo incarceratum emittendum eſſe. Poſtquam nempe doceri exigebant Judices non, num febris ſeu ægritudo ejuſmodi in genere aliquando degenerare & infirmum perimere queat? ſed an plerumque ita fieri ſoleat, & in præſente caſu idem metuendum? Cui errori forſan ſimilis eſt, ut ſuperius innui, ſi, ubi de plaga certo individuo illata quæritur, an defuncto mortalis extiterit? deponat Medicus, minime, quia aliquando ex ejusdem membri percuſſione evaſerit unus vel alter, teſtantibus hoc his illisve Scriptoribus: quaſi vulnus, ex quo quendam aliquando evaſiſſe conſtet, non lethalibus accenſendum foret, ex eorum nihilominus genere, quæ utplurimum enecant. Neque poſterioris erroris deficiunt paradigmata, ſed obſervationes plus quam frequentes ſunt, dum v. g. poſt lethalitatem vulneris per ſe pronunciatam ineptis additamentis, iisque interdum ſatis contradictoriis, Judici non tantum inepte hinc concludendi occaſionem ſubminiſtrant, ſed ſemetipſos turpiter confundunt hunc in modum: Wiewol zu wünſchen / daß der Beſchädigte bey Zeiten und behörig wäre verbunden / auch ſonſt gebührend tractiret

Neque ex rarius & aliquando tantum contingentibus concludat.

Nec aliena admiſceat.

tractiret worden; unde Judex mox infert, E. aliquid curæ & regiminis intermiſſum, plagamque per accidens ſaltem lethalem judicat. Aut hac ratione, daß dergleichen enormes capitis læſiones, wie ſie in dem Atteſtat des Medici und Chirurgi beſchrieben/ zwar allerdings per ſe lethales zu achten/ gleichwohl aber dahin zu ſtellen/ ob bey dieſem Vulnerato, geſtalten Sachen nach und da/ ꝛc. als einem jungen/ ſtarcken Menſchen/ per elevationem Cranii ſubſidentis tempeſtivam naturæ conatibus nicht hätte ſuccurriret werden können/ ꝛc.

Caput III.

De *Chirurgis ac Obſtetricibus deponentibus.*

CHirurgorum in deponendo coram Judice opera minus frequens obſervatur, ſc. fere tantum in dijudicandis vulneribus, fracturis, mutilationibus, cicatricibus & paucis forte ſimilibus v. g. de erroribus ab aliis Chirurgis commiſſis; niſi aut ſibi plura horum præſumant, aut ab inepto Prætore ad ejuſmodi Renunciationes trahantur, quarum argumenta ſphæram illorum longius tranſcendunt: quamvis hoc teſtificandi munus iis peculiare & præ Medicis competere, haud videatur. Super illas percuſſionum conditiones, quæ in ſenſus ſolos incurrunt, item membrorum mutilationes, bubones, ulcera &c. ſoli forſan Chirurgi aliquando deponere valent: an vero in caſibus arduis, ubi accuratiore inſpectione, prudentiore conjectura & ratiocinatione opus, eorum Relationibus, ſine Medici approbatione aut mavis directione, ſit fidendum, merito ambigunt mecum illi, qui noſtrates ac hodiernos Tonſores, peritia ejuſmodi deſtitutos norunt, qualem nihilominus in iis ſupponunt aut prærequirunt Legislatores, v. g. in lethalitate vulnerum determinanda, de infirmitatibus poſt vulnera metuendis, &c. Quippe eo ipſo, dum ſine Anatomes, Phyſiologiæ ac Pathologiæ curatiore notitia, quæ Chirurgis noſtris tantum non omnibus exulat, nec partem vulneratam, nec ejus actionem, læſionem & læſionis effectum, diſcernere valent: mox comparet, quantum hallucinentur in deponendo non

Rarius deponunt Chirurgi.

In caſibus levioris momenti.

Non vero in cauſis difficilioribus.

In ſpecie nec ſuper vulnerum lethalitate.

Propter eorum imperitiam.

non tantum antequam percuſſus moriatur, ejusque cadaver ſecandi copia fiat, ſed cum remotis quoque integumentis externis interiora oculis uſurpare poſſunt i. e. in membro læſo ſignificando, prognoſtico formando ac lethalitate aſſerenda vel neganda, iidem, ſive Magiſtrorum, ſive Principum, titulum prætendant.

Conquerebatur de hac Chirurgorum imperitia ſuo jamdum tempore *Galenus 3. de adminiſtr. anatom. 1.* ac conqueritur de eadem noſtra ætas: cujus potiſſima cauſa hæc eſt, quod absque rerum neceſſariarum ſtudio & theoria prævia Arti ſe mancipent, & ejuſmodi morborum curæ ſe applicent, quorum terminos vix norunt, aut enunciare valent; qualem ruditatem Medici pariter ac JCti ex ejusmodi hominum atteſtatis de vulnere ſimilibusque caſibus, vulgo Wund-Zetteln/ quotidie cum nauſea legunt. Ita ut in illorum depoſitione, nec, etiamſi res non adeo magni momenti fuerit, facile acquieſcat judex circumſpectior, quin Medici inſuper judicium rogitet.

Malè deponendi munus à quibusdam JCtis chirurgis demandatur.

Quibus ita ſe habentibus non apparet, cur ſecundum quasdam Leges publicas, v. g. *Conſtitutionem Criminalem*, harumque Interpretes, v. g. *Clarum recept. ſentent. lib. 5. §. Homicid. num. 43. Maſcardum concluſ. 1175. num. 40. Farinacium quæſt. 2. n. 4.* in caſibus arduis ac difficilioribus, in ſpecie, ubi ſuper lethalitate percuſſionis deponendum, vel Chirurgis & Barbitonſoribus noſtris ſolis, ſeu præ Medicis, vel Medicis haud ſolis, ſeu non, niſi cum Chirurgis iisdem, fides ſit adhibenda: contradicentibus inprimis hoc in paſſu aliis Legum Doctoribus, *Carerio* nempe, *Paciano*, *Angelo Aretino*, *R. Rulando*, *Brunnemanno*, *Stryckio*, *&c.* Quorum *prior cauſar. criminal. p. 414. §. 16.* non Tonſores, ſed Medicos, chirurgicos expertos, ad hoc negotium poſtulat: *Alter de probat. lib. 1. cap. 47. illum, qui bonus Phyſicus & ſimul bonus Chirurgus, huic, qui tantum Chirurgus*, præfert, *Major quippe*, ait *idem*, *peritia veroſimiliter probatur, quando unus eſt bonus Phyſicus* (i. e. Medicus practicus) *& ſimul bonus Chirurgus, alter vero eſt tantum Phyſicus, vel tantum Chirurgus. Aretinus Inſtit. proœm.* Magiſtratum, *an vulnus ſit lethale, nec ne, non credere nec ſtare debere Medico, qui eſt Chirurgus tantum, ſed qui totius Artis Medicæ ſit peritus*, ſcribit *Excellentiſſimus Stryckius §. 19.* non nudos Barbitonſores, ſed

Ab aliis ipſis denegatur.

Chirur-

Chirurgos, in Anatomia verſatiſſimos, & qui conſtitutionem corporis humani exacte norint, in *Carolina* per Chirurgos intelligi, §. *21*. autem *Maſcardi* aſſertum vix univerſalis concluſionis nomen mereri, ait, nec ſine ratione. Aut enim ignoravit Reverendiſſimus hic Protonotarius Apoſtolicus & Eccleſiarum totidem Vicarius, Chirurgiam Medicinæ partem eſſe, adeoque Medicos quoque hanc tenere; aut Chirurgi ſoli, non Medici, (quod nunquam probabit) Romani, Mediolanenſes, Patavini, Placentini &c. inter quos vixit, ſtudium ſecandi coluerunt & interiora corporis humani noverunt; aut ille Papa ſuo infallibilitate longe inferior extitit, i. e. in Concluſione hac pro Chirurgis formanda egregie lapſus eſt. Concedo ipſi lubentiſſime, *ubi periti diſſentiunt, ſtandum eſſe peritiori*; hoc nihilominus ut ipſi concedam, Chirurgos corporis humani cognitione, ſine qua tamen non, niſi meras nugas, ſuper vulnerum lethalitate iis enunciare datur, utplurimum deſtitutos, tales peritos ac peritiores exiſtere, nihil urget; quin potius hinc inferam, *E. illis, tanquam minus peritis, minus, quam Medico, erit ſtandum.* Quatenus, juxta *Muſcatellum pr. criminal. de vuln. lethal. p. 241. Pacianum de probat. l. 1. cap. 47. num. 64.* & *Boërium Deciſ. 323. magis creditur teſtibus allegantibus legitimam cauſam vel rationem dicti ſui, quam cœteris, nullam reddentibus*, i. e. Barbitonſoribus ac Balneatoribus ſeu illotis noſtris Chirurgis. Quibus jungo *Conſtitutiones Medicinales Haſſiacas, Anno 1616.* latas, in quarum *c. 3.* hæc leguntur verba: Ob auch etwann ſich zutrüge/ daß einer durch Verwundung / Gifft oder andere gewaltſame Verletzung Todes verfahren/ und darüber eine Inſpectio Medica und deductio anatomica vulneratarum aut veneno læſarum partium, begehret würde/ ſo ſoll der Decanus provincialis hierzu zween oder mehr Medicos oder Collegas provinciales verordnen/ in Beyſeyn des Schultheiſſen/ etzlicher Raths-Verwandten/ und eines Notarii, alles deduciren/ protocolliren und unterſchreiben laſſen/ ꝛc. ubi nulla Chirurgorum fit mentio.

Quippe eo ipſo, dum Medicus ſolus, ſine Pharmacopæo, de rebus pharmacevticis ac de aliis infinitis cauſis, v. g. virginitate, impotentia, partu diſſimulato, veneno propinato, morbis fictis, ſine alterius cujusdam artificis ſeu aliquam tantum Medicinæ partem miniſtram exercentis adjutorio, perite ac fideliter deponere valet, & quotidie

Rationes cur Medico non anteponi in deponendo poſſit chirurgus?

tidie deponit: cur minorem in eo concipiamus dexteritatem ac fidem, de lethalitate vulnerum rogato? qui non partem hanc vel illam tantum, ſed cunctas totius artis, callet, præeunte allegato *Paciano*, qui in teſte perito eligendo peritiorem ſemper eligere & Doctores non Doctoratis, cum aliis Commentatoribus & Sanctionibus publicis, hinc Chirurgis quoque, præferre jubet. I. e. *perinde negotium hoc ſe habere* ait *ille, ac, dum Imperator, quando judicium Architectorum vel Mechanicorum requirit, vult, ut primates Architecti & inſignes Mechanici advocentur, ſc. quod NB. mediocriter inſtructi haud ſufficiant.*

Medicus director & judex eſt rerum chirurgicarum.

De cœtero, Directorem operationum ſuarum omnium agnoſcit Medicum Chirurgus in praxi communi, ubi in caſibus difficilioribus ut adeat illum hic, ejusque conſilium ac opem imploret, per Leges & Conſtitutiones publicas jubetur: ita quidem, ut, ſi in gravius ſauciatis hoc negligat, nullumque medicum advocet, culpa ſua non leve argumentum ſuggerat, per quod pœnam ordinariam effugiat vulnerans. E. nec in cadaveris vulnerati inſpectione & plaga dijudicanda idem Medico poterit haberi par, multo minus ſuperior, potiſſimum cum quotidianæ ac deteſtandæ potius, quam exponendæ, obſervationis ſit, quod Barbitonſorum noſtrorum plurimi nec calvariam ſine meningum & cerebri laceratione aperire, nec abdominis integumenta, ſine inteſtinorum vulneratione incidere, nec viſcera horumque partes, multo minus vaſorum ramificationes ſimiliaque prompte diſcernere queant. Denique quid frequentius, quam ſuper Chirurgorum non minus ac Medicorum relationes atque atteſtata Collegia Medica (non Chirurgorum ſocietates) eorumque ſententias poſtulari & ſecundum horum conſenſum ac diſſenſum earum vim moderari. Unde proin hæc Tonſorum ſeu Chirurgorum vulgarium prærogativa, quam contra argumenta adducta nec Ulpiano peritior Commendator per ſanam rationem defendere poterit?

Neminem equidem, legis hujus conditæ vel aſſertæ cauſa, in jus trahere mihi præſumam, pace tamen eorum argumenta, quibus hoc paradoxum adſtruere ſatagunt horum plerique, & quibus ſine Chirurgo Medicum ad inſpectionem cadaverum minime adhibendum eſſe putant, trutinare mihi liceat: Quaſi nimirum hoc modo

facilius

facilius impellantur Medicinæ Doctores ad eandem accuratius faciendam, ſi alii præſto ſint, qui manum ſimul ita admoveant, ut pro iis agant, quod ipſis ſordidum ac vile videtur; inſuper Chirurgi in vulneribus tractandis quotidie verſentur, atque ideo nec fallant, nec fallantur. Quorum prius ſane nullam Chirurgo prærogativam, ſed miniſterium potius tantum, decernit: quo nempe Medicum operantem ac inſpicientem in ſordidis ac vilioribus adminiſtrationibus ſublevet, cruorem v. g. detergat, ſpongias exprimat, finita operatione cadaver conſuat, abluat &c. quod nemo ipſi invidebit. Alterum argumentum ideo levioris momenti videtur, quod aliud longe ſit, lethalitatem vulneris ex fundamentis anatomicis ac medicis determinare; aliud huic mederi: cum eorum hoc per meram empiriam, illud non ſine accuratiore corporis cognitione, præſtare queat Chirurgus, hinc in deponendo utique fallat ac fallatur. Quinimo ſæpius adeo circumſpectos obſervamus Medicos, qui, quod in anatomicis ſe non ad amuſſim exercitatos norint, ejuſmodi inſpiciendi ac teſtificandi munus modeſte detrectant. Præterea, nonne ad vulnerum graviorum ſeu periculoſiſſimorum, ut modo dictum, medelam crebro admoveatur Medicus, huncque advocare tenetur Chirurgus pariter ac Prætor, ut illius minorem peritiam ſua levet? E. iſte in vulneribus tractandis Chirurgo minus rudis, hinc in deponendo de lethalitate illorum nec fallit, nec fallitur.

Argumenta, pro chirurgis allata, parvi ſunt momenti.

Quo interim, qua occaſione hæc præeminentia olim in Chirurgos redundarit, eluceſcat, ex Antiquitatis monumentis huc repeto, Chirurgiam, Medicinæ primam occaſionem & partem integralem miniſtram, ſeu inſtrumentum, per injuriam demum ſeculorum a toto ſuo ſeu corpore, cum ſingulari generis humani damno, avulſam fuiſſe, ut omnis illa manus opera a Medicis clinicis, Phyſicis alias dictis, ſucceſſive & tantum non omnimode fuerit neglecta: qui poſtmodum, hoc generoſiore præſidio deſtituti, morbos, qui a manu tempeſtive admota potuiſſent accipere medelam, ſæpius aut non dignoſcebant, aut eorum vim ad deſperationem usque augeſcere patiebantur. Inprimis vero hoc, quod nos colimus, ſeculo divortium illud adhuc obſervatur, ubi Barbitonſoribus, per indulgentiam nefariam ac levitatem quandam, forſan deſidiam deteſtabilem, Medico-

Qua occaſione hæc provincia ad chirurgos olim fuerit devoluta?

rum, præclariſſimam & efficaciſſimam hanc artis partem concreditam cernimus: cum nihilominus olim non aliud fuerit Chirurgum, aliud Medicum, eſſe. Taxabat hanc ignaviam in Medicis Luſitanis, conterraneis ac concivibus ſuis *Rod. a Caſtro*, maximam contra deprædicans Hiſpaniæ, Galliæ atque Italiæ felicitatem, utpote quarum Provinciarum perfectiſſimi exiſtant Chirurgi, potiſſimum autem in Celeberrima Salmaticenſi Academia Cathedram chirurgicam per largiſſimum ſtipendium fuiſſe conſtitutam, quam frequentare ſaltem per biennium tenebantur omnes ac ſinguli, Doctoratum qui ambiebant, Medici. Quemadmodum contra Paduæ non cunctis Chirurgiæ munus obire permittitur, ſed Viris tantumodo delectis, ante electionem peritis in arte & ad amuſſim exercitatis; ſeu a Collegio Patavino Medicorum aut Academia ejusdem loci poſt examen ſufficientibus judicatis, hincque Licentiatis pronunciatis. Unde factum, ut, quamdiu indivulſæ adhuc exiſtebant Medicina ac Chirurgia, *Imperator Juſtinianus*, nullum inter Medicum ac Chirurgum advertens diſcrimen, illi deponendi munus in rebus, Artem ejus concernentibus, dubiis hinc inde per Leges aſſignarit: imo olim Medicos tantum vulnera inſpexiſſe, ac de horum lethalitate ſententiam tuliſſe, vel ex *Galeno de cauſ. procatarct. c. 2. & 3. Monardo 6. epiſt. 1. H. Augenio l. 11. cap. 2. Joh. Bapt. Sylvat. hiſt. 85.* & *Codronchio meth. teſtif.* paſſim patet. Poſtmodum vero & ſchiſmate illo enato *Carolus* non tantum *Imperator* in *Nemeſia* ſua per Imperium Romano-Germanicum Chirurgos, Medicis contradiſtinctos, ad vulnerum inſpectionem delegavit, poſthabitis fere omnimode Medicis communiter ita dictis ſeu Phyſicis, ſed aſſeclas quoque hujus ſuæ ſanctionis reperit, non minus Prædeceſſores ac Succeſſores, v. g. *Boërium, Carerium, Farinacium, Maſcardum, Clarum & Carpzovium*, qui ſinguli Chirurgos præ Medicis ad hoc negotium aptiores judicant, ſemper quamvis addita hæc cautela: *modo ſint periti & ſui judicii rationem reddere valeant;* aut potius proteſtatione facto contraria.

Limitatione ſiquidem hac ſuppoſita & ab omnibus cordatioribus approbata, quid impedit, quominus hac noſtra ætate & pro ſtatu præſente, quo Chirurgi rerum, quæ ad artis peritiam quam maxime neceſſariæ valde ignari exiſtunt, ille *Conſtitutionis Criminalis* ſenſus tempe-

temperari valeat, præeuntibus hoc in paſſu ſuperius allegatis JCtis & Commentatoribus, qui non tonſores aut balneatores quosvis imperitos, ſed in anatome verſatiſſimos Chirurgos Medicosve Chirurgicos deponere volunt. Cum, ſi rem, non ut in theſi, ſed in hypotheſi, & ſecundum morem noſtratem ſeu hodiernum, conſiderem, ambiguus hæream, an ejuſmodi vel Chirurgorum, vel Barbitonſorum multi in Germania ſeu Saxonia noſtra reperiantur, qui de ſcientia œconomiæ corporis humani, huic functioni expediundæ adæquata, gloriari queant, etiamſi Magiſtri tonſoriæ æque chirurgicæ artis examinati & jurati audiant? Quatenus ne quidem præſumptionem ejuſmodi peritiæ ac dexteritatis demerentur, & plures eorum plus, quam notorie nec terminum anatomicum pronunciare valent, multo minus ipſius ſuæ artis ſufficiente notitia pollent, vulneraque inter operandum non tam luſtrant, quam faciunt, hinc nec ad ſecandum, nec decernendum, multo minus ad teſtimonii ſui rationem reddendam, habiles exiſtunt. Deſtituuntur Chirurgi peritia ad negotium hoc neceſſaria.

Cur itaque rudioribus ejuſmodi hominibus, ſive Chirurgi, ſive Tonſores, appellari malint, hoc munus arduum ſeu jus vitæ & necis, ac in cauſis ſanguinis definitivam concredamus, ita quidem, ut Medico abſente illorum Relatio ſufficiat? Cur non pari, ſi non majore, jure in defectu Chirurgi Medici teſtimonio ſtandum? Aut qua ratione ſana Chirurgi in inſpectione vulneris abſentia eam illegalem, ex vulnere per ſe lethali per accidens tale facere, & pœnam homicidii ordinariam in arbitrariam convertere valet? ſecus, ubi deeſt Medicus? abſona ſane Lex. Et æquiores hoc in negotio obſervamus Nobiliſſimos Prudentum Senatus Noſtrates, vix unquam ſolis Chirurgorum pronunciatis, in pæna homicidii decernenda, ſtantes, ſed eadem aut plane repudiantes, aut Medicorum Collegiorum examini exponentes: quibus utplurimum, ne quidem quoad inſpectionem, niſi cauſa lethalitatis quam evidentiſſima fuerit, v. g. Vulnus cordis ventriculos penetrans, raro ab his adhibetur fides. Concluſio.

De cœtero, quod de Medico ratione ſinceritatis, ingenuitatis & perſpicuitatis in Renunciando monitum, exigitur quoque cœteris paribus a Chirurgo: quemadmodum quod inter Medicos peritior ſemper ac Promotus reliquis ſit anteferendus, etiam de Chirurgis aſſeren- Ingenuus, ſincerus & perſpicuus ſit chirurgus.

ſerendum, ſi forſan, ex conſuetudine potius, quam per rationem ſufficientem illis hi jungi debeant. Sc. ut potius eligatur, qui ſit Artis Magiſter approbatus, & quidem primarius, cum, annotante *Paciano*, cautius ſit, peritiores, aut qui peritiores præſumuntur, adhiberi, ubi nempe Chirurgorum in civitate plures, Seniores, vulgo die Ober-Meiſter: quamvis Magiſtratum ad hos ſolos obligatum eſſe, niſi forſan ex conventione, dicere nolim, ſi inprimis de alterius ſeu junioris peritia potiore conſtet. Pariter jusjurandum, quod tempore aſſumptionis ad ejuſmodi officium publicum, aut ad Magiſterium, præſtiterunt, ipſos ad actus Renunciatorios infinitos ſine dubio habiles ſatis & ſufficientis fidei reddet: modo honeſtati ſemper litent ac circumſpectos atq; prudentes in inſpiciendo pariter ac referendo ſe gerant.

Chirurgus & Medicus vulnerati ad teſtificandum non facile admittuntur.

Illud adhuc circa ſelectum Chirurgi mihi dubium videtur: An præ alio ad teſtificandum admittendus vel advocandus, qui vulnerato medelam præſtitit? forſan, quod de phœnomenis ac ſymptomatis plagæ commodius deponere queant; cujus opinionis *Noſtrum quoque beatum Welſchium* olim extitiſſe, obſervo. Quia nihilominus in cauſa propria nemo teſtari poteſt, nec chirurgus, an bene, vel male, in medendo egerit, deponere valet, quod tamen ad vulnus per ſe & per accidens lethale diſcernendum, neceſſarium foret: ſuaſor eſſem, ut manum potius abſtineat talis, ne fides ejus ſuſpecta reddatur. Quod de Medico pariter aſſererem, qui vulnerati hactenus curam geſſit, cum in hunc pariter ab homicida aut hujus defenſore ſuſpicio devolvi queat, eum magis famæ ac lucello, quam veritati & conſcientiæ, litare.

Etiam Obſtetrices ad deponendum poſtulantur.

Denique Obſtetrices in cauſis forenſibus aliquando percontatur Judex, ſc. in Virginitate ac ſtupratione, Imprægnatione, Impotentia fœminea, Partuque explorando, Hermaphroditis ac Gemellorum primogenito a natu minore decernendis, partu vivo pronunciando, ſtupro manifeſtando, Partus maturitate ac perfectione determinanda &c. non quod peculiari præ Medico & Chirurgo hæ teſtificandi peritia atque auctoritate polleant, ſed quod neceſſitatis & verecundiæ gratia munus hoc ab Athenienſibus primum ac a Legislatoribus poſtmodum cunctis iis demandatum fuerit, adeoque Medicorum loco ſint.

Earum

Earum officium adæquatum quale olim fuerit, ex *Platone* declarat *Galenus*, ſc. ut ſeligant ſubjecta ad liberorum procreationem & matrimonium apta, hæcque concilient; id eſt dignoſcant mares impotentes ſeu infœcundos ac fœmellas ſteriles ſeu ad concipiendum minus aptas: ut prægnantes a non prægnantibus diſtinguant; & parturientibus ac natis opem ferant. Quorum equidem prius, nempe ut, inſtar Pronubarum, mares fœminasque jugent ac jugatos diſcernant, Reipublicæ ſuo modo maxime proficuum, nunc obſolevit, forſan inter alias rationes ideo, quod ſagacitate ad curam hanc neceſſaria pleræque harum vetularum hodie deſtituantur: aliis nihilominus negotiis & cauſis, præter regimen parturientium, puerperarum, ac natorum, famam atque vitam concernentibus, expediundis, ut modo innui, præficiuntur, inprimis per Jus Pontificium. Quibus dijudicandis ac præſtandis, an noſtrates ſufficiant, vel pares præſumi valeant, cum *H. Augenio epiſt. & conſult. t. 2. l. 1. c. 6. & 12.* valde ambigo: ideo, quod dexteritas ejuſmodi ſine doctrina & exercitatione multa, ſeu præparatione ſingulari, concipi nequeat.

Officium obſtetricum.

Noſtrates obſtetrices ad teſtificandum vix idoneæ.

Quamvis enim Legum auctoritati derogare & Magiſtratus actiones turbare, meum haud ſit, dum plus quam notorium, ad forum, teſtificandi gratia, quotidie ab illis vocari mulierculas has, quod artem profiteantur, Medicorum numero habeantur, iisque, ut peritis, in arte ſit credendum, ac ideo a Romanis negotium inſpiciendi ventrem *ff. de ventre inſpiciendo* ad Obſtetrices delatum obſervatur: peritiam tamen earum, ad deponendum nihilominus in Judicio quam neceſſariam, in dubium ut vocem, non unum me movet. Scilicet quemadmodum de veterum Obſtetricum doctrina atque dexteritate, per quam Medicis peritis accenſebantur, maxime & vel Agnodices exemplo conſtat, quam Medico cuidam, Herophilo, ſeſe erudiendam tradidiſſe, artemque ab hoc perfecte addidiciſſe, *Iginus libr. fabul. p. 274.* perhibet, Phanerote etiam, Socratis Athenienſis mater, teſte *Laërtio in ejus vita, Valerio Maximo 3. cap. 4.* & *Raphaële Volaterano lib. 13.* Obſtetrix extitit, hasque aliæ diverſæ in artis ſuæ operibus claræ inſequebantur, quarum memoria ad nos usque, per *Galeni, Scribonii Largi, Æginetæ, Aëtii, Marcelli Bordegallenſis, Th. Priſciani* & aliorum monumenta, pervenit, & quibus perinde, ac Viris Medicis,

Præſes Provinciæ jus de mercede, notante *Ulpiano lib. 1. §. 1. de extra-ordin. cognit.* dicebat: atque hoc ipſomet ſeculo ac hodienum earum quasdam, ſat peritas reperiri, omnino negandum haud eſt, ſicut de *Louyſe Bourgoiſe*, Pariſiis olim obſtetricantis, ſingulari ſcientia loquitur Codex, idiomate Gallico ab eadem conſcriptus, poſtmodum in vernaculam noſtram translatus, & dexteritatem egregiam *Juſtinæ* Siegmundin/ Obſtetricis Electricis Brandenburgicæ ejus ſuperioribus annis editum Scriptum declarat. Ita raræ valde hæ obſervantur aves, & plus quam notoria eſt Noſtrarum ſtupiditas, qua ad quæſtiones ejuſmodi coram Prætore decidendas perquam inidoneæ exiſtunt: ut, quod de Pedemontanis ſuis vetulis olim conquerebatur *Horat. Augenius l. a. c. 6.* noſtris pariter, jure optimo, applicem. *Ignaræ ſunt noſtra tempeſtate mulieres medicæ, nec aliud meo quidem judicio ſciunt, quam naſcentem puerum gremio recipere, umbilicum reſcindere & alligare: ad alia, quorum ſcientiam habebant antiquiores, ſunt profecto ut aſinus ad Lyram.* Et poſtmodum *cap. 12. Hoc unum profiteor, ejusmodi non reperiri obſtetricis* (qualium officium ſuperius docuerat) *noſtra ætate, præprimis vero in Italia, ac omnium minime in hac Pedemontana regione, in qua rudes quædam mulierculæ, omnium rerum ignariſſimæ, faciunt hanc artem, &c.* Quibus addo modo *laudatæ Bourgoiſe* effatum, Hebammen-Buch *l. 1. c. 2.* Ich möchte meines theils wünſchen/ daß ſolche Weiber mehr mit der That Wehe-Mutter/ Hebammen und Weiſe-Frauen (Gall. ſages femmes) wären/ denn mit dem Nahmen. Ich will nicht zweiffeln/ daß man nicht auch feine/ erfahrne/ geſchickte/ beſcheidene Ammen finden ſolte/ aber dieſe ſind ſehr dünne geſäet/ und in viel geringerer Anzahl/ als die andern.

Quia doctrina neceſſaria deſtitutæ.

Noſtrates ſiquidem, omni doctrina neceſſaria deſtitutæ, maximam partem ex jumentorum ſtabulis & ſubulcorum ac bubulcorum baſilicis prodeunt, præter rudem atque ineptam empeiriam, quod Mater, Sororve earum, ſub pari peritia, per multos annos hoc munere inter pecora pariter ac mulierculas agreſtes functa fuerit, totidemque editorum nativitati adſtiterint, nihil crepant, & vix rebus illis, quæ ſecundum quotidianum & ordinarium naturæ curſum eveniunt, dirigendis ac moderandis pares deprehenduntur, in caſibus autem paulo difficilioribus hærent. Nulla enim earum de arte vera, i. e.

i. e. habitu cum recta ratione effectivo, gloriari valet, quam nimirum ex fundamentis Anatomicis nunquam hauſerunt, ſed, perhibente *Augenio* non minus *l. a.* ac *Bartholino de inſolit. part. viis c. 17. anatomiæ prorſus ignaræ, quam diſcere vel erubeſcunt, vel faſtidiunt, per mortes noſtrarum puerperarum experimenta faciunt.* Teſtari poſſum bona fide cum *Bartholino l. a. me per pluſculos annos olim in theatro anatomico utriusque ſexus ſectiones adminiſtraſſe, ſed nullam unquam Obſtetricem curioſitatem uterum eique annexas partes videndi, adduxiſſe,* præter illas, quas vel Senatus aliquando noſtratis juſſa, vel unius alteriusve Matronæ hujus urbis privata admonitio, adduxerant, ſeu potius adegerant. Neque in Germania, forſan nec alibi, de ejuſmodi Magiſtris peritioribus conſtat, nec ſolicitus de his eſt Magiſtratus, quæ alias juniores forment, ſeu a quibus per Rationem atque Experientiam ad artem obſtetricandi aliæ manuducantur: Sed quicquid in hac poſſident dexteritatis, experientiæ ſolitariæ fallaci ac periculoſæ, i. e. mortibus totidem puerperarum & fœtuum, debent, dum artem citius ſeu præpoſtere exercent, quam addiſcunt. Similes mihi videntur ejuſmodi Obſtetrices empirico lepido illi Oculiſtæ, cujus ex *Freitag. Noct. med. c. 5.* ſuperius memini, qui in deponenda per acum ſuffuſione felix non minus ac temerarius rogatus, qua ratione Chirurgiam hanc adeo egregie didiciſſet, reſpondit, ſe priusquam modum, operationem hanc feliciter adminiſtrandi, cognoverit, vel pileum plenum oculorum, punctionem horum tendando & experiundo, effodiſſe.

Proh dolor! lugent penes nos totidem mariti ſuas conjuges, liberi matres, familiæ cognatas atque agnatas ſuaviſſimas & prolem ſtirpis ſpem deſideratiſſimam, infauſtis & ignaris Obſtetricum manibus ereptam, clamat harum ſanguis. Non formantur, leviter & perfunctorie tantum examinantur, noſtræ Dianæ, imo, qualiscunque demum earum deprehendatur peritia, obſtetricandi tamen functio ipſis demandatur miſerisque parturientibus illæ obtruduntur, a quibus nullam opem ſperare valent. Teſtari poſſum, ipſæque teſtabuntur hujus generis diverſæ mulierculæ ſe, vel ſine omni præcedaneo tentamine, vel in hoc rerum ſcitu neceſſariarum ignaras plane deprehenſas, obſtetricandi munus atque auctoritatem nihilominus

Nullæ obſtetrices noſtræ fruuntur doctrina.

ſuſcepiſſe. Exempla ſunt odioſa, inſtructum tamen his me ſiſto, ad eorum unum alterumve cum circumſtantiis cunctis, ſi curioſior tale quid abs me poſtulet Patronus ejuſmodi jumentorum, ſive maſculini, ſive fœminei, ſexus.

Ab examine nulla in eas redundat peritia. Neque per examen, ſive a Conſulum ac Ædilium uxoribus, ſive Medico, fiat, peritiores evadent rudes hæ vetulæ: quia perquam notorium, illas nihil unquam harum rerum recte addidiciſſe, nec diſcere potuiſſe. Nolo in hac Reipublicæ infirmitate explicanda prolixior eſſe, deſtitutus illi medendi remedio; multo minus tempus chartamve teram in Obſtetricum noſtratium erroribus enormioribus, quia infiniti, recenſendis, feſtiva ſaltem harum & qui quæve illis cauſam dicunt, temperare mihi liceat, quo forſan in me fervent, æſtum obſervatione. Quinquennium circiter præteriit, quo ad Fœminam Generoſam, ſub dyſtocia per biduum fere gementem, evocabar, accedens & ſtatum parturientis atque fœtus ſciſcitans a quadam adſtantium reſponſum ferebam, hunc hactenus ſub ſuis & matris conatibus, **Exemplum obſtetricis ineptæ.** intra hujus ventrem adeo variis & incongruis motibus jactitatum fuiſſe, ut membra ejus tantum non omnia, & inter hæc genitalia, quoque maſculina, contrectanda exhibuerit Obſtetrici, magnæ alias famæ ac fidei. Subridebam utriusque ſimplicitatem egregiam, quam arguere vel ſola auctoritas Matronæ, fabulam hanc quaſi in aurem mihi loquentis, diſſuadebat, quin potius ſubderem, paradoxum ſingulare eſſe, ſexum fœtus, utero adhuc incluſi, adeo diſtincte diſcernere. Mox miſſis his nugis, quoniam res parturientis in ancipiti videbantur, aliquoties, an viveret adhuc fœtus? rogitanti reſpondebat Obſtetrix, utique: naſcitur nihilominus poſt bihorium puella, puella mortua, puella valde putrilaginoſa, quamque ante aliquot jam dies mortem obiiſſe autopſia aliæque innuebant circumſtantiæ. Ubi E. fœtus vivus adeo enormiter ſe jactitans? ubi puer mentulatus? in fracido hujus anus cerebro.

Similes ruditatis harum fœminarum plures, easque monſtroſas ſatis, etiam in ejuſmodi caſibus, quos mera avtopſia decernere poterat, ubi nihilominus imperite ac falſo omnimode referebant, editos partus, recenſere facillimum mihi foret, niſi emendationem potius, quam turpitudinis earum declarationem, intenderem: Et, quamvis forte,

forte, vel per cœcam fortunam, vel experientiam demum multifariam atque pronam, harum anicularum una præ altera in obſtetricando plus dexteritatis ſeu encheiriſeos ſibi compararit, minime tamen in negotiis Medico-Forenſibus decidendis ideo aptæ cenſeri ac proclamari poterunt, utpote quam Medicinæ partem nec a primo limine ſalutarunt, nec ob rerum anatomico-phyſiologicarum ignorantiam, ſalutare valebant.

Obſtetrices ad deponendum in foro omnino ineptæ.

Neque enim iis favet vulgi hypotheſis, quod nihilominus muliebria quotidie tractent: tractant gravidarum & parturientium tantum, & quidem negligenter ſatis, nec ideo in tot cauſis arduis admittendæ. Qua ratione ſiquidem fatuæ ejuſmodi Majæ de Virginitate judicabunt, nunquam per anatomen virginitatis notas edoctæ? quo fundamento teſtabuntur de eo, quod ignorant? nonne defloratam æque virginem renunciabunt ac virginem corruptam, illud in præjudicium tertiæ, hoc non ſine famæ & pudicitiæ ipſius viſitatæ enormiore violentia. Laudanda potius erit *Cujacii* prudentia, qui *lib. 17. obſ. 27.* aperte ſcribit, cognoſcere virginem, eſſe admodum difficile, aut plane impoſſibile, nec hujus rei munus de jure civili Obſtetricibus unquam datum fuiſſe: cui ſubſcribunt *Carrarius de Med. & illius offic. part. 4. num. 164.* & *Arniſæus de jure connub. l. 3. c. 26.* fruſtra Obſtetricum opem in hoc caſu poſtulari, aſſerentes, quoniam hic nihil ſit, quod inſpicere poſſint, nec ipſæ, quid inſpicere debeant, norint &c. ambigentibus inſimul *ſanctis Canonibus*, qui inſpectionem Obſtetricum in virginitate integra & violata diſcernenda quidem ratam habent, in hæc tamen etiam erumpunt verba: *ſæpe fallitur oculus & manus obſtetricum*, quare, non obſtante prima Matronarum inſpectione alteram quoque indulgent. Et, ſi non cuilibet tonſori ac balneatori fides adhibetur in rebus ejuſmodi, quas ſine ſtructuræ corporis humani ſcientia definire haud datur, ſed his demum, qui in Anatome verſatiſſimi: vix apparet, cur idiotis his aniculis plus fidei atque auctoritatis præ illis in ardua hac cauſa concedamus, quibus ignorantia atque ruditate pares ac majores. Quippe ſicut Chirurgorum ac Medicorum depoſitioni minime creditur, niſi aſſerti ſui rationem reddant, aut reddere valeant: ita nec harum dicta fidem ullam merebuntur, ſi eorum rationem addere, vel, cur ita ſentiant, declarare nequeant,

V. g. de virginitate.

ratione ac doctrina omni deſtitutæ. Nec, ex indulgentia quorundam Doctorum ſatis Eximiorum, pro genuina & adæquata ratione habendum, ſi deponentes Obſtetrices de integritate puellæ v. g. referant, *Scimus, quia vidimus & inſpeximus illam*, ſed inſpectionis factæ hincque illatæ renunciationis argumenta neceſſe eſt, ut ſuperaddant illæ; perinde ac Medico lethalitatem aut non lethalitatem vulneris aſſerenti haud ſtatur, niſi ſigna ſeu cauſas, propter quas aliter fieri non poterat, ſubnectat, aut adjicere norit: qualia tamen, ſi ab iis adferantur, ſatis impertinentia & ἄλογα experimur quotidie.

Et ne, quæ nunc diſſero, gratis dixiſſe aut finxiſſe videar, exemplis, quam notavi Obſtetricum imperitiam in deponendo de virginitate integra ac corrupta, confirmare contendam. Taceam autem illius erroris craſſiſſimi, cujus *Auguſtinus de Civitate Dei cap. 18.* meminit, quo Obſtetrix virginis cujusdam integritatem manu explorans, eam, ſive malevolentia, ſive inſcitia, ſive caſu, perdiderat, cum ſcopo præſenti propius accedat, quem *Bajardus in notis ad Clarum prax. crimin. quæſt. 4. n. 7.* de puella Spoletana refert, caſus, quam Obſtetrices, quibus hæc tradita, poſt inſpectionem cum juramento, Virginem adhuc teſtabantur, paulo poſt gravidam repertam: cum autem falſæ hujus depoſitionis accuſarentur, hoc inprimis defenſionis allegabant, quod judicium tale per ſe propemodum ſit fallax. Ejusdem generis deprehenditur earundem Spoletanarum Obſtetricum teſtificandi ratio de puella decem annos nata, quæ deflorationis ſuæ deferebat Parentem, hic negabat: dum viſis & contrectatis ejus muliebribus deflorationem aſſerebant illæ, quam Medici, non ſine ratione, diffitebantur, annotante *Alſario a Cruce quæſit. per epiſt. l. 4.* Cui addo *H. Augenium l. a. c. 5.* ſcribentem: *Tantum poſſunt hæ fraudes, ut viderim ſex probatæ famæ obſtetrices, mulierem quandam judicaſſe intactam virginem, quæ ſeptem ante menſibus peperit.* Item, dum, recitante *Zacchia quæſt. med. legal. conſil. 41.* ad virginem inſpiciendam trium vocatarum obſtetricum duæ referebant, eam eſſe violatam, tertia inviolatam aſſerebat: priores duæ pronunciatum ſuum fundabant in disgregatione pellicularum uteri, viis patentioribus, colore genitalium mutato aliisque levioribus indiciis; poſterior neque ex his, neque ex aliis quicquam deprehendi, ajebat, quod vir-

Quod exemplis probatur.

virginem vitiatam oſtenderet, ſed contrarium potius ex tenuitate Nympharum, uteri ſiccitate, ex corporis expirante odore & voce nullo modo mutato, &c. Donec propter hanc Obſtetricum diſcordiam Judex Medici ſententiam expoſceret, quæ poſterioris Renunciationem comprobabat.

Pari fide digna eſt illarum Depoſitio de impraegnatione facta ſeu geſtatione, non tantum, quod in genere difficile ſatis ſit, diſcernere gravidam a vacua, & ipſe *Hippocrates* de quibusdam fœminis, v. g. Temenes ſorore & de Tecomei, annonæ Præfecti, filia, utrum prægnantes eſſent, nec ne, ſe hæſitaſſe, perhibet, ſicut *Avenzoar* quoque uxorem propriam vere imprægnatam non gravidam ſe credidiſſe, hinc potentius catharcticum eidem intempeſtive propinaſſe, fatetur: ſed propter imperitiam potiſſimum craſſam valde, Vetulis his plus quam ſolennem. Qualem teſtatur *Bernh. Zieriz in not. ad Conſtit. Criminal. c. 26.* in quatuor aliquando Obſtetricibus, quandam haud gravidam jurato coram Magiſtratu teſtantibus, quæ nihilominus poſtea prægnans deprehendebatur. Similem ſimulque fatum crudele experiebatur fœmina illa Lutetiæ Pariſiorum, ob furta ſuſpenſa, quæ, quamvis ad extremum usque ſpiritum ſe gravidam eſſe motumque fœtus perſentiſcere aſſeveraret, vacua tamen, nec fœta, ab Obſtetricibus & Chirurgis, ad viſitationem convocatis, ſatis imprudenter judicabatur, donec ejus Cadaver, uſui anatomico conceſſum, & huic incluſus fœtus ſeptimeſtris circiter, ipſi, quamvis ſerius juſto, cauſam diceret, referente *Riolano anthropogr. l. 6. c. 1.*

It. de uteri geſtitatione.

An de Impotentia coëundi muliebri adeo fideliter teſtari queant eædem Obſtetrices, prout quidem eas in diverſis hujus generis occaſionibus egiſſe, harumque aſſertum ſententia divortii Conſiſtoriorum confirmatum fuiſſe, hinc inde penes Legum Commentatores legere licet, v. g. *Carpzov. Jurisprud. Conſiſtor. lib. 2. defin. 201.* & *Simon. de impotent. conjugal. cap. 7. th. 1.* vel ideo dubito, quod illæ arctitudinis fœmineæ, quæ cum prolapſu uteri enormiore frequentiſſima illius impotentiæ cauſa, differentias & gradus non adeo accurate dignoſcant, ſeu dignoſcere queant. In ſpecie, ſi pelliculam, vaginæ p. n. prætenſam, pro naturali ſeu hymene, ex hypotheſi communi habeant; qualem errorem cum aliis Proſectoribus magnæ peritiæ

Ac de impotentia admittendi coitum.

Paræus

Paræus lib. 23. cap. 42. & de Renunciat. annotavit: vel ſi per arctitudinem quamvis, etiam a mentulato ſuperabilem, fœminam coire, ac concipere non poſſe, aſſerant. Qualis fallaciæ exemplum *Corp. Canon. l. 4. c. 6. X. de frigid. & maleficiat. & impot. coëundi* narratur, nimirum quod fœmina quædam, quæ viro cuidam matrimonialiter nupſerat, ab hoc intra multos annos cognoſci non potuerit, hinc inſpectioni Matronarum honeſtarum ac prudentum fuerit commiſſa, quæ eam ad viriles amplexus inidoneam judicabant, ad quam relationem quoque divortium inter conjuges hos ab Epiſcopo celebrabatur: quibus non obſtantibus eadem mulier alium poſtmodum invenerit virum, qui ſeras has reſerabat, & cui præternubebat. Cui ſimile referunt Acta Conſiſtorii noſtri Eccleſiaſtici, Virginem, Margaretham Brinrothin, quam prior ejus maritus inire non poterat, ideo & ad requiſitionem nominati Fori ab Obſtetrice per inſtrumentum certum ejus canalis fœmineus exploratus, illaque ad conjugium inhabilis pronunciata, fuerat, hinc a Magiſtratu matrimonium reſciſſum: ab alio nihilominus juvene prompte ſubactam & imprægnatam fuiſſe.

It. an aliqua pepererit?

Temeritatis, an ignorantiæ, prolem dicere debeam teſtimonium alicujus noſtrarum Obſtetricum, de partu olim facto cujusdam Sabinæ Lindneriæ Menſe Martii 1684. deponentis, neſcio. Finxerat nimirum hæc, furti accuſata & ad Polletra damnata, (quem in finem ſeu ſub qua intentione, ex Actis adeo exacte vix colligi valet) ſe ex ſcortatione conceptum fœtum ante annum, ni fallor, peperiſſe atque enecaſſe: cum vero, quia cadaver nati, ſeu corpus delicti, illis in locis, quæ indicaverat, non reperiebatur, aniculæ tali a Prætore committeretur, hæc illi annuens, eam olim imprægnatam peperiſſe, minus caute & abſurdiſſime deponebat, ſuæ Renunciationis has adjiciens rationes, totidem ineptias, quot verba. Nimirum quod Lindneriæ inteſtinum rectum ad pugnam excipiendam dilatatum, abdomen flaccidum ac rugoſum, oſſium pubis commiſſuram cartilagineam divulſam & hiſcentem adhuc, deprehenderit. Qualis præcipitantiæ atque amentiæ a Medico, cujus cenſuræ illius Relatio a Prætore poſtmodum prudenter ſubjiciebatur, convictum hoc campi pecus nihil oggrunnire audebat, niſi hoc: quia Prætor Lindneriam

pepe-

peperiſſe aſſeruiſſet, neque hæc idem diffeſſa fuiſſet, ipſammet quoque facinus hoc perpetratum ſibi perſuaſiſſe.

Uteri tunicas ſeu compagem cum fœtus grandeſcentia craſſeſcere, aut certe parum attenuari, ignorat hoc rude hominum genus, docere nihilominus idem poterant ſectiones puerperarũ, cum fœtu, aut paulo poſt hujus enixum extinctarum: unde aliquando eveniſſe recordor, ut ex mole hac uteri, a partu mox haud ſubſidente & adhuc compactiore, fœtum inſuper alium & ſecundum in ventre reſtitare, puerperæ ac adſtantibus perſuaſerit, cunctis vero illuſerit, anus delira. In ſexu diſcernendo illas aliquando hallucinari, paradoxa forſan, ſi non injuſta, videbitur inculpatio, quam nihilominus comprobabo recente ac evidente ſatis exemplo: unde quid ſolidi in dijudicandis Androgynis ab illis expectari poſſit, prompte innoteſcet. Octennium, ni fallor, eſt elapſum, cum præſens mihi ſiſteretur perſona viginti trium annorum, nata Oſchazii Miſnenſium, patre Chriſtophoro Bertram/ in & a nativitate ſua fœminei ſexus credita ac pronunciata, hinc in ſacro Baptiſmo Magdalenæ nomine ſignata, quæ nunc vero Chriſtophorum ſe vocat & vocari mavult, veſtitu etiam virili incedit, eam, quod mixti ſexus videretur, ut inſpicerem. Quod dum faciebam, præſentibus aliis, nullam plane in hujus hominis genitalibus ullove ejus membro fœminæ deprehendi notam, contra virilem conformationem quam conſpicuam; ſub imperfectione nihilominus ejuſmodi, qua ſe virum in matrimonio præſtare poſſe, merito ambigebam. Viden, quantum valeant Vetularum harum in hoc deponendi caſu oculi, quantum cerebrum, quarum nihilominus Relationi ſteterint maſculi illius mutili Parentes, Baptiſta & tantum non omnes huc usque, qui eum noverant. Adeo ut *Carpzovius jurisprud. Conſiſtor. l. 2. c. 1. defin. 16. num. 14.* Medicum ac Chirurgum ad Hermaphroditæ inſpectionem denominaverit; neſcio proin, cur demum his Obſtetricem aſſociaverit.

Quemadmodum pariter in nati ſexu dubio diſcernendo.

Quodſi tamen conſuetudini pariter potius, quam rationibus & hiſtoriis productis locum concedere ac fœminarum ejuſmodi laceram auctoritatem conſervare malit Judex, in rebus alicujus momenti & ubi plus perſpicacitatis atque peritiæ opus, ſine Medicis ſolæ nec ad inſpectionem, nec ad renunciationem, admittantur, iisve nunquam,

Deponant E. obſtetrices nunquam ſine Medico.

niſi Medici cujusdam periti aut integri Collegii aſſenſus acceſſerit, fides habeatur, monentibus *Corp. Canon. lib. 4.* & ex Legum Doctoribus *Aretino Conſil. 142. dub. 4.* ac *Paciano de prob. lib. 2. cap. 2. num. 16. 32. 33. atque 34.* Quorum *Prior* Dorotheam, Filiam Ludovici Marchionis Mantuæ, Galetino, Ducis Mediolanenſis Filio, deſponſatam, non ab Obſtetricibus ſolis, ſed Medicis inſimul, nudam inſpectam fuiſſe, perhibet, quo an gibboſa, aut quavis ratione deformis eſſet, dignoſceretur: *Alter* matrimonium Filiæ Ducis Parmæ, quo Principem Mantuanum ſibi jungere decreverat, propter illius genitalium arctitudinem, quæ judicio Medicorum (non Obſtetricum) haud niſi inciſione tolli poterat, diſſolutum narrat.

Si medicus & obſtetrices diſſentiant, medico credendum.

Imo, ſi Medici ac Obſtetrices in deponendo diſſentiant, v.g. in arctitudine fœminea p.n. aut Virginitate aſſerenda vel neganda, ſine dubio & ex eorundem Jurisprudentum communi ſententia Medicis potius, utpote peritioribus, quam mulierculis his, ſtandum erit. Cujus aſſerti præjudicium *Alſarius a Cruce*, in caſu ſuperius enarrato tradit: in quo deflorationem negantibus Medicis ac Chirurgis, præ affirmantibus Obſtetricibus, deferebatur fides, ſecundum Autorem ideo, quod incerta & fallacia ſint ſigna Virginitatis floridæ non minus ac defloratæ. Item *Zacchias Conſil. 41.* allegato, diſſentientibus tribus Obſtetricibus circa integritatem virginis cujusdam, Medicorum deciſo, intemeratam illam declarente, Judicem ſtetiſſe refert. Decernebatur ſimilis caſus eadem ratione olim a Scabinis Jenenſibus, perhibente *Richtero vol. 2. Conſil. 65. num. 7. & 42.* ſequentibus verbis: Es iſt aber dieſem der Bade-Mutter Atteſtato zu gegen des Medici Bedencken/ der ausdrücklich ſetzet/ daß die Membra genitalia mulierum poſt arbortum, oder auch partum legitimum ſo genau und hart wieder zuſammen gehen/ als ſie vor der Zeit geweſen/ dahero die Bade-Mütter nichts gewiſſes ſagen können: Welchem berühmten Medico, denn auch andere Medici, ja wohl gantze Collegia, beygeſtimmet hätten/ wenn ſie wären conſuliret worden/ ꝛc. Bey ſo vielen concurritenden Umſtänden/ tanquam peritiori in ſua arte, mehr Glauben beyzumeſſen/ als denen Bade-Müttern. Demum etiam in cauſa Lindneriæ, quam partum finxiſſe proxime relatum, plus fidei adhibebatur Medico, Obſtetricis futili renunciationi contradicenti, a Scabinatu ac Prætore requirentibus.

Quod

Quod de ſelectu obſtetricum in deponendo ſuper cauſas forenſes communiter monent, ſcilicet ut Renunciationibus ejuſmodi præficiantur earum honeſtæ, providæ & expertæ magis, i. e. juxta *Ulpian. ff. 25. tit. 4. de ventre inſpic.* probatæ artis ac fidei, in ſpecie in opere nuptiali & ubi de potentia ac impotentia muliebri deponere debent, juxta *Baldum in cap. propoſuiſti num. 4. verſu & licet, de probat.* cavendo ſimul ne ſint nimis juvenes, propter experientiæ in his defectum, nec adeo decrepitæ, ob ſenſoriorum habitudinem vitioſam, ſecundum *Hoſtienſ. cap. fraternit. ante n. 1. de frigid. & malefic:* huic prompte ſuffragor, in genere tamen & quo ad quævis ipſis demandata negotia expediunda ſufficiant, requiritur, ut rite examinentur, approbentur & tunc demum a Magiſtratu confirmentur, nunquam vero ordo hic in iis conſtituendis invertatur. Per examen ſiquidem, an huic officio idoneæ ſint, nec ne, comparet, adeo ut *Joh. Gallego de la Serna* de Obſtetricum ſuarum ignorantia valde conqueſtus, quo Senatus Regius eas examinari juberet, diſideret, deſiderent ac jubeant hoc præter Medicos Leges publicæ, optarem & ego: i. e. ne levioris & tantum non nullius peritiæ fœminis licentiam obſtetricandi Magiſtratus mox indulgeret, ita etiam ut, quæ Obſtetrici famoſæ a miniſteriis ſaltim domeſticis olim aliquandiu fuerint, den Kreiß-Stuhl v. g. nachgetragen/ affectu interdum cœco, ad munus hoc arduum habiles præcipitanter declarentur, aut, quæ in examine præter ruditatem ſummam nihil fari norint, in ſtragem tot miſerarum & miſerorum eodem dignæ pronuncientur, hac ſaltem addita gnome: Was ſie nicht kan/ wird ſie wohl lernen/ ſcilicet!

Obſtetrices peritiores ac ſeniores præferantur cæteris.

Sint E. examinatæ atque approbatæ.

Qualis peritiæ earum disquiſitio minime fiat a fœminis tantum, cujuscunque auctoritatis, hinc nec per obſervantiam noſtratem, perhibente *B. Welſchio*, ab Uxoribus Conſulum atque Ædilium, ridentibus hanc conſuetudinem Exteris non tantum, ſed propinquioribus etiam Vicinis: verum a Medicis potius & Obſtetricibus ſenioribus, ſeu majoris experientiæ, quia peritis tantum in arte ſtandum; quamvis teſtes ſeu aſſidentes ejuſmodi examinum, ſi mos juſſerit, eas admittere non adeo indecorum videatur. Puncta hujuſmodi examinis disquirenda exponere, non eſt hujus loci, cum cuivis Medicorum, mediocris etiam hoc in negotio peritiæ, talia

Examinentur a Medicis & Obſtetricibus ſenioribus.

Examinis hujus materia.

 ſuppe-

ſuppetere, haud dubitem, ſc. an aliis Obſtetricibus in functione hac miniſtrarit? an & quos Scriptores legerit? quid de genitalium muliebrium conformatione ipſi innoteſcat? quæ impragnationis, quæ imminentis partus, ſigna? quando & quomodo parturientis uteri orificium dilatandum, quomodo, qui moratur, partus juvandus? ſitus & figura ejus mala talis vel talis qua ratione emendanda? & quali encheiriſi his vel illis difficultatibus obviam eundum? &c. minime autem, ut communiter fieri deprehendo, rogentur de remediis ſeu medicamentis variis ſymptomatis appropriatis, aut certe non, niſi quantum abſente Medico illis uti conceditur: ne forſan talia ſine hujus præſcitu & directorio per temeritatem & arrogantiam Majis his ſolennem ſuis intempeſtive propinent, ſibique hoc impune licere, ſibi perſuadeant; utpote in quo eas culpoſe adminimum peccare, omnes Legum Doctores aſſerunt, notante *Zacchia quæſt. l. 6. tit. 1. quæſt. 12. num. 11. ac 12. & Conſil. 24.*

Non interrogentur de remediis morborum.

Communiter cum *Platone* in Thæteto neceſſarium maxime bonæ Obſtetricis requiſitum volunt, eam olim utero geſtaſſe & peperiſſe; in officii autem excercitio viduam & effœtam exiſtere; cui opinioni favere videntur multi Medicorum, v. g. *H. Augenius l. a. cap. 6. Welſchius* modo allegatus *in not. ad Scipion. Mercur. part. 1. cap. 18.* & *Bartholinus de inſol. part. viis c. 18.* Quod juxta *Platonem humana natura imbecillior ſit ad artes earum rerum, quas nunquam experta;* vel ut Obſtetrici ipſi conſtet, quantum conferat, in partu rite juvari ſeu tractari: quemadmodum effœtam ſimul eligi voluit idem, quod *Diana, tori exors ac ſterilis partuum tutelam* ſeu curam *in ſe ſuſceperit.*

Non adeo neceſſarium, obſtetrices olim utero geſtaſſe.

Quod poſterius nihilominus argumentum priori aſſerto non incongrue opponitur & hoc modo invertitur: Sc. ſi Diana ſterilis parturientium curam gerere valet, cur non aliis fœminis, quæ nunquam geſtarunt atque enixæ ſunt, artis obſtetricandi peritas evadere, & quæ hujus ſunt, facere dabitur. Superius jamdum ſc. *de Officio Medici Clinici* quam abſurdum ſit illud quorundam effatum, quaſi Medicus illis aliorum affectibus, quos ipſemet & in corpore proprio aliquando ſuſtinuit, felicius mederi queat, quam aliis, diſſerui: quatenus exin ſequeretur, Medicum exiſtere ac dici peritum

non poſſe, niſi qui variorum pluriumque ægritudinum acerbitatem deguſtarit, Lue Gallica, Gangræna, Phthiſi, Hydrope, Calculo, &c. aliquando laboraverit; nec dexteritatem in Chirurgo deprædicari, qui non vulnera, fracturas, hernias, &c. paſſus unquam: dirum ſane hoc foret fatum durave Medici tyronis conditio. Ut, ejuſmodi Scriptores Medicos præjudicium hoc non deponere, mirer, qui ægrorum nihilominus ac ægritudinum phœnomena horumque motus adeo accurate recenſere norunt, ac novit eorum mens corpori ignota. Imo cum Chirurgis, difficulter parientibus ut opem ferant, advocantur non raro Medici, hisque opitulantur feliciſſime, quos vel per ſexus rationem, nec geſtare, nec parere in propatulo eſt: ut taceam, Obſtetrices in caſibus dubiis conſilia illorum petere teneri, hoc eſt, implorent, quæ geſtarunt, illos, qui geſtationem & partum neſciunt, Diſerte explicuit ac deſtruxit hanc fabulam, non exemplo tantum proprio, ſed ratione quoque valida, modo allegata Siegmundin/ in præfatione ſui libri, der Chur-Brandenburgiſchen Hof-Wehe-Mutter/ nimirum, quod fœmina, faciles & naturales magis experta partus, de difficilioribus ac præternaturalibus minime judicare, nec horum cauſas ac ſymptomata per individualem corporis ſenſum ſibi concipere queat: dyſtociis autem lacerata nihil omnimode ex ſuis doloribus ac tormentis ſapiat, utpote quæ ſæpe adeo exquiſita, ut ſe ipſas ſub his ignorent miſeræ ejuſmodi parturientes, ſie wiſſen nicht/ wie ihnen geſchehen/ multo minus hinc erudiantur ſeu proficiant, quo aliis conſilio auxiliove eſſe valeant, niſi aliunde hoc didicerint. Sicut nec ejusdem *Platonis* rigori, quo viduis & ad ſobolis procreationem nunc ineptis tantum munus obſtetricandi conceſſit, multum favet, quaſi *Diana his idem imperarit, ſimilitudinem ſui honorans*, cum cuncta hæc meras ſpirent gentilium fabulas: potior forſan, ſi aliqua, ratio hujus aſſerti videbitur hæc, quod geſtantes hincque puerperæ ipſæmet miniſterium ſuum obſtetricandi aliis fœminis adeo prompte & pro rei exigentia commodare nequeant; maritatas autem ſeu in conjugio viventes Obſtetrices quis ignorat?

Nec, ut ipſæmet amplius haud gerant.

Potius, quo Reipublicæ de peritis ejuſmodi fœminis felicius proſpiciatur, commendarem, quam magis neceſſariam duco, do-

Potius cogitandum foret de

earum doctrina. ctrinam, ſeu ut Magiſtratus curet, qua ratione commode erudiantur, formentur ſeu præparentur ad hanc functionem, quo poſt jacta demum artis ſuæ fundamenta Obſtetrices eligi ac deſignari poſſint. Deteſtari ſane ſubit pernicioſiſſimum illum morem, quo, cum nulli artem nec opificium minoris momenti, ſine prævia & probata præceptorum ſeu principiorum inculcatione & apprehenſione adminiſtrari liceat, arduam nihilominus hanc, & qua de corio humano luditur, in Civitate, quam bene conſtitutam putamus, mere empiricam, ſcientes, volentes, cupimus. Id eſt ſecundum affectum & commendationem unius alteriusve fœminæ, alicujus forſan auctoritatis, eligimus, electam demum aliquali tentamini ſubmittimus, ſubjecta nullius doctrinæ, nullius peritiæ, horumque ignorantiæ, nunquam emendabili, totidem miſeras ac prolem inſontem exponimus: ſaltem quia empeiriam hanc, cum applauſu plebeculæ aliquandiu exercuerunt, Commendatricibus laute abblandiri norunt, ſpemque vanam artis, quam ignorant, addiſcendæ faciunt. Tentare jubent omnes harum vetularum ſcientiam, aſt tentare velle ſcientiam, quæ nulla, quamque illas ſibi nunquam comparaſſe novimus, nec ad quam comparandam ab ullo unquam hominum his ſubminiſtrata occaſio, paradoxum valde, ſi non abſurdum, eſt: cum ipſimet Medici ac Chirurgi, qui obſtetricandi peritia præ aliis pollent, doctrinam præter experientiam coluerint & adhuc colant. Unde denuo eluceſcit, quid ab ignaris his in cœteris quoque negotiis, ſc. medico-forenſibus ſit expectandum ſanioris judicii.

Alias fœminas in teſtificando ipſis combinari haud neceſſarium. Quem in finem vero in iisdem cauſis aliæ Matronæ honeſtæ ac ſagaciores his aſſociari debeant, non video, jubentibus quamvis hoc Conſtitutionibus publicis: ignorantiam ſane illarum haud levantes, cum Obſtetrices his ſine dubio, quod artem, quam exercent, profiteantur, peritiores exiſtant, hinc potior iis, præ cœteris teſtibus, adhibenda ſit fides. Potiſſimum dum juratæ & publica auctoritate præ illis ad munus hoc confirmatæ ſint, aut jurejurando teſtimonium ſuum firmare teneantur, ſi forſan per illud, quod tempore conſtitutionis ſuæ præſtiterunt, ad Renunciationes ejuſmodi forenſes non obligatæ fuerint: quale juramentum & obligationem Matronæ honoratiores & extra functionem hanc viventes ſine dubio detre-

detrectabunt, hinc ad teſtificandum inſufficientes pronunciari debent.

Quamvis penes parturientes ac puerperas Matronarum prudentum conſilia haud negligenda malim, modo hæ peritiam ſuam non tam venditent, quam comprobent. Quemadmodum nec incongruum videtur in dyſtociis periculoſioribus præter Obſtetricem ordinariam, quæ manualem operam præſtat, alias ſeniores, quæ judicio pollent ac conſilio illam juvent, ſicque ejus alacritatem ac dexteritatem ſua inſtructione moderentur, accerſere. Licet, antequam hoc fiat, attendi mereatur *Bourgoiſe* dum *part. 1. cap. 2.* duarum obſtetricum penes parturientem combinationem diſſuadet his verbis: Denn wenn ihrer zwo alſo zuſammen kommen / wird das erſte ſeyn / damit ſie einander grüſſen/ daß ſie einander bey den Mäulern nehmen/ unterdeſſen der armen Kindbetterin vergeſſen/ wie auch ihres Amtes und Gebühr. Hier will ich nun einen ieden urtheilen laſſen / wie ein gut Gnügen die Umſtehende daran haben werden / wenn ſie ſehen / daß die Wohlfarth und Leben ihrer lieben und werthen Freundin gerathen iſt in die Hände zweyer Weiber / da je eine über die andere mit Zorn entrüſtet iſt. Quamvis penes parturientes.

Caput IV.

De *Renunciationum Inſtrumentis.*

Hactenus & in præcedentibus de Perſonis, quas, ut in cauſis Medico-Forenſibus deponant, Judex poſtulat, harumque conditionibus ſeu requiſitis actum fuit: ponderanda nunc veniunt circa hoc argumenti genus inſtrumenta, quorum opera Relationes legales eædem præſtant. Inſtrumenta ad deponendum neceſſaria.

Ratione quorum ex quotidiana obſervatione ſuppono, Cauſas illas eſſe vel mere ſenſuales vel conjecturæ, vel ſenſus & conjecturæ ſimul. Mere ſenſuales appello, quæ a Senſoriis externis immediate & infallibiliter ſeu omnimode percipiuntur, v. g. contuſio, ſugillatio, vulnus, fractura, horumque locus ſeu ſubjectum, figura, magnitudo, Cauſæ medico-forenſes ſunt vel ſenſuales,

tudo, mutilatio, conformatio hermaphroditica, partium genitalium vitia, &c. Conjecturales vero de animationis fœtus tempore & omnes quæſtiones generales, v. g. an Senex octuagenarius, quoad ſenſus internos atque externos torpidus & ad motus plerosque impotens fere ad prolem generandam habilis ſeu idoneus exiſtat? num fluxus menſtruorum immoderatior ſeu hæmorrhagia uteri, fluorve ullus conceptionem turbet ac matrimonium ſolvat? i. e. quæ ſola ratione ac in theſi dirimuntur: Senſus denique ac conjecturæ ſimul, ubi ſenſationi ac ſenſatis mentis quidam diſcurſus ſupervenit, quo demum ex illis, ceu Datis, quæſtio a Requirente propoſita aut affirmatur, aut negatur, quod Judicium communiter audit, v. g. ubi de partu ſeptimeſtri, ſuperfœtatione, virginitate, prægnantia, partu, fœtu ſuppoſititio, vulneris lethalitate in individuo certo ſeu in hypotheſi, item de futuris, v. g. vulneris eventu, deponitur, & cœteri caſuum medico-forenſium plerique. Bina proin inſtrumenta ſunt, quibus in deponendo utimur, Senſus nempe ac Ratio: ita tamen ut modo ſeparatim agant, modo concurrant, eadem.

vel conjecturales, vel utriusque generis ſimul. Inſtrumenta renuciationum ſunt ſenſus & ratio.

Ratione equidem ſolitaria an unquam de objecto quodam deponere liceat, hinc ambiguum fit, quod in concluſionibus medicis eliciendis Rationis ſemper atque Experientiæ prærequiratur harmonia ſeu conſpiratio, neque ulla quæſtionum ejuſmodi, quas conjecturales dixi, ſine prævia Experientia, ſi non per modum inductionis, certe analogiſmi, decidi ſeu ſolvi poſſit. Quatenus Ratio ſine Experientia fallax cognoſcendi inſtrumentum deprehenditur, & fœtus v. g. quadrimeſtres ideo animati dicuntur, quod omnes tunc temporis in utero ſenſibiliter moveantur; hæmorrhagia uteri enormior conceptionem & geſtationem lædere creditur, quod hoc in Flavia, Sempronia, Lucilla & aliis multis ſubjectis egerit; & Octogenarius ad generandum minus idoneus cenſetur, non tantum ratione ſtuporis ſenſuum & motus impotentiæ, ſed per experientiam, qua, ſi aliquando, certe rariſſime, ejuſmodi Silicernium generaſſe, patet. Verum eo ipſo, dum differentia modorum deponendi experientiam individualem, ſeu experimentum in ſubjecto, de quo teſtificari jubetur Medicus, non alienam, non univerſalem, reſpicit, & non, niſi per modum argumenti, caſui litigioſo applicatur, ſeu medium de hoc conclu-

An ſine omni ſenſuali experientia aliquando deponere liceat?

concludendi præſtat experientia in aliis facta: talem renunciationem utique conjecturalem, minime ſenſualem, enunciare quadrabit, dum exin, quod diverſos octogenarios deſcriptæ habitudinis haud generaſſe novimus, octogenarios tales non, niſi rariſſime forſan, generare concludimus.

Senſualis quippe depoſitionis formalitatem totam exhaurit ſenſatio, adeoque non, niſi ſenſibus orbatum, in hac ſenſuum uſuram negaturum confido, utpote cujus formula circiter hæc eſt: Vidi aut deprehendi in fœtu ex Tullia nato labium leporinum, in Cajo vulnus capitis, molliora hujus integumenta penetrans, longitudine unciam æquans, cum inſigni hæmorrhagia, vidi ac tetigi pelliculam tenſam in vagina uteri Claudiæ, audivi ſtertorem Sempronii, olfeci halitus fœtentes oris Mœvii &c. quod forſan Relatio & Teſtimonium in ſenſu ſtrictiore vocari poſſet. Ubi vero res, de qua quæritur, judicii potius, ac conjecturalis inſimul exiſtit, ſenſatione prævia ideo opus eſt, quod ipſi ac phœnomenis ſenſibilibus conjectura ſeu reſponſum innitatur, aut concludendi medium hinc depromat renuncians, quam aut Judici utplurimum ſimul exponere tenetur, aut certe in ſententia formanda ſeu ferenda mente concipit, i. e. rationem decidendi ac dubitandi petit ac reddit ab illo corporis ſenſu, quo rem, quæ in controverſiam vocatur, apprehendit ac metitur; ita ut nec de credulitate, notante *Baldo*, admittatur teſtis, niſi ſenſu hæc fuerit declarata ac ratione firmata: quod forſan magis proprie renunciare ſeu judicare dicetur.

Quid ſenſualis depoſitio?

Dubitare quidem denuo liceret, an in enarratis cauſis, quas per ſenſus & conjecturam ſimul dirimi dictum, a ſenſu ſemper ratio depromatur? cum non quævis earum in ſenſus incurrat, & Medici horumque Collegia non raro poſtulantur ad deponendum, ſeu ferendam ſententiam, de rebus nunquam a ſe viſis ſeu perſpectis, contrectatis &c. adeoque a ſenſoriis ſuis quam remotiſſimis. Ita v. g. virginitatem nec videt, nec tangit Obſtetrix vel Medicus, nec ſenſu percipit hic ac Chirurgus amentiam inſanientis, perforatos in vivo adhuc vulnerato pulmones, fragmentum calvariæ membranas lacerans, nec lethalitatem vulneris ventriculi, deponunt nihilominus ſuper hæc & ſimilia objecta, ſenſoriis ſuis externis minus adæquata. Pariter

An ratio in deponendo ſenſuali experientiæ ſemper innitatur?

 riter

riter judicant Collegia Peritiorum percuſſionem capitis, ventriculi &c. lethalem aut non lethalem, ex Actis, a Prætore tranſmiſſis, plagas has quamvis nunquam conſpexerint &c. quod tamen eorum pronunciatum penes illum tantæ auctoritatis eſt, ut ſecundum illud vulneranti pœnam aut ordinariam, aut arbitrariam ſeu mitiorem decernat idem.

Affirmatur.

Sed difficultati huic prompte ſatisfiet, ſi priori caſui ex Philoſophia naturali regeratur, res quidem non omnes immediate ac per ſe in ſenſus incurrere, v. g. hominem ſecundum eſſentiam ſuam, & ſic nec virginitatem, nec pulmonum plagam, nec fragmentum Calvariæ reconditum, vulneris ventriculi lethalitatem, nec inſaniam: quatenus virginitas nihil, niſi coitus denegata experientia, ſeu habitudo genitalium muliebrium naturalis, qua hunc puella nondum experta eſt; qualis utique nec cerni, nec contrectari, valet. Pulmones transfoſſos, antequam cadaver ſecandi copia fiat, pariter intueri non datur, nec fragmentum cranii ad interiora demiſſum, ac lethalitas vulneris ex hujus demum ſubjecto ſeu parte læſa, longitudine, profunditate, ſimilibusque circumſtantiis, ſectione facta, elicitur; multo minus dementiam, ut mentis vel phantaſiæ quædam depravatio eſt, ſenſoriis noſtris uſurpare conceditur. Senſu tamen quemadmodum dignoſcere dicimur hominem, ſi hujus adjuncta, v. g. proceritas, habitus, figura & functiones, ſc. loquela, organa noſtra incurrant: pari ratione ſub ſenſum cadit virginitas, non quidem immediate, ſed per anguſtiam & conformationem genitaliũ intemeratam, quæ ejus individuus obſervatur effectus ſeu comes; pulmonum vulnus nos ſentire ſeu percipere recte putamus, ſi ex thoracis plaga & per aſperam arteriam cum tuſſi ſanguinem ſpumoſum rejici obſervemus; fragmentum oſſis ad interiora declinare & meninges pungere deprehendimus, ſi de ſtabili & exquiſito dolore capitis percuſſus conqueratur, ſi convulſionibus agitetur &c.; lethalem vero plagam nos cernere recte opinamur, ſi circumſtantias recenſitas ſimilesque, per quas illa non mortifera pronunciari non poterat, attendamus; & fatuum denique illum nobis videri dicimus, quem incongrua loqui, corpus inepte jactitare &c. advertimus. Proin in cauſis ejuſmodi & caſibus cenſuræ noſtræ expoſitis ſeu individualibus ſenſatio ſemper præcedit Judi-

Senſatio ſemper

Judicium, & non, niſi ab illa depromptum, validum erit teſtimonium: Sive eadem objecti immediate magis, ſive hujus attributorum, cauſarum atque effectuum, tanquam indiciorum ſeu ſignorum, fuerit, monente *Paciano de Probat. lib. 1. c. 43.*

præcedit judicium medicum.

Quoad alterum vero dubii moti membrum dicendum, Actorum illorum judicialium contenta, & inprimis his inſerta Atteſtata Medica, ſeu præſentium Medicorum depoſitiones, Datorum certorum atque indubiorum ſenſatorum rationem ac vim habere, utpote a peritis aliisq; teſtibus, omni exceptione majoribus viſa, ſenſata atq; ſub juramenti fide aſſerta: ex quibus, tanquam propriis oculis obſervatis & manibus noſtris palpatis, inferimus concluſionem a Magiſtratu aliove Requirente deſideratam. Adeoque ſub conditione illa, quod vulneris v. g. circumſtantiæ aut corporis habitudo, prout quidem a Medico, Chirurgo, Obſtetrice &c. præſentibus ac teſtibus obſervatæ ac literis conſignatæ leguntur, ſe habeant, Medici, abſentes quamvis, de illius eventu ac lethalitate judicamus. Venenationem ex ſola adſtantium relatione aliquando, de ſubitaneis & acutiſſimis ſymptomatis, intumeſcentia & livore corporis, morte præcipite & eroſo in cadavere viſo ventriculo teſtantium, auguramur: & quam nunquam vidimus, ex antecedanea menſtruorum ſuppreſſione, nauſea, vomitibus, ventris intumeſcentia hujusque denuo inopina ſubſidentia, lacte in mammis, clam peperiſſe, vix ambigimus.

Sive propria, ſive aliena.

Imo ideo Collegiis quoque Medicis ſolenne eſt, ut, ſi forſan ex circumſtantiis de minus curata v. g. ejusdem vulneris inſpectione, ſuſpicio ipſis exoriatur, v. g. ſcutiformem cartilaginem in extremitate Sterni præciſam præceps inſpector ſe conſpexiſſe teſtari non erubeſcat, locum perforati ventriculi non determinet, vaſa læſa non innuat, ſimilemque in ſecando, obſervando ac enarrando errorem committat, eum hujus, ſub interlocuti ſeu interpellationis forma, admoneant, quo emendentur incongrua & principiis anatomicis minus conformia, ſuppleantur defectus (ſi modo eos adhuc ſupplere integrum fuerit) ac dilucidentur obſcuriora, Judici & inſpectioni qui præfuerant, remittant Acta, ſententiam deciſoriam ſeu poſtulatam, ad pleniorem usque informationem differentia, ab omni ſc. præcipitantia ac hypocriſi alienam.

Collegia medica, antequam decernant, inſufficientia Medicorum & Chirurgorum atteſtata non nunquam recte interpellant.

Quod exemplis probatur.

Ita v. g. dum Anno 1690. menſe Januarii de capitis cujusdam læſionis lethalitate quærebatur, in Atteſtato vero medico obſcuriore inter alia etiam hæc deſiderabantur, quod fracturæ oſſis frontis longitudo ac tendentia, ſeu, an verſus oculi orbitam, os ethmoides aut ſphœnoides deſcenderit, non determinatum fuerit, neque, an aliquid cruoris extravaſati ſub dura & pia meninge, (ut ex Regiſtratura Actuarii augurari liceret) vel ſub ipſo Cerebro, ſuper oſſa nominata, hæſerit? poſtquam ex eodem Protocollo conſtabat, cruorem a ſummitate capitis ad ejus latera ſeu tempora inclinaſſe, ac ſub cadaveris motu ex ore & naribus hujus prorupiſſe; item, Cerebri interiora quomodo ſe habuerint? judicium noſtrum ſuſpendebamus, donec menſe Maji ejusdem anni circumſtantiis his plenius explicatis per accidens tantum lethalem illam plagam decernere licuerit. Imperfectior & obſcurior longe videbatur Relatio, ejusdem anni menſe Septembris tranſmiſſa, & læſionem capitis, cervicis atque abdominis recenſens. Qua nimirum primo utriusque cerebri meningis ruptura ſatis magna, & per quam cerebrum prodierit, innuebatur, nullus tamen cruor (qui per vaſa, ſub ejuſmodi ruptura neceſſario lacerata, non effundi non poterat) annotatus, ejusve mentio facta fuerit: ut per conſequens hanc membranarum lacerationem non a percuſſione & in ſubjecto adhuc vivo, ſed in cadavere demum & ſub ejus viſitatione, factam probabile fuerit. In eodem Atteſtato deponebatur ſecundo, cervicem circa vertebram ſui tertiam fuiſſe fractam, non tamen exponebatur, an & quomodo dicta vertebra fracta, an luxata, fuerit: nec ſanguinis extravaſati circa læſionis hujus locum verbulo Relatio illa meminerat, qualem nihilominus ſub effractura ejuſmodi violentiore ex vaſis ſpinæ adjacentibus & proceſſus vertebrarum transverſales permeantibus, inevitabiliter ruptis, prodiiſſe, veroſimile ſit. Inſuper minus conſtabat, qua ratione per dislocationem aut fracturam vertebræ unius medulla ſpinalis eousque denudata fuerit, ut, antequam muſculi accumbentes cum ligamentis ac membranis obvolventibus dextre remoti, illa primo mox obtutu, inſtar funis argentei, comparuerit. Sicut denique aperto abdomine ſe multum, ſc. unciarum decem, vel duodecim, cruoris circa Lienem ac Uterum reperiſſe referebant deponentes, viſceris tamen aut vaſorum

rum læſorum nulla mentione injecta. Equidem interpellantibus nobis iidem difficultatibus his ſe extricare conabantur; ſed minus perite ac ſecundum artem: ita ut nec denuo quæſiti ſententiam certam formare aut ferre potuerimus. Paria circiter deſiderabantur in Relatione medica, 1691. menſe Julii de læſione capitis & pectoris in uno ſubjecto exhibita. In quali fragmenta Calvariæ tria cerebro inhæſiſſe innuabatur, ſine determinatione, quam profunde & quo ſitu illi immerſa fuerint, ut plus minus commode exin protrahi valuerint: quoad contuſionem pectoris nulla recenſebantur ſymptomata, quibus defunctus decubitus tempore laborarit; nec referebatur in quo thoracis latere, an in utroque, ſanguis extravaſatus viſus, nec qualia vaſa lacerata vel eroſa fuerint? &c.

Quæſtiones generaliores decidere negotium meræ rationis eſt.

Paulo aliter ſe res habet in quæſtionibus generalioribus, antequam ad individuales caſus reſtringantur ſeu his accommodentur: v. g. dum poſtulatur, an partus Septimeſtris ſit vitalis? an Vulnera Cerebri exiſtant mortifera? quando Fœtus in utero materno animetur? an Virgines ac Viduæ, i. e. ſine maris amplexu, molam concipere queant? an Gonorrhæa virulenta mares ad generandum ineptos reddat? Ubi ſane nulla individualis partus, qui pro ſeptimeſtri venditetur, præmittitur aut ſupponitur inſpectio; nec Cerebri hujus vel illius, tali vel tali modo ſauciati perluſtratio; neque de fœtus certi, ſed de omnium humanorum conceptuum, animatione, quam nec in ſingularibus ſenſu dignoſcere datur, controverſia emergit; multo minus de Tullia, Livia, ſed individuis tantum vagis aut potius de Virginibus Viduisve in genere ſermo eſt, ubi de molæ generatione disquiritur; neque de Sempronii, gonorrhæa affecti, potentia generandi dubitatur, ſed ſub generaliore conceptu problema hoc proponitur. Sc. quæſtiones ejuſmodi mere conjecturales ſunt, & quia non, niſi ſingularia, in ſenſus incurrunt, illarum, ut indefinitarum & univerſalium, circumſtantias ſenſibus metiri ac dijudicare non conceditur.

Aſt in caſibus judicialibus nunquam ſine ſen-

Qui E. Medicus ejusque ſuccenturiatorum in caſibus ſpecialioribus ſeu determinatis decidendis peritorum ac circumſpectorum nomen tueri malunt, ſenſibus ante omnia, quantum poſſibile, disquirant ſingula: cum nihil pro certo aſſerere queant, niſi quod his, ſi

 non

ſuum uſu deponendum. non a priore, certe a poſteriore, perceperint. Inter quos quidem viſum cœteros maxime antecellere, hujusque ſphæram in Cauſis Medico-Legalibus dignoſcendis latiſſimam exiſtere, prompte largior: modo mihi concedatur, nec cœterorum ſenſoriorum uſu nos in praxi hac Medico-Forenſi omnimode ſuperſedere poſſe, & per hæc pariter nonnunquam controverſias ejuſmodi decidi, quarum ſubjecta cum effectibus ſuis oculos effugiebant.

Viſus inprimis.

Prohibent interdum quædam inſpectionem. Quamvis aliquando pro viſitante circumſtantiæ loquantur, quæ eum a luſtrationis ſenſualis, aut omnimode non, aut minus legaliter & ſufficienter factæ, culpa abſolvunt, v. g. fracidum jamdum cadaver, ſive per cauſam & turgeſcentiam fluidorum ejus intrinſecam, ſive atmoſphæræ habitudinem, ſive Judicis negligentiam ac Viſitationis procraſtinationem aut aliud quid tale evadens: ad qualis eviſcerationem ſeu inſpectionem nec tenetur Medicus, nec, ſi ſub hac cuncta adeo exquiſite non attendat, hinc minus expedite & categorice deponat, imperitiæ vel levitatis accuſandus venit. Sic ante plus, quam viginti annos a Quæſtore Lüzenſi menſe Julii vocabar ad viſitationem cadaveris maſculini ex vulnere defuncti, in via publica, ſub æſtuante maxime cœlo, reperti, hincque ultra biduum ni fallor adhuc aſſervati: cujus habitum externum totum ex livore nigricantem, tumidum & vermiculis obſitum, cum tabo putrilaginoſo ex naribus & ore profluo ac fœtore horrendo cum deprehenderem, ſectionem poſtulatam renui. Item a Prætore oppidano Anno 1694. d. 28. Maji, pariter ſub fervidiore tempeſtate, requiſitus ut cadaver maſculinum in agro repertum ſecarem, equidem in colli ejus antica parte, e regione Tracheæ, vulnuſculum exile, pone maxillam dextram & ſub aure ejusdem lateris penetrans oculis & ſtylo deprehendi: cujus accuratiorem luſtrationem, ſeu partium læſarum evolutionem, propter fracedinem inſignem, qua collum & caput hujus inprimis, ad moleſtiam adſtantium, tenebatur, præſtare non potui.

Non abſolute neceſſarium, omnia vaſa ac integumenta. Spectat huc, an Cadaver inſpiciens ad vaſa lacerata cuncta diſtincte annotanda ſemper teneatur, adeo ut, ſi hoc negligat, incautius & illegaliter egiſſe neceſſario dici poſſit? item ſi non ſingulas læſarum partium recenſuerit? Ubi ſane in caſu priore, modo aliunde conſtet, v. g. ex copioſiſſima hæmorrhagia & notabili cruoris in cavitate

tate quadam congeſtione, neglecta quamvis vaſorum ſanguifero- *lacerata annotare.* rum læſorum denominatione, fides adhiberi debet imperfectius ſuper lethalitate deponenti: cum inprimis non unius conſpicui magis vaſis, ſed minorum, plurium tamen, læſio lethalitatis auctor exiſtat. Perinde ac Vaſorum Lymphaticorum, propter teneritudinem ſuarum tunicarum, mox ſubſidentium ac viſum fugientium, rami majores minoresve nulla oculorum acie diſcerni poſſunt: & in ejuſmodi caſu ſufficit conſpicuam ſeu enormem lymphæ extravaſationem annotaſſe. Sicut nec peccaſſe multum videtur, qui partes non omnes vulneratas, v. g. integumenta externa ſingula, ſecundum ſeriem recenſet: modo illas non neglexerit, a quarum læſione majus renunciationis momentum dependet, aut illa hinc obſcurior evadit. Exempli loco ſit caſus ſequens, Facultatis Noſtræ cenſuræ Anno 1692. 7. Maji expoſitus. Nimirum quidam ex vulnere thoracis ſubito ſeu intra dimidium horæ expiraverat, cadaver ejus a Medico non promoto & in negotiis ejuſmodi forte minus exercitato ac Chirurgis, ſimilis forſan peritiæ, diſſecatur, & ab illis de hoc ſequenti ratione deponitur: Weil wir Endes Unterſchriebene auff Erſuchen Hn. N. N. auff ſeinem adlichem Hauſe erſchienen/ und den entleibten Cörper des Hn. N. N. zu beſichtigen/ ſo bekennen wir hiermit/ daß beniemter Cörper 3. qver Finger oberhalb der Wartzen der rechten Seiten an der Bruſt/ gegen ſelbiger Mitten/ zwiſchen der erſten und andern Rippen einen Stoß/ mit einer dreyeckigten hohlgeſchlieffenen Stilet-Klingen/ welcher durch das Mediaſtinum gegen der lincken Seiten/ oberhalb des Hertzens/ an die ſechſte Rippe/ was weniges durch die Lunge/ zwiſchen den beyden Lobis ſelbiger Seiten angangen/ und zwar der groſſen Gefäſſe keines verletzet/ dennoch die Bruſt ſehr mit Blut angefüllet geweſen. Mehr iſt auff der lincken Seiten ein Streiff/ etwann eines Fingers lang/ welcher aber über die Haut nicht/ ſonderlich eingedrungen/ zu ſehen geweſt. Welches wir hiermit ꝛc. Contra qualem Relationem cum inter alias hæ moverentur difficultates, quaſi muſculorum pectoralis & intercoſtalium, ſine dubio ſimul perforatorum, nulla in ea facta fuerit mentio, nec vaſa læſa nominata, ex quibus promanans tanta cruoris quantitas thoracem impleverit: a Collegio nominato reſpondebatur: Daß zwar ratione der geſchehenen Inſpection des Entleibten/ auch des dies-

falls ausgeſtellten atteſtati, ein und anderes zu erinnern wäre / zumahl von dem Medico und Chirurgis keines von denen vaſis læſis per avtopſiam determiniret/ ſondern bloß conjecturaliter angezeiget worden/ ꝛc. Dennoch aber die beſchriebene Wunde / als wodurch in ſo kurtzer Zeit/ nehmlich einer viertel-oder halben Stunde die Bruſt mit ſo vielem Blute angefüllet worden / es ſey nun ſolches aus einer gröſſern / oder unterſchiedenen kleinern/ Pulß- oder Blut-Adern gefloſſen / und der Verwundete ſive ratione extravaſationis, ſive ſuffocationis, ſive utriusque, ſo plötzlich dahin geſtorben / allerdings pro ſimpliciter & abſolute lethali zu achten ſey.

Viſu res ambiguas disquirimus aut in homine, aut in aliis rebus, v. g. eduliorum vitiis & carceris conditione animadvertendis, veneno cognoſcendo. Hominem vero viſitamus aut vivum, aut hujus cadaver, aut quem vivum mortuumve ambigimus. Vivus homo renunciantium oculis exponitur, ſi de ejus Ætate, Pubertate, Primogenitura, Impotentia ſeu ineptitudine coëundi, Morbis, Morborum eventu, Aptitudine ad ſuſtinenda Tormenta, Mutilatione, Debilitate ac Cicatricibus a Plaga, de Fœmellarum imperforatione, Virginitate, Stupratione, Imprægnatione, Monſtris, Hermaphroditis, Venenatione ac de his, quæ a debiti conjugalis redditione excuſant, quæſtio fuerit, ſi diſcernendus fuerit fœtus maturus ſeu vitalis, it. an Fœmina peperit? &c. quarum inveſtigationum ſpecialiores circumſtantias & luſtrandi modos caſus ſpecialiores innuunt.

Inſpectione mediante deponitur de homine vivo.

Ratione avtopſiæ vivorum ſaltem hoc inpræſentiarum, per Legum Conditores atque Interpretes admonitus, innuo, illam, pro honeſtatis atque verecundiæ exigentia, in quibusdam recenſitorum caſuum, attemperandam ſeu moderandam eſſe; ſi genitalium organorum inprimis habenda eſt ratio: ſc. ubi de pubertate judicandum, quam *Hoſtienſis de deſponſ. impuber. rubric. 2. num. 4.* antiquitus probatam fuiſſe perhibet, per pubem in inguinibus efflorescentem oculis uſurpandam. Quod tamen pudicitiæ ac caſtitati præjudicare, *idem Autor l. a. Menochius de arbitr. Judic. cent. 1. caſ. 58. Sanchez de Matrimon. lib. 7. diſp. 104. n. 32.* atque *Schneidewein Inſt. lib. 1. tit. 24.* ajunt: i. e. turpem ejuſmodi corporis adſpectum maxime reprobant, innixi potiſſimum *Inſtitut. tit. quibus modis tutela finiatur* & *C. quando*

Honeſtatis ac verecundiæ ſemper rationem habendo.

tutela

tutela vel cura deſinit, ubi, quæ corporis inſpectio hujus cauſa adornata in fœminis olim impudica viſa fuerit, ad maſculos quoque eam extendere jubet Imperator. Pariter, quando poſt cœteras potentiæ coëundi notas copulam actualem præſumptionem ad illam facere, idem *Hoſtienſis l. a.* aliique tradunt, & pro hac atteſtanda in conſpectu Matronarum peritarum coitum celebrare jubent, his *Sanchez. l. a. diſp. 109. num. 15.* & *Speidelium Specul. Juridic. Polit. lit. E. in vocabulo* Ehe-Scheidung contradicentes obſervamus, aſſerentes, turpiſſime teſtes oculares in ejuſmodi caſibus admitti, utpote qui hac ratione facile in libidinem abriperentur; imo forte marem, alias validum & potentem ſatis, in ſpecimine ſub aliorum aliarumve conſpectu edendo, præ pudore intempeſtive fatiſcere & quaſi elumbari. Quantum enim paſſiones animi vehementiores hoc negotium modo intendant, modo ſufflaminent, *Alexander Benedict. prax. l. 24. c. 12.* poſt plura alia documenta his verbis comprobat: *Alios verecundia tenet, alios metus ipſe, tot modis ſuſpenditur cum animo coitus.* Et eo ipſo, dum de aliis ſignis, juxta *Sanchez diſp. 104. num. 28.* conſtat, ex quibus illæſa honeſtate ac pudicia, potentia aut impotentia coëundi præſumitur: cur Chriſtianis ad ſuaſum *Juſtiniani l. a.* pudori parcere & honeſtatem ſervare non religio erit: inprimis cum ad validitatem matrimonii non coëundi ſufficiat, ſed ſeminandi ſeu ſemen immittendi quoque ſimul requiratur, potentia, quarum illam quidem, non vero hanc, cernere teſtarique valent ejuſmodi Spectatores vel Spectatrices.

Denique honeſtati ac verecundiæ equidem litant, qui cum *Actio de privil. infirm. part. 1. rubric. 49. n. 40.* ſecundum *l. 1. ff. de ventre inſpic.* & *Tiraquell. de leg. connub. l. 4. num. 23. & ſeqq.* fœminas non, niſi a fœminis nudandas ſeu inſpiciendas monent: eo ipſo tamen, dum imperitia fœminarum, in ſpecie noſtrarum, de quibus *capite præced.* diſſerui, hanc regulam frequentius limitare jubet, dentur etiam in ſexu ſequiore caſus, qui obſtetricum circulos ſuperent, v. g. vulnerum; medicis non minus ac Chirurgis, maribus, viva pariter earum corpora, ac cadavera, luſtrare, integrum, ſi non neceſſarium, erit. Potiſſimum cum mulierculis, non ſcite ac perite ſatis teſtificantibus, medicorum inſpectio ſurrogetur; ipſemet *alleg. Actius*

Haud tamen fœminæ a fœminis tantum inſpiciendæ.

hac ipſa occaſione *l. a. num. 41.* civitatibus conſulat, ut probos & honeſtos medicos eligant, eosque non juvenes.

Inſpectio non quovis tempore in quibusdam caſibus inſtrumentum adæquatum eſt.

Præterea quidam caſus, avtopſia determinandi, ita inſuper ſe habent, ut hæc illis non adæquatum ſemper & quovis tempore obſervetur inſtrumentum, ſed hujus maxima etiam hic habenda veniat ratio, v. g. in affectibus morboſis, qui per vices ac paroxyſmos, ſive periodicos, ſive erraticos corripiunt, determinandis, hinc v. g. hernia pro avertendis tormentis, cognoſcenda, cum inteſtina prolapſa aliquando ex inguine, ſcroto, &c. ad abdomen & in ſitum naturalem ſe recipiant, ibique aliquandiu morentur, v. g. in ſupine decumbentibus, item in amentia, epilepſia, &c. per viciſſitudines affligentibus, dignoſcendis. Spectat huc de partu facto poſtulata renunciatio, qui recens equidem latere nequit, elapſo vero hinc notabili tempore fruſtra inveſtigatur: quemadmodum pariter morborum fictorum a veris diſcretio, qualem non una, ſed repetita, non ſtata, ſed incerta, demum viſitatio præſtat.

Frequentior eſt cadaverum inſpectio.

Ad Cadaveris inſpectionem vocamur frequentius, ſi de violentia extrinſecus illata ſeu homicidio conſtet, vel præſumptio fuerit, adeoque læſionis cauſam, conditiones & effectus exactius disquirere neceſſarium, ubi non minus de ſanguine carnificis enſe profundendo, quam de ſanguine profuſo, qui ad cœlum clamat, controverſia eſt: atque hanc quidem totius mundi conſuetudine receptam eſſe tradit *Clarus 5. receptar. ſentent. §. Si quæſt. 4. & 5.* variorumque Populorum & Provinciarum moribus ac legibus conformem *Feltmann. de cadav. inſpect. c. 3. §. 2. 3. ſeqq.* comprobat.

Ac valde neceſſaria ſecundum JCtos.

Inter quales caſus quemadmodum ſine dubio frequentiſſima exiſtit mors ex vulnere ſeu percuſſione, i. e. an Percuſſus ex vulnere, ut tali, diſceſſerit? ſic circa explorationem ejus ſenſualem, quam in ullo alio negotio, oculi ſollicite & circumſpecte magis verſari debent: cum ex vulneris habitudine, de qua per oculorum demum dictamen conſtat, quæſtio de occiſore & hujus pœna decidatur. Ita quidem, ut, ſi hæc plagæ inſpectio aut omnimode negligatur, aut non accuratius & ſecundum regulas artis adminiſtretur, per ſanctiſſimam Legum auctoritatem cautum obſervetur, pœnam homicidii ſeu ultimi ſupplicii in percuſſore non habere locum. Quatenus hac ratione dubium ma-

net

net Delicti Corpus, ſine quo nihilominus, ſecundum Juris peritos, ad ſpecialem Inquiſitionem tranſire haud conceditur: & neglecta aut perfunctorie peracta viſitatione in ambiguo relinquitur, an ex vulnere, an ex alia cauſa, perierit ſauciatus, dum in iis, quæ de vita humana agunt, probationes dubiæ ac ſemiplenæ tantum ad mortis pœnam inferendam minus ſufficiunt, *vid. Carpzov. prax. crimin. part. 1. quæſt. 26. n. 19. 20. ſeqq.* ac Potentiſſimi Electoris Brandenburgici Edictum Anno 1665. promulgatum.

Contradicentibus quamvis nonnullis.

Tuſchius quidem *practic. concluſ. 286. Muſcatell. prax. crimin. de cognit. ſeu probat. delict. proœm. num. 18. Oldecop. quæſt. crimin. 8. Brunneman. prax. crimin. c. 7.* & *Celeberrimus Strykius de Jure ſenſ. diſſert. 1. cap. 3.* inſpectionem cadaveris haud ſemper adeo neceſſariam ajunt, quin illa neglecta pœna in Occiſore ordinaria aliquando locum habeat, ubi nempe telo lethifero vulneratus derepente ſeceſſerit: ideo ſc. quod, ſecundum *Gomez Reſolut. tom. 3. cap. 3. n. 29.* atque *Menochium de arbitr. judic. cent. 2. caſ. 275. qui mox poſt vulnus illatum diſceſſit, vulneratus ex vulnere deceſſiſſe videatur*, ſeu quod juxta *Maſcardum concluſ. 1039. Natura ipſa per ſpatium ejuſmodi breve, eum ex vulnere mortuum innuat*, hinc non opus ſit, per inſpectionem demum percuſſionis indagare lethalitatem. Accedentibus inſimul his circumſtantiis, quod, ut modo dictum, ſi armorum genus, quo invaſio fiebat, mortiferum ſit, conſtet de animo occidendi percuſſoris, nulla per malum regimen aut incuriam ſeu imperitiam Chirurgi, ad quæ nihilominus *Imperator in Conſtitut. Criminal.* reſpicit, mortem contigiſſe, præſumptio, detur: nec Jus divinum, nec Civile Romanum, nec Imperii noviſſimum, ejuſmodi inſpectionem poſtulent. Et quod *allegatam Carolinam* ſpectaret, hanc non de morte vulnus ſequente quavis ſeu in genere, verum poſt moram notabilem & ex intervallo demum ſuperveniente, his verbis loqui, ſc. *artic. 147.* So einer geſchlagen wird / und über etzliche Zeit hernach ſtürbe / alſo daß zweiffelhafftig wäre / ob er der geklagten Streiche halber geſtorben wäre / oder nicht / in ſolchen Fällen ꝛc. & *artic. 189.* Und damit denn in ſolchen Fällen ꝛc. Imo, teſtante *Nobiliſſimo Strykio l. a.* in ejuſmodi cauſa, ubi ſine inſpectione ſepultum fuerit cadaver occiſi, Ampliſſimum Jure Conſultorum Collegium in Alma Viadrina pœnam ordinariam aliquoties decreviſſe.

Ratio hujus neceſſitatis.

Quin tamen his adeo prompte undique ſubſcribam, aurem vellicat *Farinacius*, quando de *homicid. tit. 14. quæſt. 127. part. 2. & 4.* Medicorum inſpectioni atque judicio negotium lethalitatis committere monet. Et nolo equidem dogmata & ſententias tantorum Virorum in dubium vocare, eo ipſo tamen, dum, qui ab illata plaga brevi moritur, quamvis non per errorem in diæta aut Chirurgi incuriam aut imperitiam decedat, aliquando tamen mox a vulnere inflicto (non propter vulnus) per morbum quendam latentem, ſi hujus terminus ultimus ſeu mortalis forte fortuna cum tempore illius coincidat, aut hoc brevi poſt excipiat, obire valet: præſumptioni, a repentina morte petitæ, ſoli in cauſa ejuſmodi ardua inniti, nimis durum videtur, cum mens provida ſemper dubia maneat, annon in præſente cadavere ejuſmodi mortis, quam innui, ætiologia concipienda ſit? Ne alios caſus huc referam, v. g. ſi aſciticus vulneratus aquam confertim nimis & cum anima profundat, aut apoſtema internum ad exitium usque ſauciati ſubitaneum perforetur; utpote qualia vulnera an lethalibus adſcribenda ſint, olim & nunc ambigo. Ad minimum Inſpectio cadaveris lethalitatem ac non lethalitatem vulneris, qualem ex aliis phœnomenis conjicimus, confirmabit, aut dubiam reddet; vel in tantum ſaltim, quod nihil aut aliquid vitii mortiferi præter vulnus reperiatur: etiam in ejuſmodi caſibus, ubi non ipſius læſionis formalitas cernitur, quam effectus ſeu ſymptomata graviora lethalitatem concludere faciunt, v.g. in diaphragmatis concuſſione ſuffocatoria & commotione cerebri, ſine vaſorum hujus ſenſibili ruptura, cum ſenſuum nihilominus omnium ac motus vitalis præcipiti proſtratione. Imo *Nobiliſſimus Strykius l. a. c. 2.* ex ſententia *Carolinæ Conſtit. artic. 149.* accuratiſſimam cadaveris inſpectionem urget, ſectione adornandam, quæ certiores reddat Medicos, quale de lethalitate ferre debeant judicium, oculis exhibens, quodnam interaneorum & quomodo læſum?

Vulneris inſpectio hincque judicium difficile.

Interim ſi in ulla functionum Medicarum, certe in vulneris inveſtigatione, advertente *Hippocrate*, *Judicium difficile* obſervatur, eaque res magnæ difficultatis ſemper viſa fuit: vel quod læſionis ratio formalis nec inſpicienti adeo prompte ſemper compareat; vel quod ab hoc illius habitudo ac conditiones interdum perfunctorie ſatis at-

tendan-

tendantur, obſcurius & impertinenter recenſeantur, hincque Collegia etiam Peritorum, quæ ſecundum Acta & Probata ejuſmodi confuſa & obſcura ſententiam ultimam de vulneris lethalitate dicere rogantur, ambigua valde evadant, Nemeſis a nugis his modo intempeſtive interpelletur, modo plus juſto præcipitetur, utraque ratione Juſtitia ſanctiſſima violetur. *Magni ego*, diſſerit *Joh. Bapt. Sylvaticus hiſt.85.momenti rem hanc eſſe ſemper exiſtimavi, cum de juſtitia ſervanda agatur. Deo Optimo & Maximo ubiq; acceptiſſima:* & *Fienus Semiot. part. 1. ſect. 4. cap. 1.* ait: *ſi Medicus nimis temerarie judicat, reus eſt ipſemet mortis & ſupplicii vulneratoris.*

Singulari proin attentione & prudentia inſpectiones ejuſmodi & Vulnerum viſitationes adminiſtrare decet, quales adminiſtrationis regulas ſeu leges *Carpzovius* equidem *l. a. num. 43.* & modo *Laudatus Dominus Strykius l. a. cap. 2. §. 33.* recenſere ſatagunt: liceat tamen mihi, cum bona Venerandorum horum Doctorum pace, ſub terminis atque cautelis prolixioribus paulo illas exponere hoc modo. Nempe *primo* adornetur hæc viſitatio ſatis tempeſtive, i. e. ſine omni mora & mox ab obitu percuſſi: ne ſuperveniens putredo hincque concitatus fœtor, ut ſuperius monitum, Medicum ab inſpectione exactiore deterreat, aut ab illa corrupta ſeu immutata interanea, quaſi per vulneris habitudinem in tantam corruptionem abierint, eidem imponant, illamque exquiſitius evolvere impediant; quod tempore æſtivo & ſub cœlo fervidiore citius evenit. *Secundo* diligenter non tantum & omni ſtudio in plagæ evidentis conditiones cunctas diſquiratur, ſed totum inſimul cadaver, an forſan aliud in eo vulnus lateat, exterius perluſtretur, quo a cruentatione, livore, tumore, ſimilive phœnomeno ad interiorum læſorum inveſtigationem ducatur Medicus. Et quamvis nihil ejuſmodi veſtigiorum externorum compareat, ut in capitis percuſſionibus lethalibus etiam experimur, minime tamen ſectio & interaneorum evolutio negligatur; ſi nimirum defunctum violentiam externam perpeſſum fuiſſe innoteſcat, aut tantum præſumatur: ſed requiſitus a Magiſtratu Medicus, quam in una parte corporis non invenit, (inprimis ſi de homicidio tumultuario aut plurium ictuum illatione conſtet) mortis cauſam in altera ſcrutetur, adeoque caput non minus ac thoracem & abdomen

Circumſpecte & caute in vulneris inſpectione agendum.

horumque receſſus ac contenta perluſtrandi moleſtias minime detrectet. Ita ut, ſi plures ictus offendat, horum ſingulos annotet, quo, qui demum Lethalitatis primaria ſeu potior extiterit cauſa, eruatur: aut, ſi forſan læſionum diverſarum neutra pro mortalitate inferenda ſufficiat, num earum binæ vel trinæ, collective ſumptæ, idem præſtent, commodius disquiratur. Imo vel propterea Medicus in negotio hoc circumſpectum magis ſe gerere tenetur, quo, ſi forſan percuſſionis manifeſte lethalitas aut nulla, aut non adeo evidens, fuerit, verior ſeu genuina magis mortis cauſa, ut ſuperius dixi, detegatur, v. g. latens hydrops, apoſtema &c. in corpore præprimis hactenus valetudinario aut ignoto.

Interdum deficientibus violentiæ ſignis externis, accuratiore cadaveris viſitatione interanea læſa cernuntur.

Sæpe profecto, ne leviſſimo percuſſionis veſtigio extrinſecus comparente, interiora corporis enormius læſa laceratave offendi, ſectiones cadaverum hinc inde teſtantur, & mihi aliquot ejuſmodi ſubjecta tradita fuerunt, qualium diſſectionem fruſtra aut ſine ratione postulari, adſtantium incautior judicaſſet, partibus reconditis nihilominus poſtmodum mortaliter læſis viſis. Anno ſc. 1675. 9. Maji (ut alios caſus mittam, hinc inde ex libello de *Renunciatione Vulnerum* depromendos) ad Nobiliſſimi Civitatis noſtræ Senatus requiſitionem, vetulæ cadaver inſpexi, in cujus nec capitis integumentis externis, nec ipſius cerebri involucris, aliquid violentioris impreſſionis, ſed cuncta integra, minus tumida aut ſuggillata, nec fracta, comparebant: ſub dura nihilominus meninge ac inter cerebrum ac cerebellum notabilem cruoris quantitatem reperi, vaſorum ruptorum partum, in ſpecie rami illius Carotidis ſiniſtræ, qui ſub cerebri compage ad Vertebralem arteriam inclinat. Pariter Anno 1685. d. 16. Januarii vocatus a Quæſtore Sceudizenſi, ut de puella ſedecim annorum, ex lapſu poſt quatuor dierum decubitum, mortua, deponerem, nullum equidem nec in Capite, nec Thorace conſpexi livorem aliudve contuſionis ſignum externum annotavi: deprehendi tamen in pectoris ejus camera ſiniſtra quatuor circiter cochlearia ſanguinis ſeroſi, ex vaſorum intercoſtalium exiliorum rupturis ſine dubio profuſa, cum Pleura hinc inde ſuggillata & ad Gangrænam inflammata. In capite omnibus ſignis violentiæ externæ experte & cujus Calvariæ ſuturæ adhuc hiſcebant, Carotidis ſiniſtræ ramus anticus ruptus, hinc

ſub

ſub Cerebro & craſſa meninge ac circa Os Ethmoideum multum cruoris cernebatur, cujus aliqua portio per vivi non tantum adhuc, ſed defuncti quoque ſubjecti narium ſiniſtram profluxerat. Item Anno 1687. d. 6. Sept. Militis gregarii ex Præſidio ſuburbano, paucis a verberibus horis ſine ſenſu ac motu in via publica reperti, hincque brevi decedentis, cadaver viſitavi, cujus capitis ambitus externus nihil omnimode vulneris, ecchymoſeos, tumoris &c. monſtrabat, exerente quamvis ſe ſub cute, in muſculo temporali ſiniſtro, gravi contuſione, cruoris ſuffuſione, fractura oſſis Bregmatis ac Temporum ejusdem lateris inſignis fragmenti, pollicem longitudine ac latitudine circiter æquantis, ſeceſſu & cruoris, ſuper Craſſam meningem profuſi ac cerebrum valde deprimentis, unciis quatuor ad minimum. Quibus obſervationibus ſequentem annecto. Poſtulatus nempe Anno 1692. d. 5. Octobris a Senatu oppidano ad viſendum cadaver Vetulæ, ab equo calcitrante in hypochondrium ſiniſtrum percuſſæ & intra horam ab ictu expirantis: in cujus loci percuſſi nec cute, nec muſculis, livorem aut ſuggillationem, remotis nihilominus molliori-bus iis integumentis, duas coſtas nothas inferiores diffractas, hypochondrium idem ad umbilicalem usque regionem copioſo cruore repletum & Lienis partem poſticam, quæ diaphragmati adjacet, bis enormiter ruptam, deprehendi.

Nec adeo paradoxum hoc videri poterat evolventi *F. Fidelis lib. 4. ſ. 5. c. 1.* verba: *Neque enim quæcunque pars percuſſa ſemper livorem oſtendit, niſi venis, iisque non admodum alte poſitis, prædita ſit. Ergo ſit in nervoſis particulis (ſic docet Avicennas 4. tr. 2. c. 4.) percusſio incidat, aut cœteris etiam aliis, priusquam carnoſis, nec ruborem, nec ullam ecchymoſin animadvertes.* Sicut ante paucos annos ad peculiarem percuſſionis capitis læthalis caſum, primo ex Quæſtura Anhaltino-Warnſtorfienſi exhibitum, pari ratione reſpondit Noſtra Facultas, ſc. non obſtare ejus lethalitati, quamvis nulla læſionis veſtigia externe obviam fuerint: idemque paulo poſt ad quæſtiones hujus generis, a Licentiando & Practico quodam Medicinæ Geſnicenſi (aut quocunque ſub nomine hoc latitante) tranſmiſſas, prolixius, i. e. pro occaſionis exigentia, repetiit ſequentem in modum, Nehmlich/ ſo viel die erſte Frage angehet/ (ſc. ob der Sinus falciformis Cerebri von

einer

einer äuſſerlichen Gewalt zerriſſen können werden / da man doch kein Merckmahl einiger Verletzung ſpühret / neque in cute, neque in pericranio & citra omnem fiſſuram fracturamve Cranii &c.?) iſt aus vielen Auctoribus und der täglichen Experienz bekannt / wie öffters von einem Schlag / Fall oder anderer äuſſerlichen violenz enormiſſimæ commotiones cerebri, und zu gleich deſſen Vaſorum ſanguiferorum, majorum minorumve, rupturæ zu geſchehen pflegen / ꝛc. Und zwar unterweilen auch wohl ohne alle äuſſerliche Signa contuſionis factæ, als Suggillationem fracturamve integumentorum externorum, weil die Inſtrumenta lædentia nicht einerley Arth / ictuum diverſa violentia und textura illorum integumentorum in einem Subjecto firmior, als in dem andern / und dahero fibrillæ ac vaſcula harum capillaria plus minus conquaſſiret und laceriret werden mögen. Welche ruptura ſinus tertii (falciformis) deſto leichter zu concipiren / da wohl Apoplexiæ ſanguineæ ex ruptura vaſis ejuſmodi, propter ſtagnantem & turgeſcentem tantum ſanguinem, unterweilen zu erfolgen vorgegeben wird. Quibus plura, vel obſervationis privatæ, vel Collegii Noſtri Cenſuræ expoſita, adjicere poſſem, niſi enarratorum pondus theſi præſenti confirmandæ adæquatum judicarem: i. e. cautum & circumſpectum poſtulari Medicum in percuſſionum harumque lethalitatis inveſtigatione adminiſtranda, neque hunc tædere debere perluſtrationis interiorum exquiſitioris, utut laboriſſimæ, & nullam violentiæ illatæ externam notam animadvertat.

E. Medicus accuratius inquirat.

Qualis Inſpectio exquiſitior quia ſine ſectione fieri nequit, hæc *Tertio* nunquam negligatur, aut perfunctorie adminiſtretur, quo læſionis ratio penitius & quoad ſingulas circumſtantias pateſcat, nullaque harum prætermittatur, quæ judicio ferendo litet. Neque enim, quam ab externo vulneris obtutu, aut ejus aliquali dilatatione, item ſtyli ſimilisve inſtrumenti exploratorii intruſione, nonnulli ſibi promittunt, exploratio internæ læſionis conditiones ſingulas detegit atque declarat: quin potius fallax ſatis hic ſcrutandi modus videatur, & per violentiorem ejuſmodi plagæ externæ divulſionem ſtylive cœcam immiſſionem partes hactenus integræ lacerentur. Quo vel ſolo nomine cavendum quoq; eſt a ſuſpecta ac iniquiſſima illa quorundam tonſorum curioſitate, qua communiter, pro vulneris profunditate, ante

Ideo Sectione ſemper opus.

Cavendum a ſtyli in cadavera immiſſione.

ante cadaveris aperturam, disquirenda, eidem ejuſmodi ferramenta indagatoria intrudunt; ſc. ob lacerationem ac perforationem interaneorum hinc metuendam: cujus exemplum notabile *Ampliſſimus Strykius l. a. num. 34.* refert, ab impertinente nempe ac rudiore ſtyli ſciſcitatorii per Chirurgum applicatione in cadaveris aperti pulmonibus diverſa vulnera fuiſſe reperta, ut, quod horum enſe occiſoris, quod inſtrumento Chirurgi, illatum, non conſtiterit.

Qua occaſione huc non repetere nequeo protervam illam quorundam Chirurgorum in percuſſo vivo adhuc ſpecillo ſeu ſtylo tentativam luſtrationem, qua profunditatem vulneris, globuli ſclopeto immiſſi ſitum ſimilesque circumſtantias inveſtigare annituntur, quamque *part. 1. cap. ult.* prolixius deteſtatus ſum: utpote quali ſcrutinio frivolo vulnera profundiora redduntur, dilatantur & partium interiorum plures lacerantur; hincque ambiguum evadit, an a vulnerantis, an Chirurgi, a quo vulneratus medelam expectabat, telo, vulneris habitudo, lethalitatem inferens, dependeat? Recordor nefariæ ejuſmodi tentationis ex Actis quibusdam privatis, Facultatis Noſtræ cenſuræ 1699. menſe Martii expoſitis, ubi Chirurgus per vulnus ſclopeti frontis ferramentum ad digiti profunditatem, globuli explorandi cauſa, immiſerat, neque ab hac inveſtigatione, niſi renitentia corporis durioris deprehenſa, deſtiterat, quamvis fruſtraneo conatu: cum globulus ille, defuncti calvaria aperta, non intra cerebrum repertus fuerit, ſed per os palati ad inferiora deſcenderit; (quorſum? incautior ac negligentior ſecantium inveſtigatio haud declarabat) ſub hac nihilominus ineptiore exploratione fragmenta oſſis cerebro profundius impacta & vulnus globulo factum gravius evaſerit.

Ipſa vero hæc ſectio *Quarto* ſuſpenſa & provida maxime celebretur manu, qualis ab illo, qui in Anatomicis minus verſatus, vix expectanda: & qui dexteritate hanc ſecandi deſtituti, vulnera non raro facere potius, quam inveſtigare obſervantur; quales Chirurgos noſtrates inprimis frequentius experimur, vaſa hinc inde, membranas Cerebri ipſumque Cerebrum per incuriam ac imperitiam, dum per lanienæ magis modum, quam inciſionem artificioſam, integumenta corporis externa removent, lacerantes ac perforantes. *Sectio Chirurgo non facile committenda.*

Ffff Unde

Unde etiam ſuaſor forem Medico conſcientioſo & Inſpectionum ejuſmodi directori, ut manibus propriis potius ipſemet eas adminiſtret, quam rudioribus illis ſociis committat: mallem ſiquidem cruentare manus, quam conſcientiam, i. e. quod Chirurgi miniſtrantis eſt, non ſine moleſtia exequi, quam in deponendo falli fallereque.

Indagandæ etiam vulnerationis circumſtantiæ, vulnerati ſymptomata, &c.

Neque tamen ad prudentius deponendum ſola ſemper ſufficit cadaveris inſpectio, ſed ſciſcitari quoq; *Quinto* Medicum deponentem oportet a Medico, Chirurgo & adſtantibus, qui vel vulnerati curam geſſerunt, vel percuſſioni adfuerunt, de percuſſi conſtitutione naturali ac præternaturali præcedanea, de armorũ genere, de ictus vehementia, de ſitu corporis illius, dum percutiebatur, ſymptomatis, curationis methodo, diæta, mortis tempore ac ſimilibus: utpote quales circumſtantiæ ad inſpectionem non tantum exactiorem dirigunt, ſed judicio ferendo etiam aliquando argumenta ſubminiſtrant, ut ex *Oldecop. tit. 4. obſ. 47.* & ex tractatulo *de Vuln. Renunc. ſ. 1.* videre eſt.

Sclopetorum vulnerum tractus paradoxi.

Sexto majore circumſpectione opus eſt in vulneribus non tantum punctim illatis, quæ in membris internis, ob inſtrumenti perforantis mucronem anguſtiorem ſeu accuminatum valde, ſœpe eousque connivent, ut minus lynceum ſeu attentum Proſectorem facile fugiant: ſed inprimis quoque ſclopetorum, utpote quorum globulos miros & tortuoſos adeo tractus ut plurimum deſcribunt, ut horum circuitus atque anfractus ſtupeſcat aliquando curioſior oculus, offendens ultimum globuli terminum & interaneorum intermediorum læſionem vulneri externo minime congruam ſeu adæquatam. Cujus rei pariter diverſa ſiſtere poſſem exempla, aſt bina a me obſervatorum ſufficiant. Poſtulatus Anno 1678. d. 8. Octobris a Quæſtore Skeudizenſi, ad viſendum in pago Ruckmarsdorff cadaver militis globulo, ſclopeto eliſo, trajecti atque interfecti: qui globulus, quamvis recto ſatis tramite thoracem penetrarit, dum prope papillam dextram, inter quintam & ſextam coſtam, pectus ſubintrarat & dorſum ejusdem lateris, inter ſeptimam ac octavam trajecerat, ita ut unam coſtarum anticarum valde, poſticarum omnimode, confregerit, miris nihilominus & tortuoſis ictibus, ſeu totidem quaſi refractionibus, diver-

diverſa interanea, perforationibus thoracis externis haud æque intermedia, ſimul laceraſſe, deprehendi, inferiorem nimirum Pulmonis dextri lobum ſimplici, ſed ſatis amplo, Diaphragma duplici, vulnere, item Epatis convexam ac Septo annexam partem, ratione profecto a priore minus explicabili. Similiter Anno 1687. d. 2. Junii a Commiſſariis Sereniſſimi Ducis Martisburgenſis ad inſpectionem cadaveris juvenilis, ſclopeti minoris globulis binis hinc duplice vulnere, interempti, cum requirebar, unam harum ſphærularum per Lumborum ſiniſtrum, prope marginem oſſis Ilei, oblique ſurſum Hypochondrium ejusdem lateris ſubintraſſe, obſervavi, ubi gibbum Lienis partem profunde ſatis laceraverat, hinc per Diaphragmatis ambitum carneum ac pulmonem ſiniſtrum lata in coſtarum ſuperiorum tertia figebatur: dum alter globulus Natium ſiniſtram hujusque muſculos Glutæos, itidem oblique ſurſum perforaverat, ac Ilium os, ad Iliaci usque muſculi interni, qui huic incumbit, contuſionem & aliqualem lacerationem, perfregerat; ita tamen ut eum, quamvis ſedulo inquirentes, minime, ſed ramentum tantum ejus exiguum, quaſi laminatum, grani ponderis vix ſuperans, reperire potuerimus.

Quæ cuncta tamen ut commodius ac dextre magis expediri queant, in loco opportuno ſectiones ejuſmodi viſitatorias adminiſtrare convenit: quo nihil externorum ſectorem in operando ac inveſtigando moretur, nihilque attentioni ac ſpeculationi hujus obicem ponat. Quem in finem ante omnia in loco lucido illæ ſuſcipiantur, aut, ſi hic obſcurior, candelis commode ac ſufficienter illuminato: quo cuncta penitius disquirere ac intueri liceat. Nec ſatis mirari poſſum caſum 1669. menſe April. Collegio noſtro expoſitum, ubi Chirurgus quidam, de perforatione Orbitæ Oculi ac interaneorum Calvariæ ſatis dextre deponens, inſpectionem cadaveris tempore nocturno, ad tedæ ardentis lumen peregerat, felicius potius, quam circumſpectius. Nec frequentia ſpectatorum nimia Proſector inter operandum ſtipetur, moleſta maxime & inveſtigationem accuratiorem turbante, ac ad impatientiam, negotio huic pernicioſam, ubi res inveſtigatu inprimis difficilior, urgente.

Fiant ſectiones ejuſmodi in loco opportuno.

In ſpecie, ubi Infanticidii ſubit ſuſpicio, cadaveris pariter inſpi-

 ciendi

Inſpiciendum eſt cadaver recens nati, ſi de infanticidio ſuſpicio.

ciendi urget neceſſitas, non tantum, ut partus abortivus, qualem ſuum ejuſmodi meretrices ſceleroſæ frequentius venditare ſolent, a perfectiore diſcernatur, ſed inprimis, quo de ſignis violentiæ illatæ, aut non illatæ, conſtet, ſi mortuum puerum ſe enixas fingant. Quamvis enim, aliis infanticidii indiciis præſentibus, de quibus *Conſtit. Crimin. artic. 35. & 131.* ac *Carpzov. pr. crimin. part. 3. quæſt. 122.* videantur, Inquiſita, juxta Legum Interpretes, exceptionem illam aut tortura, aut alia ratione, probare teneatur: mitiorem tamen graviorem que torturæ gradum decernet Judex, plus minus comparentibus indiciis violentiæ illatæ.

Inſpectione etiam opus ubi de venenatione ſuſpicio.

Inſuper Cadaveris poſtulatur viſitatio medica, ſi de veneno propinato præſumatur, non tantum, ut de effectibus pocillationis exactius conſtet, ſc. maculis in habitu diverſi coloris, livore, intumeſcentia, eroſione atque mortificatione interaneorum, cordis flacciditate, ſanguine congelato &c.: ſed per quam ipſum venenum ingeſtum, hujusve ramenta, ſub textura ſeu compage propria in primis viis indagentur, adeoque pocillator delicti plenius convincatur, ſi modo hoc, per circumſtantias, alibi recenſendas, fieri queat. Tanti enim voti Medici in his caſibus, juxta *Maſcard. de probat. concluſ. 1037. num. 7. Farinac. conſil. 184. num. 14. & 46. Carrer. prax. crimin. §. Homicid. n. 625. & ſeqq. Gomez tom. 3. variar. ſolut. cap. 3. n. 8. Carpzov. Nemeſ. Carol. part. 1. quæſt. 21.* & *Brunneman. prax. crimin. cap. 7.* obſervatur vis, ut non ſufficiat venenarii ipſiuſmet confeſſio de veneno propinato, nec ſub hoc, nec aliis gravioribus, indiciis, poſthabita vel minus rite inſtituta pocillati hujusve cadaveris inſpectione, pœnæ ordinariæ locus concedatur, ob defectum ſcilicet, ut ajunt, Corporis delicti. In cujus tamen adminiſtratione, ſi in ulla alia, attendendum illud *Brunnemanni l. a. num. 19.* & ſuperius de inſpectione vulnerum monitum, ne illa juſto longius differatur, hincque mutatio cadaveris, a putredine naturali inducta, a veneni hauſti effectibus diſcerni nequeat.

It. ubi, an quis vivus an mortuus vulneratus aut

Porro aliquando coram Magiſtratu hæc agitur lis, an cum vulneribus mortuus ſuſpenſusve repertus, aut ex aquis protractus, vivus mortuusve vulneratus, ſuſpenſus aut aquis ſubmerſus fuerit? non ſine inſpectione Medicorum dirimenda, prout negotium hoc in ſe ſuſce-

ſuſceperunt *Paræus de Renunciat. F. Fidelis lib. 4. ſect. 4. cap. 1.* atque *R. a Caſtro Medic. Polit. cap. 11.* In priore caſu rationem habentes conditionum vulneris, vaſorum ſanguiferorum plenitudinis aut inanitionis: in altero veſtigii funis & rugoſæ in jugulo cutis, livoris ac tumoris faciei, oculorum prominentiæ, ſpumæ ex ore naribusque prodeuntis ac aſperam arteriam & hujus ramos replentis: in poſteriore autem pariter ſpumæ in pulmonibus & canalibus reſpiratoriis, digitorum attritionis atque excoriationis, ac ventris inflationis, aut enarratis contrariorum ſymptomatum. Item, ſi in loco quodam ſolitario deſertove agro &c. inveniatur cadaver, ſine vulneris, ſtrangulationis aut ſimilis violentiæ nota, utut diſectum & apertum; quale ex fulminis ictu occubuiſſe, præſumptio fit, & quidem major minorve, ſi ejuſmodi aliqua tempeſtas brevi præceſſerit, aut non præceſſerit, & inſpectio eidem plus minus faveat. Qualem quoque adminiſtrare poſtulatur nonnunquam Medicus, ſi in eadem via publica aut alibi reperiatur homo defunctus, de cujus obitus genere plane non conſtat, a Magiſtratu nempe conſcientioſo ac prudente: quo, ſi forſan aliquam violentiam externam paſſus fuerit ejuſmodi miſer ſolitarius, ſine notis illius evidentibus, interiora perluſtrata aut eandem manifeſtent, aut ſuſpicionem ejus deleant. Ita v. g. Anno 1687. d. 29. Novembris caſu repertum cadaver virile in agro Lipſienſi, per oppidani Magiſtratus providentiam, mihi ſecandum ac ſcrutandum tradebatur, an forſan de læſione externa ſeu homicidii ſignis conſtaret: qualia tamen fruſtra indagavi, loco horum aſſcitem ac hydropem pectoris offendens conſumatiſſimum, ſine dubio ſuffocationis mortiferæ cauſam primariam atque unicam. Cujus generis & tantum non ſucceſſus erat inſpectio cadaveris itidem maſculini, viventis a nativitate muti, Anno 1696. 17. Maji in camera defuncti reperti, in cujus ventribus ac cœteris membris nihil violenti, caput tamen, a ſanguinis ſtagnatione extraordinaria, tumidius, ejus cutis ad livorem rubicunda & vaſa externa æque ac Meningum & Cerebri, ſanguine turgida ac tumida, ventriculos vero ac anfractus hujus a ſero copioſiore divulſos eodemque ſcatentes, cernere dabatur.

Suſpenſus reperitur.

Quemadmodum pariter, ubi quis mortuus repertus.

Aliquando etiam contingere poſſe, ut imprægnationem antecedaneam & inſecutum partum aliis ſignis adeo perſpicue probare haud

Vel an imprægnata.

fuerit & pepererit aliqua. haud concedatur, hinc, juxta *l. 12. C. qui pot. in pign.* ſectione cadaveris defunctæ opus ſit: quatenus per hanc uteri, a fœtu hactenus latius explicati, compages laxior, & qualis ante decimum aut duodecimum a partu diem ad priſtinam habitudinem ſe vix recipit, manifeſtatur hæcque uteri facies de geſtatione ac partu celato teſtatur. Cui parallelum puto caſum, ante annos circiter triginta mihi obvium, dum infanticida quædam, cujus fœtus excluſus & interemptus ſine ſecundinis inveniebatur, cum de his quæreretur, earum excluſionem, ſub ignorantia quadam ſpecie, diffitebatur, ſeu præter fœtum ſe aliud quid enixam fuiſſe negabat, hancque negativam morte gladii confirmabat: cui fidem adhibentes quædam non tantum Civitatis hujus Matronæ, ſed Magiſtratus quoque Perſonæ, ut cadaver hujus decollatæ aperiretur, poſtulabant, an forſan ſecundinas latentes in utero offendere liceret; quamvis indaginem hanc fruſtraneam ex fundamentis medicis hariolarer, ac avtopſia docuerit.

It. ubi de coitu cum cadavere ſuſpicamur. Imo ad iſtud quandoque impuritatis ſceleſtæ genus quosdam abripi, ut amorem quærant, ubi nullus eſt, i. e. cum cadavere fœmineo coëant, diverſa ab Auctoribus conſignata & ex his a *Simone de Impot. conjug. cap. 2. theſ. 4.* recitata paradigmata loquuntur, ac quale *Feltmann de cadavere inſpic. cap. 33.* recenſet: de quo facinore ſi ſuſpicio fuerit, *Nemeſis Carolin. artic. 35.* Obſtetrices, ut de cadaveris ejusmodi ſtuprati genitalium habitudine referant, jubet, pœna gladii poſtquam per leges publicas v. g. *lib. 13. L. Jul. de adult.* ac *Conſtit. Saxon. t. 2. de crimin. quæſt. 68.* huic crimini ſceleſtiſſimo fuit decreta.

Pariter ut conſtet, an quis vere mortuus. Denique corpus humanum viſitamus, ſi, num hoc revera expiraverit, dubitetur, ubi nempe graviore quodam affectus cujusdam ancipitis, v. g. Apoplexiæ, Strangulationis hyſtericæ aut Peſtis inſultu eousque opprimitur quis, ut mortuus præſumatur. Et quamvis adeo facilem ac frequentem mihi concipere vix queam ejuſmodi mortis ſimulationem, in qua aliquos, gravioris criminis convictos, ſpem atq; effugium omne ponere *F. Fidelis l. 4. ſect. 1. cap. 1.* ait, medicatis potionibus ſimilibusve technis mortis ſimulacrum ſibi conſciſcentes, & hac ratione Prætorem deludentes: nolo tamen illis bonæ fidei Viris præfracte contradicere, qui ſubdolam ejuſmodi calliditatem, vel lucri

cri

cri cauſa, vel ad tormenta declinanda, vel ad criminum pœnas evitandas, vel ex quavis alia intentione, in hominibus nefariis aliquando obſervarunt, ad lubitum, inſtar mortuorum, ſine motu, anhelitu ac ſenſu rerum etiam maxime dolorificarum ſeu ſumme ſenſibilium, ſe proſternentibus. Quale quid de Presbytero quodam *Cardanus l. 8. de rer. variet. cap. 43.* refert, & Turcis familiare Scriptores teſtantur, pallidam mortis imaginem faciei inducentibus, imo ipſum pulſum, fraudulento ſatis artificio, ligatura nimirum brachii ſubdola, intercipientibus & quaſi reſcindentibus. Frequentiores vero tanti recenſitorum ſimiliumque pathematum impetus obſervantur, quorum ſola vi & absque omni fraude nonnullos mortis ſimulacra interdum evadere, praxis loquitur, quales per incuriam etiam aut ignorantiam amicorum & adſtantium ſepulturæ deſtinatos, imo traditos, fuiſſe, hinc inde penes Auctores cum ſtupore legere contingit: unde a prudentioribus Magiſtratibus non tantum cautum obſervatur, ne Peſte, Apoplexia &c. defunctorum cadavera ab ultimo mox anhelitu terræ mandentur, ſed notæ quoque a Medico inſpiciente non raro petuntur, quibus apparenter mortuos a vere talibus diſcernat. Quamvis ſi ad has ſpecialius & accuratius tradendas ſe accingat hic, potiores forſan non ex ſolo adſpectu, ſed contactu ſimul, apnoiæ exquiſitiore examine aliisque phœnomenis, colligere valeat: qualia nunc recenſere, præſentis inſtituti haud eſt.

Singula inquirenda, ſeu potius obſervata, tandem *Septimo* ſedulo annotentur, conſignentur & in Relationis Notula diſtinctim exprimantur cum circumſtantiis eorum cunctis. Sc: ut primo Læſio & phœnomena externa, id eſt, vulnus ſeu contuſio, livor, maculæ, ſecundum ſui locum, longitudinem & latitudinem exacte, hinc integumentorum externorum, vel ſeorſim, ſeu κατὰ δάρσιν, vel, exigente neceſſitate, ſimul, dextre tamen ac caute remotorum habitudines, ac tandem membrorum internorum vulnera, rupturæ &c. cultello, ſtylo tubulove explorata, ac Judici ſeu adſtantibus demonſtrata, recenſeantur. Quamvis enim ſuperius dictum fuerit, haud ſemper inſufficientem & illegalem inſpectionem vocari debere, in cujus Notula non cuncta integumenta adeo ſtudioſe conſignata, nec vaſa lacerata obſervata & determinata fuerint, modo per illam de parte pri-

Annotanda & conſignanda ſunt obſervata ſingula.

mario

mario læſa conſtet, cruoris etiam enormior extravaſatio de vaſorum notabilium læſione ſatis certo præſumere faciat: tutius tamen aget Proſector, ſi nullum horum prætermittat ſeu annotare negligat, nulliusque, vel in inveſtigando, vel in conſignando, laboris parcat, ne cauſarum ejuſmodi Sanguinis Patroni anſam litigandi hinc arripiant, juſtitiæ vis inferatur, Medici vero culpa in Judicem devolvatur. Cum non unius meminerim inſpectionum a me adminiſtratarum occaſionis, ubi difficulter admodum membrum vel vas lethaliter vulneratum mihi eruere licuerit, hinc irritos omnes inveſtigandi conatus forſan judicaſſet exilioris patientiæ & perperam deſperabundus Proſector: niſi novum calcar ſemper addidiſſet conſcientia & exiſtimatio propria, utraque pro viribus tuenda, juſſiſſetque novas capeſſere moleſtias negotii gravitas.

Superius monui viſitationem hanc ocularem maxime moderari ac dirigere, ſi armorum genus & habitudinem, modum lædendi, ictuum rationem ac multitudinem atque ſymptomata, quantum quidem hæc reſciſcere licet, ab adſtantibus, vel ex Actis judicialibus, exploret Medicus, antequam ad ſectionem ſe accingat: quod talium cognitio prævia indicium haud inane ad inquirendum, & quæ inquirenda, ſuggerat. Quibus nunc adjiciendum, Renunciationem ipſam juvari, ſi cuncta hæc audita ſimulque viſa, ſeu quotquot obſervari poterunt, annotentur ac memoriæ cauſa conſignentur: quo recedens ab inſpectione, ſeu remotis ſpectatoribus Medicus denuo cuncta trutinare, ac ex collatis cœteris cum vulneris conditione circumſtantiis demum, an hoc per ſe, an per accidens, lethale, certius ac tutius inferre valeat.

Venenorum & horum effectuum luſtratio.

Verum quemadmodum hæc de Inſpectione corporis humani medico-forenſi, loco ſpeciminis generalioris ſufficere, mihi perſuadeo, ſic præter hujus aliarum quoque rerum ſpectatorem atque inſpectorem, Medicum, ut agat, a foro poſtulari, aliquot nunc exponam caſibus. Et primo quidem Venenorum, non ut hæc eorumque effectus in cadavere ſcrutetur, ſed ut, an, quod ſub ejus nomine & ſpecie propinatum fuit, ratione ſubſtantiæ, quantitatis & modi exhibendi, interficere aliave pathemata, v. g. faucium eroſionem, cardialgias, vomitus, delirium, impotentiam Veneream &c. concitare potuerit, inprimis conſtet: utpote ſine quali Peritorum teſtimonio, innuen-

innuente *Boſſio prax. crimin. tit. de delict. n. 8.* cœterisque ſuperius allegatis Legum Doctoribus, reus nec confeſſus quidem ad pœnam ordinariam condemnari valet; cum fieri poſſit, ut quis, ſpecierum venenorum ignarus, cum alimentis alteri pro veneno offerat, quod tale ſibi perſuadebat, revera tamen non eſt, v. g. Scobem adamantis, quem minus venenoſum, præter *Garziam ab Horto hiſt. aromat. lib. 1. cap. 47.* experientia evincit, item Cinnabarim, Mercurium vivum, vulgo venena credita, qualia tamen haud abſolute ſunt. Idem erit dicendum de exhibitorum venenorum quantitate, ſuper qua pariter non ſufficit rei confeſſio, niſi Periti de eadem depoſuerint: v.g. Opii, cujus tantillum propinatũ nullam noxam inferre, quin potius ſpiritus moderate ad quietem diſponere, hinc inter Medicamina magnæ efficaciæ referri, majorem contra ejus molem, infantes v.g. in epilepſiam lethalẽ brevi conjicere, quotidie experimur: ſicut circa adminiſtrandi modum quoq; judicium medicum variat, dum venenum v.g. viperinum propinatum haud venenat, interimit tamen plagæ inſtillatum.

Quamvis, ut verum fatear, hæc non ſolus determinet conſpectus, ſed olfactus & guſtatus aliquando ſimul concurrant, neceſſe ſit, prout inferius pateſcet: ac demum tentamina propinationis in brutis facta, ambiguitatem venenorum magis declarent, ut ſequens docet caſus, quem ita ſuperioribus Annis proponebat Medicus. Es iſt mir von einer Frauen N. N. zweyerley Bier zugeſchickt worden/ ſo in colore, conſiſtentia und ſapore einander gantz nicht gleich geweſen/ und weil ſie nach dem einen/ welches etwas dunckler an der Farbe/ und craſſioris conſiſtentiæ, und einen acorem bey ſich gehabt/ ſich ſehr übel befunden/ ſo daß ſie/ ſo offt ſie ſolches getruncken/ meiſtens allemahl groſſes Reiſſen und Brennen/ oder/ wie ſie es nennet/ Freſſen/ in faucibus, œſophago & circa ſcrobiculum cordis, cum dolore, vomitu vireſcente, laſſitudine corporis magna ac tremore & ſtupore artuum, item ſubita abdominis intumeſcentia, gemercket/ ſie auch dergleichen letzteren ſymptomata an der Magd/ welcher ſie gedachtes Bier einſtens zu trincken geben/ geſpüret: So bin ich in die Gedancken gerathen/ daß das Bier nicht rein geweſen/ ob ich gleich nicht ſo fort ſagen können/ daß demſelben von der Cadmia metallica ſeu Cobalto, oder gar Arſenico, etwas möchte admiſciret ſeyn/ habe aber dieſes Bier

Ad venena luſtranda præter inſpectionem aliis adminiculis opus.

evaporiren laſſen/ und in fundo cucurbitæ eine groſſe Quantität eines ſchwartzen und gar zähen muci, dergleichen bey dem hieſigen Bier/ wenn es rein und unverfälſcht iſt / und in ſo geringer Quantität evaporiret werden ſolte/ ſchwerlich ſich finden wird/ angetroffen. Womit ich unter andern mit Vermengung mit Mehl an einer gefangenen Mauß die Probe angeſtellet / ſo gar bald darauff geſtorben. Dergleichen Probe hat die N. N. bald nachero / auff mein Gutachten / an einem jungen Hahne verſuchet/ ihn mit dem in ſolchem Bier geweichten Brote gefüttert/ der alſobald kranck worden/ die Farbe an dem Kamme verlohren/ ſtarck purgiret / Schleim aus dem Schnabel geworffen / geröchelt oder gegurgelt/ nachmahls/ da er unter die andern Hühner gelaſſen worden/ zwar ſtarck gefreſſen/ ſparſam aber gewachſen / die von Anfang / als er das erwehnete Brod gefreſſen/ verlohrne Stimme nicht wieder bekommen/ niemahls gekrehet und gantz verdorret / endlich ohngefehr 6. Monath hernach geſtorben/ und an demſelben / ob er gleich vor dem letzten Tage ſtarck gefreſſen/ bey der Eröffnung der Oeſophagus gleich an dem Orthe/ wo er ſich in den Ventriculum inſeriret/ ohngefehr eines kleinen Pfennings groß/ durchfreſſen befunden worden. Inmaſſen ich auch der N. N. (da nicht zu vermuthen / daß ſie ihr zum Schaden ſelbſt das Bier würde zugerichtet und davon getruncken haben/ am wenigſten aber die vom Arſenico ſonſt entſtehende/ gewöhnliche obermeldte Symptomata, ſo offters kaum ein Studioſus Medicinæ anzugeben weiß / hatte berichten können/ und ich dergleichen Symptomata bey der Beſuchung ihrer Perſon/ ohne alle ſimulation würcklich befunden) alſobald antiarſenicalia verſchrieben/ welche denn bey der Patientin wohl angeſchlagen/ biß ſie nach und nach wieder curiret worden. Dieweil ich nun hierüber eines gantzen Collegii Medici Judicium zu wiſſen / inſtändig verlange/ ſo überſende hierbey das auffrichtige reſiduum von dem evaporireten Bier/ mit dienſtlicher Bitte / juxta Leges artis ſolches beſtens zu probiren/ und darüber dero in denen Principiis Medicis wohlgegründete Judicium, inſonderheit/ ob es nicht pro Arſenico oder einen andern lento veneno corrodente und von deſſelben Würckung die erzehlte Proben mit der Mauß und Hahn zu achten/ ꝛc. Reſpondebat proin ſequentem in modum Noſtra Facultas. Als uns derſelbe das Reſiduum eines evaporireten Bieres zugeſendet/ von welchem/ daß es mit Gifft vermiſchet

miſchet geweſen / ſo wohl aus deſſen colore &c. hat wollen vermuthet werden/ und dabey verlanget / daß wir beſagtes Reſiduum &c. So geben wir ihm / nach Collegialiſcher gepflogenen deliberation und genauer Unterſuchung gedachtes reſidui zur verlangten Antwort/ daß wir zwar nicht allein in dieſer exſiccireten maſſa, ſondern auch noch mehr/ als wir etwas davon in gnugſamer Quantität Wäſſers auffſolviret/ einen ziemlich beißigten ſaporem empfunden / dennoch aber / weil weder der ſpecificus arſenici odor, welchen es ſonſten/ auff gelinde Kohlen geleget/ von ſich giebet/ noch andere gewiſſe Merckzeichen / ſothanen oder anderen corroſiviſchen Gifftes ſich haben ſpühren laſſen / können wir weder de præſentia Arſenici, noch eines anderen Veneni, etwas gewiſſes determiniren. Nichts deſto weniger/ weil nicht allein die Mauß durch dieſes reſiduum alſobald getödtet / ſondern auch in dem jungen Hahne der Oeſophagus davon corrodiret gefunden worden/ läſſet es ſich mit ziemlicher probabilität vermuthen / daß von dieſer eingemiſchten corroſiviſchen materia, ſie ſey auch was Namens ſie wolle / der N. N. bey längerer und mehrerer Genieſſung beſagten Bieres groſſes Unglück / wo nicht gar der Tod hätte zugezogen können werden / indem allbereit ſich die gemeldten graviſſima ſymptomata nur bey wenig genoſſener Quantität deſſelben allezeit haben ſpüren laſſen.

Deinde cum inter cœteras Magiſtratus curas non ultima ſit, ut Civitas ab inſalubrium alimentorum uſu ac hujus offenſis immunis vivat, Medicorum quoque, utpote qui ſanitatis tuendæ artifices ſunt, expetitur judicium, ex inſpectione maxime captandum: an v. g. Frumenta ſint ſemiputrida aut a curculione eroſa, Panes minus rite fermentati, Carnes animalium eſculentorum morboſæ ſeu vitioſæ evaſerint? An Aquæ, quas *Hippocrates de aëre, aquis & locis* triuum ſenſuum exploratione dijudicare jubet, ſint limpidæ ac claræ? item, ubi de Locorum, i. e. Terrarum, Oppidorum, Caſtrorum ac Domiciliorum ſalubritate ac inſalubritate agitur, juxta reliquas harum notas illæ maximi valoris cenſentur, quas viſus ſubminiſtrat, v. g. adſpectus cœli orientalis &c. Poſitio Locorum quoad montoſitatem aut planitiem, vicinitas fluminum, maris, lacuum ſeu paludum ſtagnantium. Quibus addo ſpecialiorem illum caſum de Sceleto infantis recens editi Quedlinburgenſis, unde infanticidium præſumebatur, & cujus

Luſtranda a Medico etiam ſunt alimenta & loca,

& alia extraordinaria magis.

jus in *cap. 1.* mentio facta fuit: ubi inter alia, an in terra illa, cujus quædam portio ſimul tranſmittebatur, intra tale determinati temporis ſpatium, eousque putredine corrumpi potuerit, tenelli recens nati corpuſculum? quæſtio formabatur; cum ſane unam terræ partem præ altera putrefactionem ac diſſolutionem cadaverum facilitare, in propatulo ſit. Licet etiam hic attendendum veniat, oculos his aliisve rerum recenſitarum ſimiliumve conſtitutionibus & habitudinibus explorandis minime adæquatos ſemper exiſtere, ſed præter conjecturas aliorum quoque ſenſoriorum aſſenſum in iisdem disquirendis, niſi præcipitanter agere, aut, qui judicium ejuſmodi poſtulat, ſive Magiſtratum, ſive privatum, conturbare amet Requiſitus, requiri.

Carceris inſpectio. Porro hujus loci eſt Carceris inſpectio, juxta *Gail. 1. obſ. pract. 26. num. 8.* ſive puniendis, ſive detinendis tantum, hominibus nefariis hoc fuerit deſtinatum: qui in utraque occaſione ita conditionatus eſſe debebat, *ne*, animadvertente *Excellentiſſimo Strykio l. a. n. 32. vel pœna delictum ſuperet, vel ipſa cuſtodia ac detentio in pœnam convertatur*, i. e. ne aliquando non tantum ſqualore nimio, inſectorum, glirium ſimiliumque animalium frequentia, ſed frigore quoque, tenebris ac vaporibus diverſi generis, gravioribus, imo incurabilibus & lethalibus, morbis inducendis præſto ſit, hinc juſto atrocior exiſtat. In qua luſtratione inter alia maxima pariter habenda eſt ratio temporis, i. e. ut hoc ipſo tempore, quo carceris habitudinem ſibi adeo intolerabilem & exoſam conqueritur miſer captivus, adornetur illa, alias falletur Medicus inſpiciens & fruſtratur captivum ſuum deſiderium. **Viſui cœteri ſenſus combinandi.** Quamvis, ut de aliis rerum inveſtigationibus medico-forenſibus monui, & ex ſequentibus conſtabit, viſui unus vel alter utplurimum reliquorum ſenſuum manus auxiliatrices præſtare debeat. Imo incarcerati quoque, qui propter ſupervenientem corporis infirmitatem carceris mutationem aut relaxationem petit, compedibus ſimilibusque vinculis inprimis ferreis conſtricti, inſpectio fieri debet, quo ex hujus conſtitutione tam naturali, quam præternaturali, v. g. ætate, corporis habitu, colore pallido ac lurido, tumore pedum, pernionibus &c. plenius pateat, an in loco hoc ſine evidente valetudinis damno diutius relinqui poſſit incarceratus? item, annon morbum potius ſimulaverit.

Qualia

Qualia monita ne ſupervacanea videantur, dilucidabo eadem obſervatione maxime huc faciente. Vocatus nimirum aliquando ſub fine Aprilis a Nobili quodam in viciniam, ad viſitandum carcer ſubterraneum & undis circumfluum, ac in hoc per menſes aliquot detentum inquiſitum, in ſpecie vero ad deponendum, an hujus manus pedesque ex cuſtodiæ frigore ad unguium usque receſſum eroſi atque corrupti, corporis vero reliqui habitus naturalis per elapſæ hyemis inclementiam deſtructus fuerit? i. e. carcer ille ita ſe habeat, quo in Inquiſitum ſupplicantem ejuſmodi damna retundare valuerint? Ubi digitos pedum rubentes quidem, ut a pernionibus fieri ſolet, minime tamen fiſſos aut eroſos horumque ungues cum manibus integros, quemadmodum totum corpus ſanum ſatis, deprehendi: circumſtantiis vero omnibus rite perſpectis ac ponderatis ultimam quæſtionem ad deſiderium ac nutum Nobilis requirentis ſolvere, mei haud ratus, qui menſe equidem Aprilis locum hunc ſatis temperatum & extrema artuum minus eroſa annotavi, neſcius tamen, qualis v. g. menſe Decembris, Januarii, Februarii fuerit ille, ſine dubio frigidiſſimus, & cujus atmoſphæra ad perniones excitandos crurumque & manuum extrema erodenda ſatis idonea, utut hujus acerbitate in Martio & Aprili remittente, coaluerint eadem, ac melius nunc ſe habeat miſer ille.

Exemplum luſtrati carceris ac captivi.

Neque forſan incongruum erit diſſerendi hic de catenarum, fibularum, manicarum ſimiliumque, quibus incarcerati aliquando vinciri atque conſtringi ſolent, Inſtrumentorum habitudine, ſi forte de eorum arctitudine & moleſtia morbifera conquerulentur iidem. Ubi pariter ad inſpectionem deveniendum, jubentibus hoc *L. Semel 6. C. de re milit.* & *Rutg. Rulando de Commiſſ. p. 2. l. 4. c. 9.* ac ſtudioſius disquirendum, an vincula & compedes ejuſmodi tantum damni inferant, vel inferre queant, ut ſanitatis atque integritatis partium læſio enormior hinc metuenda veniat. Incautioris & crudelioris ejusmodi vinculorum ferreorum conſtrictionis exemplum triſte valde teſtari poterunt Acta publica, Libenwerdæ collecta & *Facultatis Noſtræ* judicio expoſita, ex quibus, quendam ob delictum, Catena ferrea majore, einer Wagen-Kette/ circa hypochondria durius conſtrictum, ad querelas vero ideo jactatas haud relaxatum, ſed hac reſponſione a

Catenarum ſimiliumque captivis deſtinatorum inſtrumentorum inſpectio.

Hujus exemplum.

Judice truculentiore dimiſſum: Es müſſe ſo ſeyn/ denn wenn es ihm wohl thäte/ ſo würde es für keine Strafe zu achten ſeyn/ tandem periiſſe recordor: de quo Collegium Noſtrum Anno 1688. menſe April. ita pronunciabat. Als uns dieſelbe die Inquiſitions-Acta, Hanß Balckens jählingen Tod betreffend/ zugeſchickt/ und über nachgeſetzte Frage/ ob nehmlich gedachter Wind-Müller (Balcke) von ſothaner eng um den Leib geſchloſſenen Wagen-Kette verſtorben oder nicht? unſer Gutachten begehret: So geben wir ihnen ꝛc. daß/ weil gleichwohl die Döllingſche Gerichte *Vol. 2. fol. 17. & 18.* den blauen Streiff an beyden Seiten des Leibes/ davon die Bruſt geſchwollen/ und der Unterleib eingefallen/ angemerckt/ auch deßwegen den Medicum erinnert/ it. die engere Anlegung der Wagen-Kette um den Leib/ ſo von zwey Häniſchen Stadtknechten geſchehen/ bekräfftiget haben/ gedachte Conſtriction der Wagen-Kette ſo wohl zu des Inquiſiten Kranckheit (Pleuritide) als auch den hierauff erfolgten Tode/ Urſache gegeben habe/ und er daran geſtorben ſey.

Atque Viſui ejuſmodi objectorum forenſium plura forſan ſuggerit Praxis, & ea interdum paradoxa ſatis, qualia recenſere ac definire hominis haud eſt: Plures elapſi ſunt anni, cum quidam Carnificis ſervus oſſiculorum certorum quaſdam compages, ſub digitorum humanorum, patibulo ſurreptorum, ſpecie venderet, aſt ideo de ſpoliatione cadaverum ſuſpenſorum accuſatus, fraudem faſſus & ex ungulis ſuillis digitos hos humanos perſonatos ſe formaſſe, ſuſtinebat. Utrum E. horum illius hominis ſordidi ac flagitioſi aſſertum veritati conformius, per avtopſiam oſſiculorum decidere rogabatur primo quidam Licentiatus Medicinæ, qui negotium hoc ſphæram Medicam excedere credebat, hinc deponendi de eo munus renuebat & Quæſtori Damenſi Requirenti hoc reſponſi reddebat, daß/ weil auch 4. dieſe oſſa, ſo ſie partes corporis zu nennen/ pro partibus potius cadaveris (welches proprie, quatenus cadaver, und ſchon längſt verſtorben/ nicht wohl in conſiderationem Medicam kan gezogen werden) zu achten/ ſo ſtehet billich ein wahrer und gewiſſenhaffter Medicus an/ hierüber dieſen Fingern/ quatenus nempe hic, & quidem ſolitarie conſiderandi, einige categoricam zu geben/ ſich beſtes Fleiſſes hütend/ ſo wohl der edlen Artzeney-Kunſt Reſpect, als ſeine eigene famam in Gefahr zu ſetzen/ ꝛc. Qua-

Ungularum porci ſegmenta pro digitis humanis venditata.

Qualis quæſtio nihilominus dum poſtmodum ad Facultatem noſtram deferebatur, iis non obſtantibus de illa in ſequentem modum deponere haud dubitabat: Wir haben ꝛc. collegialiter deliberiret / auch mit conferirung eines menſchlichen Sceleti endlich ſo viel befunden / daß die fünff mitgeſchickte Daumen von keiner Menſchen-Hand ſind / in Betrachtung / daß (1) die Daumen recht beſchnödelt ſind / ſo pflegen auch (2) die Ungues in Suſpenſis überwärts und in die Länge zu wachſen / in denen überſchickten aber ſind ſie den erſten Gelencken gantz gleich / zu geſchweigen (3) daß die überſchickten mehr eine Ungulam, propter craſſitiem, als unguem in pollice humano, præſentiren. Ferner iſt (4) auch die articulatio diverſa, weil in dem von uns zerbrochenen Daumen der ſinus oder Glene ſecundi oſſis oben und unten zweyfach und tieff iſt / in der Menſchen Hand aber deſſen anderes Bein weit anders conformiret / und weil (5) noch die Schweinsbörſtgen unter den vermeynten Nagel ſub Lit. D. anzutreffen: Als ſchlieſſen wir aus dieſen angeführten Urſachen nicht unbillich / daß die uns überſchickte Daumen viel mehr gemachet / und alſo ex ungula porcina ſo zugerichtet ſind / als daß ſie ſolten von einer Menſchen-Hand genommen worden ſeyn / ꝛc. Leipzig 28. Decembr. 1673.

Verum quamvis Viſus uſum in Relationibus Medicis condendis ampliſſimum atque aptiſſimum eſſe, ex hactenus enarratis conſtet, eum tamen vix undique ſufficere, ſed reliquas ſenſationes aliquando in conſilium & adjutorium vocare, hinc inde monui, ac nunc, brevibus etſi, oſtendam, inprimis Contactum, Olfactum & Guſtatum, rarius forſan etiam Auditum: eosque modo invicem ac cum Viſu combinatos, modo plus minus ſolitarios.

Præter oculum aliis ſenſoriis in negotiis forenſibus opus. Manibus harumque contrectatione.

Manuum contrectatione ſeu contactu dijudicantur pleraque, quæ ſoli oculi dirimere nequeunt, v. g. Virginitas dubia: ubi non in inſpectione tantum, ſed manuum quoque admotione genitalium muliebrium habitudinem tentare jubent *Pacianus de probat. lib. 2. cap. 2. num. 17.* & *Angelus Aretinus conſil. 142. num. 20.* Et licet *l. 1. §. mittantur autem mulieres ff. de ventre inſpic.* ventrem viſitandum invita muliere tangere Obſtetricibus interdictum videatur, alia tamen quia ratio eſt probandæ prægnantiæ ac virginitatis, dum illa ſolo adſpectu, hæc minime dignoſci poteſt, ſed contactu etiam in hoc nego-

tio

tio opus, monente eodem *Paciano l. a. num. 18.* a quo nihilominus partus ſeu fœtus læſionem iidem JCti metuunt: lex illa huc minime quadrat. Neque forſan Lex eadem ſemper, ubi nempe de ſimulata aut diſſimulata gravidate ſuſpicio eſt, omnem ventris contrectationem interdicere poterit; cum ſine ea nec in hac cauſa aliquid certi facile deponi valeat: ita ut hodie & in noſtro foro ejuſmodi ſuſpectæ fœminæ Medicis ac Obſtetricibus ſub inſpectionis termino non tantum videndæ, ſed contrectandæ etiam, tradantur, ſc. quoad ilia, oſculum uteri, mammas, hincque lactis expreſſionem, &c. Ut taceam, non in arbitrio delinquentis, aut de delicto ſuſpectæ, eſſe, ut contactum ſui corporis admittat, vel recuſet, poſtquam veritatem Judex omnibus modis eruere tenetur, vid. *Ranchinum de morb. virgin. ſect. 1. cap. 10.* & *Stryckium l. a. num. 51.*

Par ratio atque vis eſt contactus in muliere, partum factum celante, dum hic, cœteris paribus, (ſi recens fuerit) ex ventris flacciditate ac rugoſitate, Commiſſuræ oſſium pubis protuberantia cartilaginea, Vaginæ & Oſtii uteri interni amplitudine extraordinaria, tumore genitalium œdematoſo, mammarum inflatione ac turgeſcentia &c. dignoſcitur: item in atretis ſeu imperforatis dijudicandis, quarum muliebrium clauſuram non tam viſu, quam contactu, exploramus, ac in morbis, v. g. tumoribus, fracturis &c. ſi ſuper hos in foro deponendum, fieri ſolet; ne hujus loci faciam illud in inveſtigando homicida dubio, per contactum cadaveris hincque evenientem hujus cruentationem, remedium infidum, tanti antiquitus æſtimatum.

Naribus & olfactu. Olfactu disquirimus & determinamus itidem diverſa, odoratu ſc. perceptibilia: quamvis hoc per Olfactum teſtimonium ſolitarium raro forſan alicujus valoris ſit, ſed cum aliis demum ſenſationibus combitatum. Ita *primo*, ſi de probitate ac pravitate ſeu corruptela Eduliorum, Vini, Aquæ ac ſimilium ferendum ſit judicium, item de Locorum & Atmoſphæræ ſalubritate & inſalubritate, olfactu ſimul deponimus: quo in ſpecie ſpectat aëris examen atque purificatio, ſub peſtis ingruentia & præſentia adornanda, quo fœtores certorum animalium, v. g. porcorum, deleantur, item Artes immundæ & opificiorum exhalationes, atmoſphæram corrumpentes, aut peſtis,

aut

aut quovis, tempore, ſalutis publicæ cauſa, prohibeantur, aut ad loca commodiora ablegentur. *Deinde* in carceris habitudine quoad cunctas circumſtantias & exactius exploranda, inprimis ſi de ejus ſqualore ac fœtore querulentur, hinc de eo relaxando petant, captivi, & jure quidem, quo carcer, in quo reus, ob aëris fracedinem facile perire valet, prohibetur, monente *Farinacio quæſt. 27. num. 97.* Quamvis ejusmodi carceris viſitationem etiam ſine Medico, per Commiſſarios fieri poſſe, horumque depoſitioni in caſu tali ſtari debere, *Gailius lib. 1. obſ. 26. n. 8. & 9.* aſſerat. *Tertio* inter ſigna fulmine percuſſi, tanquam evidens maxime, a *Paræo de Renunciat.* & *F. Fideli de Relat. l. 4. ſ. 6. cap. 2.* refertur fracedo ſulphurea, ex cadavere hujusque veſtimentis expirans & narium uſu exploranda: qualem fœtorem quoque ædificia, fulmine tacta, afficere, præter *Senecam 2. nat. quæſt. 53. Zacchiam quæſt. med. leg. lib. 5. tit. 2. quæſt. 2. num. 8.* & *Lublerum de Incend. cap. 2. num. 24.* experientia confirmat. *Quarto* etiam in matrimonialibus graviorem anhelitus fœtorem ſponſi vel ſponſæ, quatenus repudio occaſionem præſtare poteſt, medicus determinare poſtulatur, ſc. an plus juſto moleſtior & nauſeabundus ſit? an ab interno corporis vitio, aut oris ſaltem colluvie corrigibili, oriundus? &c. Spectat huc quinto caſus, an ſub tormentis deficientes malefici odoribus gravioribus & pravis excitari queant? ſeu annon potius (quod rationi magis conſonum) ſuaveolentibus ſint reficiendi? ideo ſc. quod ſyncope ejuſmodi hominum ex ſumma & confertim facta ſpirituum diſſolutione & conturbatione eveniat, quali medentur odores grati, eandem augent fœtores, perinde ac cucurbitulæ, fortiores ligaturæ aliaque doloroſa remedia, quibus pariter hic non conceditur locus. *Denique* interdum Venenorum præſentiam ac indolem olfactu indagamus, etſi periculoſum ſatis & indagatori minus cauto exitioſum ejuſmodi indaginem aliquando contingere poſſe, non modo inde inferendum, quod venena dentur, ſolo odore interficientia, ſed quod, ſi non, juxta *Cardanum 2. de venen. cap. 1.* cuncta, certe eorum pleraque, vertiginem, cephalalgiam, ſtrangulationem &c. concitent. Adeoque, ſi vel Potionatus, vel Medicus, in exhibitis odorem tetrum ac abominabilem percipiat, veneni intermixti præſumptionem hic facit. Præterea eadem narium functione

non venenum tantum in genere, ſed hujus etiam ſpeciem, nonnunquam dijudicamus, v. g. Opii, item, dum Arſenicum carbonibus injectum, allii fœtorem exhalat, hinc cum ſaccharo aliisque contemperatum graveolentia hac ſe prodit: quales tamen disquiſitiones atque tentamina, ob periculum inde imminens ac modo indigitatum, cum magna circumſpectione fieri debent.

Raro lingua, Linguæ & Guſtatus munia in cauſis forenſibus rariora ſunt, niſi in alimentorum bonitate ac pravitate diſcernenda; item in venenis inveſtigandis, utpote quorum pleraque ingratum, nauſeabundum, æruginoſum, ponticum, corroſivum &c. præ ſe ferunt ſaporem: ita ut hinc originem duxiſſe morem, aulis Magnatum ſolennem, ut Mareſchallus ſeu Pincerna, quem alias Pocillatorem ajunt, pocula, Principi haurienda, prægustet ſeu prælibet, quo hic de potus ſalubritate ſecurior eſſet, nec venenationis periculum extimeſceret, non inepte quidam augurentur.

& auribus. Sed vix unquam ex Auditu Medicus deponit, quatenus aliorum, v. g. Chirurgi, de fractura brachii deponentis, Relationes, calculo ſuo confirmare nequit, ubi ipſemet non ſimul αὐτόπτης extiterit: niſi forſan, quando de Calvariæ aliorumque oſſium fractura ſuſpicio exoritur, rarius tamen proprio, ſed potius vel Percuſſi vel Teſtium. Ita ut, ſi quis, capite dum percutitur, perſentiat aut adſtantes audiant, ſub ictus momento fragorem ſeu ſtrepitum, es platzet oder klinget / als wenn ein Topff zerbrochen würde / de inſigni fractura Cranii non amplius ſit dubitandum, modo unum alterumve ſymptoma ei ſolenne ſuperveniat. Quamvis enim teſtes de auditu deponentes regulariter haud probent, quin tamen ab adſtantibus audita & juramento confirmata Medico aliquando occaſionem conjecturandi præſtent, haud negandum: utpote quem de credulitate tantum deponere *cap. 2.* dictum, qualem etiam teſtimonium de auditu inducere, *Farinacius quæſt. 69. num. 62.* aliique Jureconſulti docent. Quibus forſan jungi poteſt, ſi ex ſtertore, raucedine ſimilibusque vocis phœnomenis præternaturalibus de vulneratorum aliorumque ægrorum ſtatu & prognoſi ſit ferenda ſententia, v. g. dum ex aphonia enormem ἐγκεφάλου læſionem a percuſſione ſuſpicamur, item, ex clamore infantis recens nati hunc vivum in lucem prodiiſſe, teſtamur.

CAPUT

CAPUT V.

De
Modo Renunciandi.

A Senſatis proin his, tanquam facti cauſis, Scientiæ & Teſtimonii ſui rationem depromit, imo hæc ſemper in Depoſitionis ſuæ notula recenſet Medicus, a Magiſtratu vel parte rogatus, inprimis ſi, quod probandum, in ſenſus immediate haud incurrat, v.g. Virginitas, Impotentia coëundi, Dementia, Venenatio &c. ut totidem quaſi ſint medii termini, ex quibus concluſio eliciatur. Quamvis enim ex plurium JCtorum ſententia inter Teſtem vulgarem & Peritum, poſt reliqua, etiam hoc ſupponatur diſcriminis, quod prior ſui aſſerti rationem reddere ſemper teneatur, huic vero, ſine ullo examine ſeu rationis redditione, in Arte ſtandum veniat; adeoque *Maſcardus* Medicis quoque hanc prærogativam cum cœteris in Arte peritis communem voluerit: eo ipſo tamen, dum *Muſcatellus* ac *Pacianus* v.g. illum, qui ſcientiæ ac dicti ſui rationem adæquatam reddere neſcit, i.e. ſine ratione agit, minime Artis ejus, quam profitetur, vere Peritum judicari poſſe, ajunt, nunquam *ἄλογον* ſe reperiri patiatur, qui artium omnium præclariſſimam exercet, prout *cap. 2.* prolixius evictum fuit. Talia tamen ex obſervatis ſeu ſenſatis illis concludat, quæ inde probabiliter ad minimum ſequi intelligit, & quos eadem ſimiliave phœnomena alias comitatos aut ſecutos fuiſſe novit, effectus, ac quorum illa extiterunt cauſæ.

Ex ſenſatis formatur judicium.

Medicus enim ſine ratione haud deponat.

Id eſt, Medicus, Chirurgus &c. qui religioſe non minus ac legaliter teſtificari contendit, monente *Codronchio meth. teſtif. c.3.* formam vel ordinem, juxta quem interrogatur, ſeu Quæſtionem ſtatus, accuratius attendat, ne aliquid eorum, ſuper quod deponere poſtulatur, incautius negligat, nec aliena & ad rhombum minus facientia perperam ac inepte relationi ſuæ admiſceat. Hinc in contextu Renunciationis viſa aut quovis modo ſenſata, quoad ſingulas circumſtantias primo recenſeat, nullum, nec minimum, horum, quæ obſervavit & ad quæſtionis propoſitæ ſolutionem qualitercunque facere, imo obicem ponere, judicat, momentum prætermittens, neque ta-

Probe attendat quæſtionis ſtatum.

Obſervata in Relatione recenſeat.

men aliquid temere, v. g. Hymenem in virgine, fingens. Ex his quippe, quid ad poſtulata reſpondendum aut deponendum ſit, prudenter & ſecundum Artis fundamenta, eruat, argumenta contradicentia viſa, probe libret, & ponderoſioribus, non numeroſioribus, ſe accommodet, i. e. quicquid hæc concludunt, Reſponſi loco det.

Ac perſpicuus ſit.

Et quidem in hoc ferendo ante omnia, ut modo dictum, quærentis mentem ſemper præ oculis habendo, ac ad hujus tantum interrogata exquiſite & nervoſe reflectendo: adeo ut valde hallucinari videantur, qui in recitandis aut conſcribendis ejuſmodi Relationibus longius, quam negotium poſtulat, evagantur, ac impertinentes inſimul quæſtiones agitant, primariam aut omnimode negligentes, aut fugitivo ſatis oculo & calamo tractantes, multo minus evolventes; qua ratione Judicem non tam informant, quam confundunt. Illis contra circumſpectius agentibus, qui terminis ſimplicioribus & ſuccinctis, congruis tamen, ſententiam ſuam exponunt, & argumentis conſpicuis eandem confirmant: niſi forſan vel a Reo hujusve Defenſore, vel a Vulnerato hujusve Neceſſariis, aut quibuscunque, in controverſiam vocetur res; aut ubi Judex, unius Medici Collegiive ſententiam ſuſpectam habens aliorum ſimul judicia expetit; tunc enim paulo prolixiore oratione ſeu deductione opus eſſe, ſuperius innui, quo nempe non tantum cauſa exquiſitius tractetur, ſed aliorum quoque argumentis, contrarium molientibus, ſatisfiat.

Hinc quæſtionem individualem non cum generali confundat.

Qua occaſione non poſſum non redarguere illos Medicos, neſcio, an malitiæ, an hebetudinis, qui, quæſtionis primariæ immemores, eam frivole immutant, ac non ad caſum individualem, ſeu ſub terminis adæquatis, ſed generaliter omnimode, reſpondent, ab uno vel altero exemplo ad Individuum præſens perperam concludunt, v. g. dum quæritur: An hoc in Titio vulnus Cerebri ſit lethale? plagas cerebri aut non omnes, aut non ſemper, mortem inferre, ſeu intuliſſe, prolixo ac tædioſo ſermone, & non raro ſub multorum Commentariorum atque Obſervationum inconcinna allegatione, adſtruunt; hincque nec Titii percuſſionem mortiferam, quam ineptiſſime ac ſine circumſtantiarum examine atque collatione, inferunt, ſeu, quoniam nonnullis (non pluribus) vulnus ejuſmodi minus exitiale extitit, E. nec Titio mortiferum appellandum eſſe, concludunt.

Item,

Item, ubi, num Mæviæ filia, ſeptimo a nuptiis ſolennioribus menſe nata, lacertoſa, robuſta ac, uno verbo, novimeſtri perquam ſimilis, partus ſeptimeſtris dicenda veniat? disquiritur, Septimeſtrem partum vitalem ex Hippocrate, magno ſtrepitu contendunt: cum tamen non quæratur, quid aliquando ſeu rarius fiat? multo minus in genere, an unquam Septimeſtris vitalis detur? ſed, quid plerumque, aut potius, ſub recenſitis conditionibus ſeu circumſtantiis fiat? i. e. an Mæviæ filia, ſub allegata corporis compage & habitu ac mox a nativitate ubera commode trahens, pro Septimeſtri haberi queat? quod negatur, quia imperfectionem ac imbecillitatem, partui ſeptimeſtri conſuetam, minime præ ſe fert; partus nihilominus ſeptimeſtris vitalitas aſſerta manet. Porro ſi de dementia flagitioſi cujusdam deponere jubetur Medicus, haud quamvis attendere debet mentis ſimplicitatem aut ſtoliditatem, ſeu in negotiis civilibus gerendis imprudentiam, ſed tantum ejus abalienationem inſigniorem, per quam, quod perpetrat, aut perpetravit, delictum contra ſanam rationem & Leges eſſe, is intelligere nequeat.

Errorem hunc, qualis tantum non quotidianus obſervatur, ut evidentiorem reddam, bina exempla vulneris haud lethalis pronunciati, quod, etſi utplurimum, non ſemper tamen, mortem intulerit, adducere, e re erit. Anno 1668. cujusdam utrumque hypochondrium & ventriculi fundus duplici vulnere perfodiebantur: quam læſionem Medicus, qui inſpectioni præerat, per ſe lethalem ajebat, ideo, quod vulneratus mox & intra horas quindecim ſub vomitibus continuis, anxietatibus præcordiorum, ſudore frigido interierit, ac ventriculus in medio pariter fundi ac prope orificium dextrum perfoſſus deprehenſus fuerit. Vulneranti quo cauſa commodius dici poſſet, aliorum Peritorum expoſcebantur ſententiæ, ubi Collegium quoddam Medicum ita judicabat: Quod, cum vulnera lethalia aut ſimpliciter, per ſe, neceſſario & ſua natura talia ſint, i. e. quorum ſanatorum nullum exemplum adduci poſſit, aut utplurimum tantum & per accidens lethalia; in ſubjecto autem hoc non orificia, ſed fundus tantum, ventriculi perforatus, nulla notabilis hæmorrhagia hinc contigerit, ac juxta *Sennertum* vulnera ventriculi inter lethalia ſimpliciter & quæ hominem ſubito jugulent, plerumq; recenſenda haud ſint, niſi orifi-

Hujus confuſionis exempla.

Unum de vulnere ventriculi.

orificio ſuperiori inflicta: læſionem hanc Stomachi non pro vulnere ſimpliciter, per ſe, neceſſario & ſua natura lethali, habendum fore. Subſcribebat huic ſententiæ medicus quidam privatus hoc modo: Quod vulnera quidem orificiorum ventriculi, juxta *Hippocratem*, ſimpliciter exiſtant lethalia, non autem orificiis intermedii fundi: & per conſequens nec hanc ventriculi fundi plagam mortiferam ſimpliciter dicendam; quatenus ex Medicorum obſervationibus conſtet, ejuſmodi Ventriculi vulnera conſolidata fuiſſe. Aliud Collegium caſum hunc ita decernebat: Cum vulnera Ventriculi mortem utplurimum inferant, eorum quædam nihilominus quoque aliquando ſanentur, quoad caſum præſentem, cum defunctus brevi ante percusſionem funeſtam ventriculum multo potu gravarit, poſt acceptum vulnus nihil medicamentorum internorum admiſerit, aſſumpta cuncta vomitu (forſan ab ingurgitatione illa potulentorum antecedanea & continuata) mox rejecerit &c. incertum manere, an hoc Ventriculi vulnus ſanari aut non ſanari, valuerit, adeoque Judicium de lethalitate hujus vulnerationis, in ſe ſpectatæ in ſuſpenſo & incertum relinquendum fore; quamvis per eandem læſionem ventriculi mortem contigiſſe, inficiari nemo queat.

*Donec tandem ita reſponderet Noſtrum: p. p. Equidem ſententias aliorum nos minime impugnaturos, cum ſtatus controverſiæ & quæſtionis nervus inpræſentiarum haud ſit, an vulnera ventriculi in genere lethalia exiſtant? verum, an a Medico & Chirurgis obſervatum ac literis ab his conſignatum atque hujus individui vulnus ventriculi tale dicendum? Quo ſuppoſito, quamvis de exemplis atque autoritatibus adductis haud dubitemus, vix tamen liquere, qua ratione quove fundamento illa huic caſui individuali applicari queant; quin potius hoc ventriculi vulnus, intuitu ſuarum circumſtantiarum, per ſe lethale ſit, & quidem ob rationes ſequentes: Quod idem, quamvis non parti nobiliori, ad vitam tamen abſolute & ſimpliciter neceſſariæ, in fundo ac prope orificium dextrum illatum, ingens quidem ac undique penetrans, & propter ſitus profunditatem commode deligari ac tractari haud potuerit, hincque ſymptomata graviora, lethalitatis atque mortis immediati prodromi mox ſupervenerint, &c. Poſtquam terminus Lethalitatis per ſe ſic dictæ,

aut

aut τὸ *per ſe lethale*, non eousque extendendum veniat, quaſi nullum vulnus, niſi cujus ſanati nullum exemplum alligari poſſit, pro ejusmodi lethali ſit habendum; qualium caſuum forſan pauciores ſuppeterent, v. g. cordis ventriculos, vaſa ſanguifera majora ac cerebrum profundius penetrantia vulnera: ſed ab illo, quod utplurimum fit, aut fieri experientia docet, ad caſus expoſitos concludere licere; adeoque vulnus in genere inter utplurimum lethalia relatum, in individuo, ſi circumſtantiæ ita ferant, mortiferum per ſe dici poſſe ac debere, haud obſtante, quod inter multos unus alterve ex vulnere ſimili reconvaleſcat, & quidem aliquando præter omnem rationem. Quid per ſe lethale vulnus?

Ejusdem generis erat Caſus, Plavia Anno 1686. transmiſſus, circa percuſſionem capitis graviſſimam, quam minus lethalem pronunciarant Medicus ac Chirurgi, inſpectionem adminiſtrantes, ideo, quod penes Scriptores graviorum & periculoſorum valde capitis vulnerum ſanatorum exempla varia legere detur. A nobis tamen eadem plaga, ob individuales circumſtantias & ſyndromen diverſarum enormiorum læſionum, nempe rupturæ vaſorum, ſanguinis profuſionis inſignioris, fracturæ, comminutionis ac depreſſionis calvariæ, hincque conſequentis vulneris duræ ac piæ meningis ac ipſius cerebri, &c. & quod propter ſubitaneam mox mortem remedia congrua adplicare non licuerit, abſolute lethalis decernebatur. Alterum de capitis contuſione.

Quippe eo ipſo dum utplurimum lethalia cenſentur vulnera, quæ mortem frequentius inferunt, rarius ſanantur, quædam horum concipienda erunt mortifera, quædam (pauciora) minus talia, adeoque non cuncta horum ſalutaria: & per conſequens non quævis eorum, quæ utplurimum lethalia audiunt, minus lethalia, ſed maximam partem per ſe ſeu natura ſua talia cenſeri debent, & inepte horum cuncta non lethalia judicantur; dum ex medio concludendi negativo particulari negativa univerſalis infertur concluſio. Vel, quando utplurimum lethalia ajunt vulnera v. g. cerebri, pulmonum, ventriculi &c. quæ frequentius perimunt, aliquando tantum non perimunt, ponderatis circumſtantiis, ratione quarum plerique in hac vel illa parte vulneratorum ſanari nequeunt, ſi tales in caſu individuali deprehendantur, lethalem in eodem præſtant plagam, non per

accidens, ut communiter ſentiunt, ſed per ſe ac per hujus conditionem. Hinc minus deponere licebit, hoc vulnus cerebri eſt utplurimum lethale, ſed hujus generis vulnera plurima ſunt lethalia, & quidem per naturam ſuam; pauca non lethalia, vel ratione ſuæ indolis, non partis læſæ, vel caſus aut ſingularis naturæ virtutis, quale neutrum imitari, ſeu vulnus gravius ſanare, Medico licet: i. e. Τὸ *utplurimum*, ſemper plura ſupponit, de ſingulari ſeu unico prædicari nequit. Ipſimet JCti etiam v. g. *Carpzovius crimin. part. 1. quæſt. 26.* illud vulnus lethale ſeu mortiferum aſſerunt, quod plus vergit ad mortem, quam ad ſalutem, & mortali vulnere affectum dicunt, qui ſecundum artis regulas & per hujus inſtrumenta, non, niſi difficillime, evadit.

Perperam confunduntur τὸ per ſe, & abſolute, lethale. Hinc ſua ſponte quoque cadit alius in cauſa vulnerum adeo obvius error, rudioribus non tantum, ſed peritioribus quoque, Medicis, nedum horum Collegiis aliquando, familiaris: quo τὸ *per ſe lethale* ac *abſolute* vel *ſimpliciter* ſeu *de neceſſitate* pro ſynonymis gerunt, & utrumque vulneri per accidens lethali opponunt; adeoque omne vulnus per ſe lethale abſolute quoque ac neceſſario tale ajunt, ut infinitis exemplis evincere poſſem, niſi prolixitatem averſarer. Ipſemet *Hippocrates* illa vulnera, v. g. Cordis, Cerebri, Veſicæ, diaphragmatis &c. quæ *6. aph. 18.* lethalia dixerat, *3. coac. 387.* fere & utplurimum enecare, aſſerit: nec Leges atque JCti in pœna homicidii decernenda differentiæ inter vulnus neceſſario aut ſemper & utplurimum lethale rationem ullam habent, quorum nihilominus intentioni ſententia Medicorum eſt accomodanda; ſed ordinaria pœna pariter affici jubent illum, qui vulnere ſimpliciter ſeu abſolute lethali, ac qui utplurimum lethali, occiderat, quatenus utrumque horum genus cauſa mortis inſequentis immediata obſervatur. Conſultius proin forſan foret in Renunciationibus forenſibus a termino τὸ ἐξ ἀνάγκης ſeu *neceſſario lethale* abſtinere, utpote per quem iniquis ac garrulis Cauſidicis argumentum atque occaſio ſuggeritur frivole disceptandi & judicem in ſententiam injuſtam (cauſæ dubiæ, ut ajunt) trahendi, & tantum, an vulnus per ſe, an per accidens, lethale disquirere atque enunciare.

Sane non ſimpliciter & neceſſario lethale a medicis prudentioribus per accidens lethali adæquate opponitur, ſed lethale potius per ſe

ſe ac per accidens ſibi contrariantur: dum omnia vulnera abſolute lethalia equidem per ſe talia; non autem cuncta per ſe lethalia neceſſario & abſolute talia, deprehenduntur. Ac in hypotheſi vulnus, quod non abſolute lethale, non ſtatim per accidens lethale vocandum; ſed illo non obſtante pro per ſe tali, hoc eſt, quod mortis brevi inſequentis genuina ac immediata cauſa, haberi poteſt ac cœteris paribus debet: atque per ſe lethale demum obſervatur, vel de neceſſitate & abſolute, juxta *Hippocratem maxime*, ſecundum *Guidonum de Cauliaco valde*, vel *non neceſſario*, ſed *utplurimum* tantum ſeu *frequentius*, tale. Illud nempe, quod omnem medelam detrectat, & quale vix unquam ſanatum novimus, ſed ſemper ac brevi interimit: hoc, cujus medela utplurimum minus feliciter ſuccedit, non tamen ſemper, ac lente demum aliquando interficit. Et poteſt ac ſolet a plaga in ſe utplurimum lethali vulneratus convaleſcere, perinde ac alii morbi, quamvis ſua natura utplurimum lethales ſint, interdum, & a quibusdam ſuperantur: utrumque per ſingularem corporis texturam ac naturæ robur, dum alius per morboſum corporis apparatum ac hujus texturam teneriorem &c. propter ſimile vulnus ac eundem morbum diem ſupremum obit.

Tædet me hæc prolixius ediſſerere, cum alios prudentiores idem ſentire, non dubitem: propter tyrones tamen ea monere, neceſſarium duxi, an forſan ſeniores quoque præconceptis ſuis opinionibus obrutos, Juſtitiæ cauſa levem. Quibus utrisque ſimilem adhuc in teſtificando lapſum innuere convenit, non quod nullum alium, præter hunc ac antecedaneos errorem in praxi Medico-Forenſi deprehenderim, ſed ut, paucos hos ſine præjudicio penſitantes, alibi cautius mercari & alios aliorum generum declinare ac vitare contendant. De Septimeſtri partu an, & quomodo vitalis ſit? inferius dicam, hujus loci ſaltim erit, quam enormiter fallantur ac fallant, qui in caſibus individualibus decernere, ſibi præſumunt: dum, quia, quæſtionem generalem affirmant, mox omnem, qui pro ſeptimeſtri venditatur, talem aſſerunt; cum tamen non de ſeptimeſtri partu in genere, ſeu in theſi, ſed in hypotheſi, i.e. de Mæviæ partu, an hic ſeptimeſtris exiſtat, quæratur. Sc. utut forſan non plane impoſſibile eſſe concedatur, fœtum ſeptimo menſe aliquando naſci, eum- *Non omnis partus pro ſeptimeſtri*

venditatus eſt talis. que vitalem: individualis nihilominus applicatio ſeu ſubſumptio non ita facilis deprehenditur, & ſingulari prudentia indiget, qua nimirum per nati accuratiorem inſpectionem Medico inveſtigandum erat, num, quem ſeptimeſtrem ajunt, ſeptem menſium fœtus conformationem habeat, functiones præſtet, adeoque vere talis ſit? Perinde ſiquidem ac de virginitate, prægnantia, fœtu abacto, lethalitate vulnerum &c. judicari nequit, niſi luſtratis per inſpectionem, contrectationem &c. circumſtantiis in ſubjecto ſeu individuo, de quo deponere rogatur: ita vix adeo paradoxum videri debet, ſi Medicus, antequam præſumptionem de partu hoc vel illo ſeptimeſtri, an vitalis? Jureconſultus, an legitimus? an ſecus? exponat, ſubjectorum explorationem accuratiorem præmittat. Et ſicut, dum vulnera v. g. Cerebri, Pulmonum, utplurimum lethalia cenſentur, exin inferre haud licet, E. etiam vulnus cerebri in Sempronio, pulmonum in Cajo, lethale eſt; ſed disquiſitione demum facta, an horum vulnerum conditiones ſeu habitudines tales ſint, ratione quarum lethalia aut minus lethalia hæc concipi queant, hujus vel illius generis pronunciantur: pari ratione agendum erit, ubi partus hic vel ille ſeptimeſtris aut non ſeptimeſtris dicendus.

Prudentiam hanc profitetur ac commendat *F. Fidelis de Renunc. l. 3. ſ. 7. c. 6.* ubi ſcribit: *ſi, qui partus prodit in lucem, juſtæ magnitudinis, nec adeo imbecillus fuerit, hunc mihi ante ſeptimum menſem natum fuiſſe, nemo perſuadebit: quando & qui etiam ſeptimo naſcuntur, imbecillos prodire, ſatis conſtat.* Et paulo poſt, *ut teſtis eſt Ariſtoteles, magna ex parte hic etiam infirmior eſt:* ac denuo *qui ſeptimo menſe utcunque nati ſunt, fere omnes exiguo, &, niſi bene valida formatrix facultas fuerit, quaſi imperfecto corpore eduntur, quique nondum juſtum naturæ robur aſſecuti fuiſſe, videri poſſent.* Nec negligere cautelam eandem videntur JCti, dum equidem Septimeſtrem partum vitalem præſumunt, ac legitimum decernunt, vix tamen in judicio de hoc vel illo ferendo omnem circumſtantiarum ponderationem & applicationem excludunt, quin potius, ubi de maturo ac non maturo, ſive legitimo ac non legitimo, nato quæſtio, obſtetricum ac phyſicorum dicto ſtare jubeant, v. g. *Maſcardus de probat. concluſ. 1088.* Ac memini, non ſemel Facultatem noſtram ſuper atteſtata Medicorum

rum ac obſtetricum de ejuſmodi partibus intempeſtivis rogatam fuiſſe, v. g. Anno 1628. menſe Auguſti, ubi, an Septimeſtris, an Octimeſtris natus per inſpectionem dignoſcere poſtulabatur; etſi, quia hic tunc temporis a nativitate ſua annum creſcendo tranſcenderat, fruſtra. Quemadmodum pariter Anno 1697. menſe Octobris poſtulata eadem reſpondebat, ex certis imperfectionis editi corporis ac hujus membrorum ſignis, ex languore atque virium imbecillitate, quæ in nato, donec verum & conſuetum partus tempus, i. e. decimum menſem, attigerit, obſerventur, ſatis probabiliter concludi poſſe, partum præcociorem juſto eſſe: quod nihilominus præſenti haud applicandum, de quo ex atteſtati tenore conſtaret, eum omnibus partibus perfectum, maturum, adeoque pluſquam ſeptimeſtrem, videri.

Et quamvis Leges harumque interpretes, in favorem Matrimonii, illum, qui, juxta *L. 12. ff. de Statu homin. ex juſtis nuptiis*, i. e. poſt nuptias, ſeu in conjugio editus, *juſtum filium* ſine Medicorum indagine atque cenſura præſumant: vix tamen compareat, cur ad alios quoſvis hujus generis caſus, v. g. illius quoque, qui ex ſcortatione natus, beneficium ſeu privilegium hoc extendendum veniat, quin potius ſuperveniente demum inſpectione, & illius partium atque functionum ponderatione res in hypotheſi decidi debeat. Signa partum ſeptimeſtrem autem a maturiore & naturali magis diſcernendi evidentiſſima ſunt, cum ille non ex naturæ inſtituto, ſed a morbo, naſcatur: hinc autoritate non tantum Ariſtotelis, quem Scriptores communiter teſtem producunt, ſed experientia quoque, patet, omnem ſeptimeſtrem cum aliis præcocioribus illud peculiare habere, ut non undique abſolutus compareat, ſed vel capitis commiſſuris hiantibus, vel aurium meatibus oppilatis, digitis manuum ac pedum connexis, podice vel arctius clauſo, vel nimis hiante, & aliis ſimul notis inſignitus prodeat, quæ eum imperfectiorem præmonſtrent, non ploret, non ſugat, non ſternutet, nec urinam & alvi fœces reddat &c. adeo, ut qui ſecus naſcantur non pro ſeptimeſtribus ſed maturioribus, ſint habendi. **Sed in hoc dijudicando inſpectione opus.**

Neque tamen in cauſis dubiis ac difficilioribus ſententiam ſuam ſuſpendere Medicus conſcientioſus ac cordatus erubeſcat, ut *cap. 2.* pari- **Medico aliquando ſententiam**

ſuſpendere licet; cedat etiam peritiori.

pariter monitum: imo peritiori cedat, hujus, non quidem auctoritate, ſed argumentis, convictus. Proin nec Scriptorum, quos in hoc doctrinæ aut argumenti genere anteſignanos novit, evolutio ipſum tædeat: cum caſuum identitas ſeu conformitas ac analogia Virum prudentem eousque minime conturbare valeant, quin cauſas difficiliores & ſanguinem humanum aliquando concernentes, ſine præjudicio ex iis dijudicet. Ideo ſiquidem communiter ſuadent Doctores, non Medici tantum, ſed Legum quoque, ut conſignet in cadavere occiſi v. g. obſervata in tabulam, quo domi commodius de his rationari valeret.

Sit cautus in futuris prædicendis.

In ſpecie ubi de futuris deponendum, v. g. vulnerati ſalute ac morte, cautum in prædicendo ſe gerat Medicus, i. e. prognoſin haud præcipitet, cum ejus ars ſit conjecturalis, & per varias internas perinde ac externas circumſtantias morborum eventus fallant: hinc quantum opportune licet, præſagium potius differat, admonitus hujus prudentiæ a *Paræo*, *Codronchio*, *Guillemæo* &, qui his cunctis facile potior, *Hippocrate*, *Morborum acutorum*, qualibus ſine dubio vulnera periculoſa accenſentur, *difficiles prædictiones* aſſerente. Et vix ſub primo ſtatim plagæ conſpectu, etiamſi hæc bonæ ſatis indolis compareat, ac ante ſeptimum diem, vulnerato certam ſalutem promittat, niſi triumphum ante victoriam canere audiri malit: intra quod demum ſpatium ſymptomata ſe exerere ſolent, de habitudine percusſionis exactius teſtantia, & ſalutis aut lethalitatis imminentis documenta. Auſcultandum erit hoc in paſſu *Hippocrati*, quando, poſtquam *2. prognoſt. t. 1.* diverſa futura a medicis prædici innuerat, *t. 2.* hæc ſubjungit verba: *Ego vero talia quidem non vaticinabor, verum ſigna ſcribam, ex quibus, & ſanos futuros homines, & morituros, conjectare oportet.* Dum, prout *part. 1. cap. 8.* monitum, Ars noſtra, licet inter cœteras omnes ratione atque experientia magis ſtabilita ſit, nihil tamen omnino certi unquam prævidere ac prædicere, ſed cuncta ſola conjectura aſſequi, valet: neque in viribus hujus eſt, futura certo cognoſcere, hoc enim Vatum præcipuum, non Medicorum, qui conjecturaliter tantum, & per ſigna futura præſcire ſolent. *Conſulo autem*, pergit idem *Hippocrates l. a. t. 3. ut quam prudentiſſime agant, tum in reliqua arte, tum in hujuſmodi prædictionibus: illius probe memores,*

mores, quod, ſi cui ſucceſſerit prædictio, is apud ægrotum (quemvis) intelligentia præditum, in admiratione erit: ſi vero quis aberarit, ſupra hoc, quod odio habetur, fortaſſe etiam inſanire videbitur, &c. Utut, dum hoc moneo, probe ſimul recorder illius vel Vulnerantium incarceratorum forſan, vel aliquando Judicum quoque, importunioris percontationis, frequentioris ſciſcitationis atque intempeſtivæ poſtulationis, ſeu tantum non extorſionis, qua Medicum & Chirurgum, percuſſi medelam gerentes, laceſſunt, &, ut intempeſtive de vulneris eventu deponant, urgent: qui nihilominus, ſi ſecundum regulas artis & conſcientiam agere malint, tentaminibus ſeu poſtulationibus ejuſmodi haud auſcultant, multo minus per hæc in judicia præpropera & præpoſtera ſe abripi patiuntur, tutius cenſentes ac juſtitiæ minus derogare, Percuſſorem in cuſtodia forſan diutius paulo detineri, quam feſtinante Renunciatione conſcientiam & famam præcipitem dare.

De cœtero in futuris æque præſagiendis, ac factis determinandis, & horum cauſis propinquioribus innuendis, Medico maxime cavendum erit, ne in hypotheſibus Medicis ac Phyſicis admittendis nimis facilis deprehendatur, illis ſc. de quarum fide canonica nondum adeo liquet, imo ſuſpectæ adhuc veritatis, ſunt. His enim exiſtimationem & ſanguinem Proximi ac conſcientiam propriam concredere velle, temerarium nimis videri poterat: ut nihilominus ab imprudentioribus fieri, quotidie obſervamus, & variis exemplis doceri poterat. Sine dubio inter opiniones ejuſmodi anticipatas, quæ dubiis, ſi non fallacibus, veterum dogmatis innituntur, eſt, quod cum Philoſophis plerisque Legum Interpretes, v. g. *Aretinus de malefic. Menoch. de arbitr. judic.* ſibi perſuadeant, fœtus humani corpuſculum utero materno aliquandiu inanimatum inexiſtere, ſeu animam rationalem, illi poſt organizationem demum abſolutam, id eſt, non illico a conceptione, infundi; præeunte forſan hoc in paſſu *Ariſtotele*, dum embryonem primo vita plantæ, deinceps animalis, ac poſtremo hominis vivere, nec ſimul animal & hominem fieri, aſſerit. Unde factum, ut leges Canonicæ pariter, ac civiles aliam rationem habuerint fœtus animati atque inanimati, ſeu antequam animam rationalem receperit, adeoque abortum prioris, data opera concitatum, gravius, i. e.

Non adeo facile admittat hypotheſes dubias.

ultimo ſupplicio, poſterioris exturbationem pœna tantum extraordinaria, puniendum ſanciverint: ſi unicum forſan excipiamus *Menochium*, qui *de arbitr. Jud. l. 2. cent. 4. caſ. 357. num. 9.* pœna extraordinaria indifferenter, tam qui animatum, quam qui inanimatum abigit, puniendum cenſet, & quidem occaſione *l. 4. ff. de variis & extraord. crimin.* ac *l. 8. ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* Quærunt proin, qui communem ſententiam ſequuntur, illarum Adminiſtratores, ad hunc usque diem, a Philoſophis ac Medicis & reſciſcere poſtulant hoc animationis tempus: quod hi prompte ſatis, ne dum præcipitanter, quamvis diſpari dierum numero, determinare ſibi præſumpſerunt. In eo equidem omnes conſentiebant fœtum tunc demum anima inſtrui, ubi perfecte formatus fuerit, aſt in hoc multum divergebant, quod *Fienus de form. fœtu quæſt. 10. concluſ. 11.* tertio ſtatim die, *Mercurialis de morb. mul. lib. 1. cap. 2.* ſeptimo, *Hippocrates* paſſim v. g. *de natura puer. t. 10. & 11.* ac *Galenus 15. de uſu part. cap. 5.* in maſculis trigeſimo, in fœmellis quadrageſimo ſecundo, fieri tradunt, aliis ad ſexageſimum, octogeſimum & nonageſimum diem inclinantibus. v. g. *Zacchia lib. 1. tit. 2. quæſt. 9. §. 24.* ac ex Jureconſultis *Menochio l. a. n. 3.* & *Joh. Alphonſ. Riccio prax. Archiepiſc. Neapolit. p. 609.* ex *Bartholi* aliorumque opinione. Quamvis *Zacchias l. 9. tit. 1. quæſt. ult.* mentem ſuam mutarit, & illico a conceptione facta animam embryoni accedere, ſeu, ex *Thomæ* hypotheſi, infundi, aſſeruerit.

De fœtus animatione.

Sed eo ipſo, dum cum ſanioribus Philoſophis, v. g. *Themiſtio*, *J. C. Scaligero*, *Sennerto*, *&c.* animam ſui domicilii ſeu corporis Architectum concipimus, Conceptus humanus nunquam non animatus exiſtet: proin fruſtra ſe torquent, qui terminum quemcunque animationis poſt conceptionem demum ſciſcitantur. Neque adeo facile hunc invenient, quamdiu penes illos non tantum, ſed Theologos etiam, litigatur, ac determinari forſan unquam nequit: an anima rationalis per traducem propagetur ſeu congeneretur? an a Deo immediate creetur ac primis fœtus ſtaminibus infundatur? hinc dubia pariter ac ſuſpecta evadet legum illarum auctoritas ac ſanctimonia. Priorem enim opinionem ſi admittamus, ſtatum & firmum maxime erit, animam mox ſub primo conceptionis articulo embryonis corpuſculo ſubinexiſtere, & per conſequens, hunc nunquam non hominem

nem dicendum fore; qui, ſicut in aliis caſibus, ubi præſertim de commodo ejus agitur, per leges pro nato habetur, v. g. ut hæreditate paterna fruatur, etiam in hoc, ne occidatur, ac incolumis conſervetur, talis æſtimandus venit. Ita ut ſatis mirari nequeam illorum hactenus Medicorum inconſideratam temeritatem, quorum plurimi hypotheſi de congeneratione animæ enutriti, ſeu Traducianos ſe profitentur, vulgari nihilominus doctrinæ, de fœtus poſt conceptionem demum animatione, inhærent, ac terminum ejus breviorem longioremve, a Judice quæſiti, pronunciant. Quemadmodum nec capere poſſum, cur illi legum quoque Interpretes & Adminiſtratores, quorum nihilominus Noſtratium pleroſque ex Traducianorum ſchola philoſophica prodiiſſe novimus, de ratione, hinc æquitate, ſuæ legis nunquam dubitarint; ſed in ſententia de fœtus abacti pœna ferenda antiquum ſemper obtinuerint, intelligentes, cum ſemine ſtatim in generationis opere animam in primum embryonis germen transfundi. Neque qui Infuſianos ſeu Inducianos ſe venditant, quamdiu de tempore accreationis ſeu infuſionis ejuſmodi ambigunt, ac ambigere neceſſe habent, (hoc quippe alii cum generationis tempore idem, alii huic plus minus poſterius, autumant) actuationis hujus terminum determinabunt; inprimis ſi poſt generationem factam ſeu tunc demum, ubi embryonis machina ad receptivitatem animæ rite diſpoſita ſeu perfectius organizata eſt, eam a Creatore inſpirari ſupponunt: ſicut, qui in ipſo generationis actu hoc fieri contendunt, non habent, cur in aliud animationis tempus diſquirant.

Non improbo unius alteriusve Celeberrimi Juriſperiti dubitandi prudentiam, Philoſophorum equidem doctrinæ in hoc condeſcendentis, ut partum mox a conceptione vitalem concedat; cum vero vitalitatis hujus ſigna ſenſus non ſtatim incurrant, proin illa adhuc incerta ſit, & poſt medium geſtationis tempus demum ex motu partus, hunc vivere, innoteſcat; ante hoc tempus abortum moventi pœnam extraordinariam tantum decernentis. Eo ipſo tamen, dum a tempore conceptionis ſtatim fœtum vitalem pronunciant cum Philoſophis ac Medicis illorum eruditiſſimi, cur ſigna vitalitatis, tanquam rei evidentis ac conceſſæ, aliunde expectent aut expetant non apparet. Motum equidem fœtus localem ante quintum menſem

vix,

vix, aut rarius, ſentit gravida, motibus nihilominus ſeu functionibus vitalibus eum gaudere, ipſa ejus generatio, cujus Architectum animam modo diximus, nutritio atque augmentatio primordialis evincunt. Jungo his obſervationes ſeu experimenta, in oviparis facta, ubi punctum ſaliens, tertio ſtatim incubationis die in Cicatriculo ſeu Vitelli Colliquamento, tanquam pulli primo rudimento, conſpicuum, de vita hujus actuali dubitare haud feret. *F. Fidelis* demum *l.3. ſ.6.c.4.* rem ita decidere ſatagit, ubi conceptus abortivi copia fieri poſſit, ſi expreſſa & diſtincta ejus comparuerint membra, quocunque tempore illud obtingat, indubie animatum fuiſſe fœtum, referri poſſe; ſin vero aliter compareat, illum nullo pacto hominem fuiſſe, affirmandum fore. Quodſi vero ejuſmodi inſpectionis facultas haud detur; Jurisperitos imitandos eſſe, qui pro reo ſemper in ambiguis ſtatuere conſueverint, & ex diverſis, a Philoſophis ac Medicis diverſis traditis, animationis fœtus terminis, longiſſimum, ſc. quatuor menſium, ſecuriorem & cœteris, ubi abortus criminis puniendi cauſa Medici rogatur ſententia, anteferendum fore: neque hoc tamen adeo categorice ab eo fieri debere, quin reliquorum etiam terminorum mentionem faciat idem, nec neceſſarium ac perpetuum, ſed frequentiorem tantum, illum aſſerat. Verum, dum ex modo adductis conſtat, ac minime amplius negandum, illa quoque fœtus ſubtiliora ſtamina, quæ oculos noſtros adhuc fugiunt, vitalia & animata exiſtere, equidem cujus membra diſtinctius formata, vere animatum pronunciare, illum vero, cujus prima & tenella lineamenta, oculos noſtros fugiunt, non contra inanimatum, protinus aſſerere, licebit. Ac eo ipſo, dum aliquot ſeptimanarum fœtum, ſeu cujus membra ſatis diſtincta cernuntur, per avtopſiam animatum ait, cur non viſum quarto demum menſe talem dicere audet? Legibus quidem ac JCtis in re dubia mitiorem ſententiam prompte concedo, Medicorum tamen haud eſt, rem certam incertam ſeu dubiam reddere, i. e. de animatione conceptioni ſine dubio contemporanea & ab hac inſeparabili non amplius dubitandum: niſi per hæſitantiam ejuſmodi ineptam abortum animati fœtus nefarie cienti patrocinari, & tenelli hujus ſanguinis ac necis correum ſe exhibere quis velit; Fœtus quippe ſine anima non eſt fœtus. Liceat mihi ita ambigere,

non

non de legis auctoritate, quod Legiſlatoris & Interpretis eſt; ſed hujus tantum ratione, quod Medicorum.

Ejusdem forſan indolis eſt, quod de ſtigmatis Sagarum exigitur, Medicorum arbitrium, aſſerentibus nonnullis Scriptoribus eorum exiſtentiam, v. g. ex Medicis *B. Codronchio de morb. venefic.* & *Joh. Huchero de ſterilit.* ex JCtis vero *P. Oſtermanno de Stigmat.* negantibus eam aliis, v. g. *Zacchia lib. 7. tit. 4. quæſt. 2. 3. & 4.* Nec firmioris fundamenti obſervatur Cruentatio cadaverum occiſorum, quam præſente occiſore fieri, nonnulli Philoſophorum, v. g. *Lucretius 4. de nat. rer. Cœl. Rodigin. 3. Lect. antiqu. c. 21. Lev. Lemn. 2. de occult. nat. mirac. c. 7.* ac Medicorum v. g. *Valeriola 2. obſ. 7.* & *Libav. ſingular. part. 2. tr. 5.* ac in peculiari tr. *de Cruentat. cadaver. injuſta cæde factor.* fabuloſe ſatis tradiderunt, ipſemet duplici experimento concutere poſſum: quibus Scriptoribus nihilominus Celeberriores nonnulli Legum Doctores, v. g. *Par. de Puteo de Syndicat.* ubi *de Tortur. P. Gr. Tholoſan. Syntagm. Jur. univerſ. l. 36. c. 20. num. 5. Nicol. Florentin. tr. 1. ſerm. 5. cap. 6. Boër deciſ. 166. n. 1. Hippolit. de Marſil. prax. crim. §. diligenter num. 181. Chaſſaneus pr. de judic. cap. 3.* & *Menoch. de arbitr. jud. lib. 2. caſ. 270. num. 16.* ſententias ſuas adaptarunt, & ex hoc phœnomeno indicium homicidii perpetrati petierunt; quamvis eorum alii, v. g. *Farinacius theor. & pr. Criminal. part. 1. Tom. 2. lib. 2. quæſt. 52. num. 156. Teſſaurus deciſ. 174. num. 7. Gomez. variar. reſol. 3. cap. 13. num. 15. Bocer de tortur. cap. 3. n. 21. Zanger. de quæſt.* & *tortur. cap. 2. num. 160. P. Heigius part. 2. quæſt. illuſtr. 39. num. 95. 96. ſeqq. Carpzov. prax. crim. part. 3. quæſt. 122. n. 33.* ac *Feltman. de cadav. inſpic. cap. 59.* ambiguæ ac periculoſæ huic, & quæ judicis intellectum tranſcendit, probationi in ferenda de vita hominis ſententia minime fidendum eſſe, prudentiſſime moneant, & *Treutlerus 2. diſp. 4. th. 7.* utut hoc experimentum rariſſime fefelliſſe perhibeat, id tamen cum *Carpzovio l. a.* haud aliter admittat, niſi aliis quoque indiciis reus gravatus fuerit.

De Stigmatis Sagarum.

De Cruentatione cadaverum.

Porro Medicorum Renunciationes (olim frequentius ac hodie) aliquando ſollicitantur, & horum quidam in deponendo plus faciles juſto ſe præſtant, ubi de Juvenculæ Virginitate integra corruptave controverſia emergit; hujus caſtitatem theoriis ac conjecturis meris,

De Virginitate.

 ſeu

ſeu ſignis fallacibus maxime ac omnem avtopſiam nonnunquam ſuperantibus, dimetientes: i. e. utut de certo ac infallibili virginitatis ſigno nondum conſtet, & quæ hujus generis communiter enarrantur, vel avtopſiæ haud obſerventur congrua, vel fallant, aſſerentibus hoc Medicis non modo, ſed JCtis pariter, utrisque magnæ doctrinæ atque auctoritatis *cap. ſeq.* recenſendis.

De partus naturalis tempore. Quoad famoſam illam & frequentem ſatis penes Legum Prudentes pariter, ac Adminiſtratores, de Partu legitimo, controverſiam, in hac decidenda itidem pro vero ſupponunt, quod dubium ac falſum, aſſumptum: quaſi ſoli homini præ cœteris animantibus certus naſcendi terminus haud ſit conſtitutus, ſed modo ſeptimo, modo octavo, nono, decimo ac undecimo ille lucem hanc conſpiceret. Invaluit, neſcio, qua animi levitate & per nimiam ſine dubio Antiquitatis venerationem hoc dogma, cujus ſine dubio auctor primus extitit *Ariſtoteles 4. de gener. animal. 4. & 7. hiſt. animal. 4.* ſeductus forſan per *Hippocratis* auctoritatem, qui de *Septimeſtri* ac *Octimeſtri partu*, vario tempore editos, i. e. ſeptimeſtres, decimeſtres ac undecimeſtres, vitales & ſecundum naturæ legem naſci ſcribit, *1. de diæta t. 19.* quoque alios maturius, alios ſerius, naſci, aſſerit: ex quibus iſte temere ſatis infert, cum cœteris animalibus cunctis unum pariendi tempus a natura conſtitutum ſit, ſoli homini multiplex & varium concedi. Aſſentatorem mox ſibi reperiebat *Plinium 7. natur. hiſt. c. 5.* qui ex Veſtilia menſe ſeptimo Sempronium ac Corbulonem, Suilium Ruffum undecimo, ac Cœſoniam octavo, natos perhibet, ſimulque ex *Maſſurio* adducit, L. Pappium Prætorem, ſecundo cohærede lege agente, bonorum poſſeſſionem illi dediſſe, quem mater partum tredecim menſibus tuliſſe aſſereret. Adſtipulabantur his Scriptores Medici multi, v. g. *Mercurialis de Morb. mul. 2. c. 1. Joubertus 3. error. popul. c. 2. Mercatus 4. de mul. affect. Trincavellus epiſt. medic. 5. M. Donatus 4. hiſt. mirab. 13. Horat. Augenius tom. 2. epiſt. & conſult. 6.* ac in *peculiari tractatu, quod homini non ſit certum naſcendi tempus: Codronchius method. teſtif. cap. 14.* ac *Rodoric. a Caſtro 4. de nat. mul. cap. 1.* Hinc non mirum per traducem quandam ac credulitatem nimiam ad forum, quoque ac tempora noſtra devolutum fuiſſe hoc dubium antiquitatis dogma, ut videre eſt penes *Menochium de arbitr. jud. l. 2. cent. 1. caſ. 89.*

num.

num.34.37.ſeqq. Habnium in Weſenbec.ff.l.1.tit.5. Carpzov. prax.forenſ.cap.27.defin.14. & *Richterum 2. deciſ.89.* Quamvis antiquiores Legislatores & JCtos in cauſis ejuſmodi hæſitantius egiſſe, inde conſtet, quod *Ulpianus 3.ff.in L. inteſtato §.finis de ſuis & legit. hæredibus* ſeptimo menſe natum legitimis quidem annumeret, paragrapho nihilominus immediate præcedaneo poſt decem menſes mortis patris natum ad legitimam hæreditatem haud admittendum caveat; & *Imperator Novellar. conſtit.39. cap.2.* undecimeſtrem partum opus naturalis concupiſcentiæ, it. Partum impiiſſimum, appellet; hinc mulierem, quæ undecimo a morte mariti menſe pepererat, cum defuncti partus dici vix poſſet, antenuptiali donatione privandam juſſerit. Verum omnes hi Antiquitati potius doctrinæ, anteceſſorum Auctoritati & ſuſpectis muliercularum enarrationibus, quam Veritatis ſenſui reclamanti ac dejeranti, ſeu Naturæ conſtantiſſimo inſtituto, ſecundum quod cuncta eadem ſemper ratione agit, annuere videntur, ut egregie ac perſpicue evicerunt *Arniſæus de termin. part. legit. F. Fidelis 3. ſect. 7. c. 2.* ac *Zacchias quæſt. med. legal. l.1. t.2. quæſt.1.* atque *Harveus de partu.*

In ſpecie quoad partum Septimeſtrem atque Octimeſtrem non apparet, cur *Hippocrates de ſeptimeſtr. & octimeſtr. partu* priorem non modo vitalem, ſed pro ratione quoque ac naturæ inſtituto edi, alterum nunquam vitalem, aſſeruerit, ac in partes ſuas mox traxerit infinitos alios Medicorum v. g. *Fernelium conſil.25. Laurentium 8. quæſt. 29. ac 3. Levinum Lemnium de occult. nat. 22. Amatum Luſit. 5. curat. 15. Marcell. Donatum l.8.* ac *R. a Caſtro de nat. mul. 4. cap. 6.* hincque JCti omnes illum legitimum, hunc abortivum, mortuum & illegitimum pronunciarint atque ab hæreditate paterna excluſerint, v. g. *L.12.ff.de ſtatu hom.* it. *L. Inteſtato de ſuis & legitim. hæredit. num.12. Alexand. in L. Gallus ff. de libr. & poſthum. n.21. ſeqq. Clarus 3. ſentent. §. Teſtament. n.3. Tiraquellus in l. ſi unquam Codic. de revocat. don. Maſcardus concluſ.1088. num.1.* ac *concluſ.1146. n.8. & 9. Matth. de Afflictis deciſ.226. Menochius de arbitr. judic. l.2. cent.1. caſ.89. n.38.* ac *de præſumption. l.4. præſ.111.* & *Boſ. quæſt.220.* Paradoxorum horum eas quidem tradunt rationes, quod menſe ſeptimo, tanquam critico, fœtus ad exitum ſeu enixum moveatur, vel ad partum totis nervis con-

De partu ſeptimeſtri ac octimeſtri.

tendat, juxta *Hippocrat. de partu ſeptim.*, per conatum vero hunc ſeptimo menſe enitendi fruſtraneum debilitetur & languidus evadat, hinc menſe ſtatim octavo eosdem labores, ſine virium ſuarum notabili jactura, juxta eundem *de octim. partu*, repetere nequeat: quodque Saturnus, Planeta frigidior, octavo menſe partum dirigens fœtum, præter modum infrigidet, adſtipulantibus *Avicenna l. 3. fen. 20. tr. de abortu, Petro Apponenſi diff. 49. Valeriola 3. enarr. 7.* & *Valleſio controv. l. 2. c. 10.* Aſt non immerito a futili hac ſententia recedunt modernorum Medicorum diverſi, v. g. *F. Fidelis l. 3. ſ. 7. c. 6. & 7. Sennert. inſt. l. 1. c. 10. & prax. 4. part. 2. ſ. 1. c. 1.* Zacchias *1. tit. 2. quæſt. 3. & 4. H. Augen. de part. temp. lib. 2. c. 16. & tom. 1. l. 8. epiſt. 2. & Cardanus l. 1. contrad. med. 8. tr. 3. Harveus de partu* aliique, nec ſine ratione.

Non omnem ſeptimeſtrem Hippocrates vitalem ait.

Quippe primo vim inferunt *Hippocrati*, dum, quaſi fœtum ſeptimeſtrem omnem abſolute vitalem dixerit, cum Medicis Imperator hujusque interpretes aſſerunt: cum nihilominus hæſitanter ſatis hæc *de ſeptim. partu* ediſſerat: ubi videlicet quosdam diebus centum & octoginta duobus vel tribus aliquando naſci equidem ſcribit, mox tamen addit, plures horum perire, & ex ſeptimeſtribus, qui ſuperſtites maneant, paucos obſervari. Quod proin raro admodum contingit, dogmati generali ac infallibili formando parum auctoritatis habet: inprimis ubi in fraudem legis & hujus fundamenti varia evenire queant & ſoleant, v. g. fœminarum ignorantia, malitia, &c.

Nec fœtus ſeptimo demum menſe movetur.

Ante nonum menſem qui editur, fœtus ſemper p. n. excluditur.

Nec ſecundo tanti momenti eſt ratio a fœtus motu petita, quem ſeptimo menſe hunc exerere ajunt communiter, cum præter experientiam eodem *Hippocrate de natura puer. t. 20.* teſte, idem ordinarie citius moveatur, die trigeſimo ac quadrageſimo, aut aliquando maturius. Quibus tertio accedit, juxta *Hippocratem l. a. t. 38.* omnem, qui ante elapſum novem menſium, ſeu ante decimum procedat, vel ab affectione quadam violenta, quam perpeſſus fuerit, vel ab alimenti penuria, ad intempeſtivum ejuſmodi enixum urgeri, adeoque hujus partum nunquam ſecundum naturæ inſtitutum fieri; utut idem *Hippocrates de ætate*, ſui forſan oblitus, ex numero ad hebdomatas ſeptenario exacto concludere ſatagat.

Ficulnea perinde argumenta deprehenduntur, quibus octavo menſe

menſe natos ſeptimeſtribus minus ſuperſtites eſſe poſſe, concludunt. Nam quoad hypotheſes aſtrologicas, quaſi (ut cœtera mittam) Luna ſeptimo menſi præſit, ac ratione plenitudinis atque perfectionis, cum cœterorum planetarum, per antecedaneos ſex menſes influxu concurrentis, conceptum ultimato perficiat ac vitalem reddat; dum contra Saturnus, cœteris antiquior fœtus prima ſtamina eorumque fabricam in primo quidem menſe dirigat, frigidior tamen & languidus vade cum octavo menſe denuo litet, hinc partum quoque admodum infrigidet ſeu invalidiorem præſtet: eas nugas & foliis ſeu oraculis ſibyllinis impares maxime ait *Godofredus ad leg. 3. de ſuis & legit. hæred. ff. n. 12. lit. E.* declarant etiam earum ineptitudinem tantum non cunctæ horum notiones.

Nec octimeſtris ſeptimeſtri minus vitalis.

De cœtero quoad motum ſeptimo menſi ſolennem, & quem partui octimeſtri præjudicare ajunt, quaſi conatibus antecedaneorum & ſubſequentium menſium majorem, id eſt, qui parturitionem intendat, merito hic in dubium vocatur; cum partus conatibus haud par obſervetur: aut, ſi talis foret, vix apparet, cur nihilominus ipſe verus partus ad decimum usque menſem, illo facto, ſine fœtus damno, prorogetur? vel cur non intra menſem integrum vires ſeptimo menſe fractas recolligere poſſit hic, & partui octimeſtri ſufficiant, ſi ſc. ipſo menſe ſeptimo vitalis naſcatur. Et, ſi experientiam genuinam conſulamus, ſeptimeſtris pariter, ac octimeſtris, aliquando vitales deprehenduntur, ututambobus hoc rarius eveniat: ac ſi allegatas aliasque leges evolvamus, equidem harum auctoritas legitimi partus duos tantum terminos, ſeptimum nempe ac decimum menſem, ponit, de excludendis vero intermediis temporibus nihil monent. Unde inferre convenit, eas fidem *Hippocratis* de partu octimeſtri non vitali ſeu minus vivaci haud tanti feciſſe. Siquidem ſi naturale & ſolenne maxime naſcendi fatale finis noni ac principium decimi menſis eſt, ſine dubio fœtum, quanto longius ab hoc termino recedit, tanto minus perfectionis ac virium, ad functiones vitales neceſſariarum, eum habere, probabile ſit: & per conſequens haud debilior, ſed perfectior ac robuſtior ſeptimeſtri erit octimeſtris, hinc magis vitalis; confirmante hoc inprimis ſenſuali experientia, qua octimeſtris fœtus per validiores intra alvum maternam agitationum co-

natus, majus robur & editus ſolidiora & perfectius formata ordinarie oſtendit membra. Adeoque circumſpectiores in hypotheſi de octimeſtri non vitali admittenda ſe gerere videntur nonnulli JCti recentiores, v. g. *Hahn ad Weſenbec. paratitl. de ſtatu homin. n. 3. ac ff. de ſtatu hom. p. 29.* atque *Carpzovius prax. forenſ. c. 27. defin. 14.* Et concludendum videtur, ſeptimo æque ac octavo menſe natum vitalem haud eſſe dicendum, cum ante debitum ac a natura, frequentius atque ordinarie aliter agente, definitum tempus uterque naſcatur; niſi illam temere fruſtra ac caſu agere velimus: ſeptimo menſe quidam fœtus illud perfectionis culmen dum attingeret, quod aliis ante decimum haud conceſſum, perderet vero idem octavo menſe, præter omnem rationem. Interim nihilominus, ſi eidem naturæ negotium hoc accommodemus, octimeſtris, cœteris paribus, illo magis vitalis pronunciari poterit. Neque conſtat demum, cur illegitimus & hæreditatis incapax neceſſario dicendus hic veniat, dummodo vivus edatur, aliaque indicia eum non ſpurium præſtent: non enim vitalem eſſe ab hæreditate vix excludere videtur; adeo ut, quamvis hac non ipſemet fruatur, eam tamen in alios forſan, qui jure ſucceſſionis gaudent, transferat. Verum nolo alienos circulos turbare, ne Ulpiani rigore vapulem. Mihi aliisque ſufficient exempla recenſita, pro evincendo cum Philoſophis ac Medicis JCtos hactenus egregie hallucinatos atque deceptos fuiſſe, quod conjurato quaſi conſenſu ſuppoſuerint ſeu admiſerint diverſa dogmata, quorum veritas plus minus ſuſpecta, & quæ caſtigatione prudentiore emendanda ſeu rejicienda: qualis tamen vix, niſi a mutua Doctorum diverſarum ſcientiarum collegiatione ac conſpiratione, ſperari valet.

Neuter tamen horum vitalis.

Ubi de Fracturæ calvariæ diagnoſi, hinc Contuſionis capitis prognoſi, deponendum, ab *Hippocrate* & *Guidone de Cauliaco* plerique Chirurgorum ſeducti percuſſo caulem Aſphodeli, ferulam aliudve corpus durius, v. g. cruſtam panis, cretam &c. dentibus atterendum ſeu confringendum tradunt; quaſi ille ſub fortiora hac maxillarum colliſione ſeu niſu ſtrepitum aliquem intra compagem calvariæ oſſeam, fracturæ certum indicem, ſit percepturus: aut ægro funiculi extremum dentium primorum contentione validiore continere jubent, alterum ejus extremum ipſimet tendentes, ac ejusdem medium

De fractura calvariæ dignoſcenda.

digito

digito mediocriter impellentes; in qua ipſa impulſionis funiculi vibratione elaſtica, aſſerunt, læſum pariter non tantum fiſſuræ, ſed loci etiam fiſſi, per ſtridoris cujusdam dolorifici ſenſum, certo admoneri, & ad illum manu indigitandum urgeri. De quorum nihilominus ſignorum incertitudine audiendus ad minimum *Paræus*, dum *lib.9. cap.2.* ait: *Ego ſignorum horum veritatem nondum potui experientia comprobare, etſi in multis tentaverim:* cui addere poſſum meam experientiam, qua inſigniter ac lethaliter etiam fractos a morſibus ejuſmodi tentatoriis nihil omnimode moleſtiæ percepiſſe recordor.

Pariter quidam, animi inconſideratioris, plagas ἐγκεφάλυ enormiores aliquando minus lethales improvide ac jactanter ſatis pronunciant; quaſi his per Modiolum facile & commode mederi licuiſſet: cujus tamen inſtrumenti nec figuram, nec indicans genuinum, nec permittens ſeu prohibens, nec adminiſtrandi rationem, norunt; hinc in judicando ſe adeo præcipites dant. Vivos aquis ſubmerſos a mortuis inundatis diſcernere anniti *Paræum*, *Fidelem* & *R. a Caſtro*, ſuperius dictum, quaſi, qui vivi in aquam conjecti, ventrem aqua plenum oſtendant, mortui neutiquam: verum his quoque præter experientiam contradicit ratio, qua ob aërem potius denegatum, quam aquæ ingeſtionis molem, homines ſub hac ſuffocari, conſtat. Cujus etiam generis, i.e. periculoſum admodum ac fallax, illud experimentum eſt, de ſubmergentibus ac ſupernatantibus aquæ recens nati infantis pulmonibus, cujus in *cap.1.* mentionem feci & de quo *cap.ſeq.* prolixius diſſeram: quo nihilominus ſatis temerarie partum mortuum a vivo diſcernere ſibi præſumunt nonnulli. Ne addam circa imprægnationis & partus notas maxime incertas, item, circa venenationis ſigna valde dubia, ſub hypotheſium nihilominus infallibilium fide admiſſa, monenda; utpote de quibus inter generalia hæc prolixius agere haud quadrat.

Aliisque caſibus qui dubiæ innituntur hypotheſi.

Præterea perſpicuum undique in Renunciando ſe præbeat Medicus, omnemque ambiguitatem ac terminorum obſcuritatem quam ſtudioſe evitet, quo ſcopo negotii primario, i.e. ut res dubia certa ac evidens fiat, ſeu Judici clara reddantur cuncta, totus inniti videatur, prout *cap.2.* pluribus traditum. Coronidis loco non poſſum

Perſpicuus ſit Medicus in renunciando.

non

Nunquam vero in favorem deponat.

non hic animadvertere illum quorundam Medicorum inſulſum ſibique minus decorum Pietiſmum, quo, forſan ut ignorantiam ſuam occultent, vel charitatis chriſtianæ opus ſingulare exequi credantur, ubi de coitu illicito aut intempeſtivo præſumptio, & quidem evidens ſatis aliquando, eſt, Partum v. g. Septimeſtrem vitalem & naturæ recte agentis productum, contra ſcientiam & conſcientiam, in favorem ſeu honorem, ut ajunt, matrimonii ſeu liberorum, pronunciant: res naturales cum moralibus perperam confundentes & per hoc pietatis ſeu charitatis ſtudium vel tegmen falcem in alienam meſſem mittentes. Me haud latet, quantum penes Legum interpretes & in cauſis, per ſolas leges decidendis, v. g. dum adulterii pœna ordinaria in arbitrariam, remittente v. g. Uxore, mutatur, item, pœna ſcortationis, ſi quis ſtupratam in uxorem ducat, mitigatur, ac, ſive contrahendi, ſive contracti, ejusdem conjugii intuitu, in fornicationis delicto deprecatio publica plane remittitur, interceſſio puellæ aut fœminæ cujusvis ſolutæ, reum criminis in matrimonium petentis, hujus pœnam ordinariam tollit, Favor Matrimonii polleat, & quod propter hunc a regulis Juris ac Legum rigore non raro recedatur: ita quidem, ut in Foro pluris ſemper æſtimetur unius Doctoris ſententia, favorem hunc reſpicientis, quam plurium, eum negligentium eidemque derogantium aſſerta: aſt quale argumentum hic præſtabit Medico, non moralia, ſed naturalia mere, decernenti, Naturam explicanti, non Leges moderanti, non jus dicenti? Qui prætorem informare poſtulatur non, an Septimeſtris v. g. aut Undecimeſtris partus ſit legitimus? an ſucceſſionis capax? &c. hoc enim determinare, Legum & harum Peritorum erat; ſed an ſit vitalis, ſeu ſecundum naturam editus? quod ſine reflexione ad conjugium ſuperveniens aut contractum decidit, aut decidere tenetur idem.

(o)

CAPUT

Caput VI.

De
Renunciationum Difficultate.

Quo jure, ſc. optimo, medendi notitiam Artium omnium præclariſſimam *Hippocrates* appellavit, eodem ſcientiam Medico-Forenſem talem dicere ſine dubio fas erit, quod, notante *Lud. Septalio in epiſt. ad Zacchiam*, per hanc præſtantiſſimæ duæ Facultates, a quibus humanum genus gubernatur ac ſervatur, nempe Jurisprudentia ac Medicina, olim inter ſe de Principatu concertantes, amico & certiſſimo fœdere, quaſi ſorores, uniantur, ut & Leges ſtatuat Medicina, & Jurisprudentia medeatur: nimirum Judex morborum peccata litesque concertantium humorum cognoſcat ac remedia præcipiat; & ex adverſo Tribunali concedatur Medicina, quatenus Lex ipſa animorum deprehenditur Medela, ac Medicina corporum Lex vere audit, i. e. medeantur utræque, ac ambæ Leges conſtituant ac Jus dicant. Quodſi tamen, juxta illud *Theocritis* χαλεπὰ τά καλὰ, ſane arduam atque difficilem maxime Medicinam Forenſem quoque aſſerere neceſſarium, perinde ac Medicinam morborum idem *Hipp. in epiſt. ad Democrit.* difficilem fatetur, illam perinde ac hanc maxime conjecturalem. Quale quid ſicut in præcedentibus hinc inde innui, Jurisperitos ſc. æque poſtulantes ac Medicos referentes, ſcopo ſuo aliquando fruſtrari, i. e. nec hos ſemper intentioni propriæ ſufficere, nec illorum quæſitis ad amuſſim ſatisfacere: ita hallucinari interdum Artem noſtram in Caſibus forenſibus decidendis, plusque aliquando poſtulari a Nobis, quam quidem præſtare per naturam rerum conceditur, obſervo.

Medicinæ forenſis excellentia, ac difficultas.

Per naturam rerum ſeu per difficultatem intrinſecam quasdam controverſias medico-forenſes vix dirimi poſſe, ajo, non per imperitiam ac torporem deponentium, qualem *cap. 3.* Chirurgis ac Obſtetricibus noſtris v. g. plus quam frequentem eſſe, monſtravi, rudiores etiam Medicos premere, promptiſſime largior; utpote quam Artis ipſius auctoritati ac Prudentiorum ſagacitati nihil derogare palam eſt. Facile equidem mihi perſuaderi patiar, hanc meam ingenuita-

tem illis Medicis, qui opinionem vulgi & lucrum præ veritate atque conſcientia anhelant, valde moleſtam ac exoſam, Cavillatoribus vero notam imperitiæ meæ futuram, & quem Arti tribuo, defectum præcipitantiæ potius meæ, quam illius, fructum comparere. Verum, quamvis paucos forſan noſtrorum Doctorum nominare queam, qui aſſerto ſeu paradoxo huic meo in genere aſſentiantur, forſan quia pauci hoc ſcribendi argumentum in ſe ſuſceperunt: omnes tamen, qui hoc egerunt, obſervantur in quæſtionibus ſpecialibus ejuſmodi decidendis ſuam ſuæque artis infirmitatem deprecari, per alia potius, quam medica, ratiocinia illarum evolutionem moliri ſuadentes. Imo diſſerit terminis, ut gravissimis, ſic univerſalioribus, pro me toties allegatus *Fidelis*, quam fideliſſime, circa terminum Libelli ſui aurei ultimum. *Sed illud etiam ignorandum non eſt, in nonnullas rerum occaſiones Medicum nonnunquam incidere, ut, cum nihil certi de re propoſita conſtet, dubia omnia incertaque referre nos etiam oporteat. Non ſemper enim promptæ ſunt rerum atque affectuum notæ, ut propterea in dubia & ancipiti Medicorum Relatione ſatis juſta eſſe poſſit excuſatio.*

Finis Medicinæ Forenſis duplex. Finis nempe ultimus ſeu mediatus Medicinæ forenſis eſt Juſtitia, ſive hæc civitatis integritatem conſervandam, ſive pœnas delinquentibus decernendas ac declinandas, ſive partium jura defendenda ac evertenda, hinc ſuum cuique tribuendum, ſive quodcunque demum, ſpectet: intermedius autem ſeu immediatus plus quam varius & tantum non infiniti generis obſervatur, totidem ſc. caſuum dubiorum, quos ſuperius recenſere, vel innuere tantum licuit, deciſiones, dignotio v. g. vulnerum lethalium, virginitatis integræ ac corruptæ, prægnantiæ, pocillationis, &c.

Poſterioris tamen inprimis rationem habet Medicus. Quibus ita ſe habentibus fieri haud poteſt, ut priorem aſſequatur Juriſperitus, niſi ſuppoſito ac evidentiore reddito poſteriore per Medici ſcrutinium: & dum ſollicitus eſt Magiſtratus de ſolvendo aut confirmando v. g. Matrimonio, Medicus impotentiam coëundi in ſubjecto accuſato prius ut comprobet aut declinet, exigitur; Homicidii reus ſeu occiſor minime pronunciari poterit percuſſor, antequam vulneris illati lethalitas evicta; neque infirmi jus ac immunitas conceditur ulli, niſi cujus infirmitatem teſtetur Medicus; nec

eqvuleum

eqvuleum ſubterfugere poterit, niſi qui hernioſum, aut quæ prægnantem &c. ſe docuerit.

Harum E. ſimiliumque cauſarum vix eadem ſemper exiſtit ratio, & in illis decidendis par undique deprehenditur facilitas ac certitudo: quia earum nonnullæ, quas Prætor Medicum dirimere poſcit, aliquid equidem probabilitatis ſeu credulitatis præ ſe ferunt, eas tamen infallibiliter ſeu certo tales pronunciare, quia Medicus circumſpectus ac conſcientioſus detrectat, dubium dimittit illum, v. g. in pœna homicidii ordinaria determinanda, ſtupro puniendo, &c. Aut, ſi quæ tales decidantur a præcipitis magis ſibique præ aliis ſapientis ingenii hominibus, vel ideo tamen ejuſmodi eorum Criſes ſuſpectæ videntur, quod dubiis ac incertis non raro innitantur rationibus atque phœnomenis, hactenus quidem & per ſeculorum antecedaneorum credulitatem admiſſis, nunc vero per ſaniorem rationem atque teſtimonia experimentorum everſis.

Quædam cauſæ medico-forenſes difficulter deciduntur.

Quarundem deciſio dubiis innititur hypotheſibus.

Dubiæ autem ejuſmodi deciſionis quæ obſervantur, Quæſtiones Medico-Legales tales deprehenduntur vel promiſcue in ſubjectis cujuscunque generis: vel, utut alias evidentes ſatis ſint, non tamen ubique tales exiſtunt. Prioris claſſis plura argumenta obſervantur, quorum unum vel alterum tantum nunc innuam, aliarum difficultatum enodationem aliæ occaſioni reſervaturus.

Quædam dubiæ ſunt ſemper, quædam aliquando tantum.

Non raro ſimulatam ſeu ementitam Virginitatem a genuina ſeu illibata diſcernere poſtulamur, ſi nempe Glycerium vitiata caſtitatem integram jactet, infamiam ac pœnam metuat, v. g. lucrum & reſtitutionem in integrum ex matrimonio anhelet, qualia exempla paſſim obvia ſunt: aut ſi juvencula divortium quærat, ideo, quod a Marito cognoſci ſeu comprimi haud potuerit, qualem caſum *Zacchias Quæſt. med. leg. deciſ. 6.* narrat: aut ſi ſtuprator ſtupri culpam declinare contendat, qualis cauſæ deciſionem quidam vicini cujusdam oppidi Incola a Collegio noſtro Anno 1683. petebat, inceſtus cum privigna accuſatus: quemadmodum pariter, ſi puella ſub conjugii aut dotis ſpe, vel ſimili dolo malitiave impulſa ſe a mare ſtupratam & violatam ajat: aut ſi denique juvenis virginem aliquam ſe defloraſſe malitioſe jactitet; quali diffamanti, ad depoſitionem Obſtetricum de integritate puellæ, pœnam fuſtigationis Inclytum Scabinatum

Difficulter deponitur ſuper virginitate.

natum Lipſienſem aliquando decreviſſe, *Dedekenn. vol.3. l.1. ſ.9. n.8.* refert. Quod nihilominus Jurisperitorum poſtulatum reprimere videntur ex horum Doctoribus diverſi haud infimæ notæ, v. g. *Cujacius lib.17. obſ.20.* ubi virginem dignoſcere, rem admodum difficilem ac pene impoſſibilem aſſerit: & *Sanchez 7. de matrimon. diſp.113. n.10. 11. &c.* certa atque infallibilia Virginitatis ſigna dari, prudenter negat. Præterea etſi temerarios ſatis quosdam obſervemus Medicos in virginitate adſtruenda ac diffitenda, ejusque characteribus determinandis, cum ipſa arte opprobrio ac riſui publico ſe exponentes, v. g. dum pelliculam, Hymenem dictam, oculis ſuis uſurpaſſe, ſub juramenti fide deponunt, quod Vitrico illi, de inceſtu ſuſpecto, ac Judici, perſuadere ſatagebat Medicus poſtulatus: ſunt nihilominus nec illorum pauci, qui arduum hoc deponendi munus ingenue ac modeſte detrectant, nullumque ſignum proprium & univocum Virginitatis dari, affirmant, v. g. *H. Augenius in epiſt. ad Olivar. JCtum, Paræus de Renunciat. Joh. Bapt. Sylvat. de iis, qui morb. ſimulant. c.9. Riolan. 2. anthropogr. c.34. F. Fidelis de Relat. Med. l.3. c.1. Joubertus 5. de errorib. popular. c.4. Codronchus meth. teſtific. cap.11. Ranchinus de morb. virgin. ſect.1. c.4.5. &c. Zacchias Quæſt. M. L. lib.4. tit.2. quæſt.1. & Conſil.34. ac 41. Guillemeau abuſ. ſur le proced. de l' impuiſſ. & Mauriceau des malad. des femm. lib.1. c.6.* aliique infiniti, inter quos non ſine ratione numero *Pinæum de notis virginit.* qui, etſi ſigna integræ ac ſolutæ Zonæ virginalis innuere prolixius allaborarit, incerta tamen illa hinc inde pronunciat. Quorum veſtigia ego quoque legens defendere haud ambigo, Artem Medicam & per hanc factas genitalium muliebrium viſitationes atque contrectationes vix forſan adæquatum exiſtere modum ad virginem a deflorata diſcernenda; prout quemlibet, negotium hoc penſitantem, ſana ratio docebit. Hinc indulgendum *Paræo* quoque erit, qui, poſtquam notas virginitatis intemeratæ aliorum Scriptorum recenſuerat, has quam fallaces pronunciat, hortaturque Magiſtratum, ne muliercularum Renunciationi in controverſia hac temere aſſentiatur, Medicos vero ac Chirurgos, ne illum nimis imprudenter in errorem, tam ipſi, quam ſibi, infamem futurum, præcipitent. Et prout inſpectio muliebrium, quod fallax admodum ſit, non Jure Civili, ſed Pontificio tantum, (ni fallor)

poſtu-

poſtulatur, imo nonnulli etiam hujus Canones eandem remedium minus fidum ajunt, v. g. *in cap. Cauſam matrimonii, de probationibus*, ubi, non obſtante prima Matronarum inſpectione, permittitur ſecunda; it. in *capit. Nec aliqua, vigeſima ſeptima quæſt. 1.* ubi prioris canonis ratio additur hæc, *Sæpe fallitur Oculus & Manus Obſtetricum:* ſic a circumſpectioribus Jurisperitis in re dubia & magni momenti tantum, qualis Matrimonii ſolutio, eadem commendatur, ut reliquis nempe probationibus ſeu præſumptionibus faveat, probabilioremq; partem roboret, juxta *Abbat. Panormitanum cap. 7. de frigid. num. 10.* ubi ait; *Licet puellæ inſpectio contigerit, juramentum nihilominus propinquorum, quod probatio virginitatis ſit argumentum fallax, ſemper inſuper neceſſarium eſſe, vid. Horat. Augen. l. a. c. 7. & 8.* Ex quo ejusque *cap. 8.* hoc unicum nunc addo, quod prolixe enarrat, ſex probatæ famæ ſeu peritiæ obſtetrices juvenculam quandam judicaſſe virginem intactam, quæ ſeptem antea menſibus puerum pepererat. Quis proin non cum *Riolano anthropogr. l. 2. c. 34. nihil unquam in arte medica difficilius judicaret, quam puellæ virginitatem detegere?* ſeu inſpectionem hujus gratia adornatam non anceps crederet teſtimonium? quod ſc. meram conjecturam, minime exactam notitiam, præſtat. Pergit ſiquidem *Riolanus l. a. Mille ſunt artes, quibus hoc verſipelle genus virginitatem ſimulare ſolet, &c.* quarum nonnullas *J. Bapt. Sylvaticus* quoque *l. a.* innuit.

Præterea ad deponendum requiruntur Medici horumque Collegia, ubi ſuſpicio propinati veneni obvenerit, & neceſſitatis atque auctoritatis inſignis in cauſa hac illorum a Jurisperitis cenſeri criſin, *cap. præced.* dictum: ſc. quo, an venenum exhibitum ad enecandum aliamve corporis noxam inferendam, revera tale ac potens ſatis extiterit? & an ſymptomata lethalia, ejus hauſtum conſequentia, actu inde concitata fuerint? enuncient. Verum, quamvis ratione prioris puncti non adeo difficile ſit Venena dignoſcere, v. g. Arſenicum, Mercurium ſublimatum, Cicutam, Opium &c. ſi per ſe & ſub propria textura moleque adæquata oculis conſpicienda exponantur eadem, aut aliis ſenſibus atque experimentis, qualium *alleg. loco* pariter nonnulla recenſui, ſubjici queant: Sin nihilominus eorum compages ac facies naturalis, per præparationem & cum aliis rebus ac vehiculis

In cauſa venenationis quoque petitur Medicorum cenſura.

Quæ non nunquam difficilis.

commixtionem ſeu diſcontinuationem deſtructa aut obvoluta fuerit, judicium ſuum aliquando ſuſpendere ac denegare urgetur Medicus poſtulatus; quemadmodum idem ſupprimere tenetur, ſi minor illius, quod ſub veneni ſuſpicione propinatum fuerat, quantitas experimenta exploratoria ſufficientia adornare haud concedat, aut arte compoſiti ſeu præparati veneni qualitates ſenſibiles Medicum exploratorem lateant atque eludant.

Etiam ex ſimplicibus non venenoſis fit compoſitum venenoſum.

In ſpecie quoad venena ex diverſis ſimplicibus coagmentata *P. Zacchiæ* abſolute adſtipulari nequeo, quando *Conſil. 13.* pro quodam Johanne Baptiſta Gotto, qui uxori ſuo pulverem venenoſum exhibuiſſe præſumebatur, defendendo hanc inprimis hypotheſin univerſalem vult, quod ex non venenatis ſimplicibus compoſitum venenandi nullam vim poſſidere vel exerere queat. Contrarium ſiquidem edocent diverſa coagmentata chymica non tantum, ſed ſimpliciores multo mixturæ: quorum ingredientia ſatis ſalubria nec ulla venenoſitatis ſuſpicione contaminata, dum inter ſe mutuis amplexibus coëunt, aut vires ſuas ſimul in ventriculum aliasque corporis partes exerunt, enormes & non raro lethales turbas huic movent. Nec Mercurius, nec ſalia, cum quibus ſublimatur, per ſe venena ſunt, conſtituunt nihilominus coagulum, cujus exilior quantitas ad lethalia movenda ſymptomata potens ſatis obſervatur, quodque nihilominus poſt novum Mercurii currentis acceſſorium in blandum evacuans miteſcit. Vitriolum, Nitrum ac ſingulorum horum ſtagmata acida pharmacis ſalubrioribus annumerantur; Aqua fortis tamen deſtillatione ex utroque ſale expreſſa vix tuto propinatur, ſed venena inter refertur. Porro petroſelinum in affectibus oculorum proficuum valde, obſervante *Boyle util. philoſ. experim. tom. 2. ſ. 1. p. 140.* aliis commixtum dolores & inflammationes eorundem evidenter intendit. Ut taceam, ſimplicia quoque non venenoſa, ſine ullo additamento, ſola forſan præparatione, virulentiam induere: ut de Antimonio conſtat, quod crudum iniquiſſime venenum proclamatur, per calcinationem tamen hincque fuſionem in vitrum, lethalitatem draſticam movet.

Non omnia omnibus venena.

Quibus ſubnecto, quod nonnulla, ex venenorum genere, talia omnibus individuis haud obſerventur & ab his impune aſſumantur: ſicut

ſicut contra vix unquam deleteria credita quorundam œconomiam vitalem per graviora ſymptomata concutiant. Prioris exempla, ſc. innoxie devoratarum in magna quantitate aranearum venenoſarum, cicutæ, hellebori, arſenici &c. legere licet penes varios auctores, quorum nonnullos recenſet *Schenckius obſ. libr. 7. de idioſyncraſ.* & *Tranſact. Philoſ. Angl. num. 40.* in Inſula quadam Bermudarum, graminis quoddam genus reperiri perhibent, ſub graminis venenoſi nomine, non omnibus tamen æque exitioſum, & de cicutæ innoxio uſu videri poſſunt *Miſc. N. Cur. dec. 1. ann. 4. & 5. obſ. 106.* olei Nicotianæ virulentiam fama innoteſcere puto, vel ex *Redi delle Vipere*, it. *Experienze naturali*, *Lemery Chymie* ac *Vigani Medulla Chymiæ*, quam efficax hæc ſit in felibus, canibus, viperis aliisque animalibus, ſi vel horum faucibus una vel altera ejus guttula inſtilletur, vel vulneri eorum tantillum illius admoveatur: teſtatum tamen mihi aliquando feciſſe amicum recordor, non omnibus æque felibus, qui oleum hoc deguſtarunt, fatalia adeo obtigiſſe ſymptomata, cum aliquando ex tribus felibus bini tantum talia perpeſſi fuerint, tertius nihil omnimode mali hinc ſenſerit; quale quid de eodem oleo, vulneribus animalium inſtillato, annotavit *Redi exp. naturali*, quorum quædam vel plane non, vel lente magis, hinc perierint, licet tam ratione diverſi vulneris profunditatis, quam diverſæ nicotianæ ſpeciei, effectus illos variare ſibi Auctor dictus perſuadeat. V. g. nicotiana.

Aſt, quod ſcopo præſenti forſan propius accedit, nonne hominibus venenum narcoticum, tanquam hyoſcyami ſpecies, exiſtit Nicotiana? majore tamen impetu malignitatem hanc exerit in unum, quam in alterum, dum quoſdam ejus folia frequentius ſine ulla ſenſibili noxa maſticare, quoſdam fumo ejus cum euphoria quotidie & exceſſive uti, in propatulo eſt; item vulneribus & ulceribus nonnullorum tam folia, quam oleum, tabaci blandiſſime mederi, imo venenatis quoque nonnullis, perhibente *Neandro Tabacolog. p. 33. & 34.* Aliorum nihilominus idioſyncraſiæ eadem Herba ſancta adeo infeſta deprehenditur, ut vel fumus ejus, vel herba ipſamet, vel oleum, conſpicuas turbas his moveant. Quantum fumum nicotianæ nonnulli averſentur, non tantum, dum eum ex fiſtula ſugunt, ſed ab aliis concitatum, interdum ex longinquo ſatis, percipiunt, quotidianæ obſer-

vationis

vationis eſt: ita ut ex Amici relatione fœminæ meminerim, quæ illum adeo horrebat, ut, ſi modo in ea, quam incolebat, domo ille hauriatur, nec quisquam præter eam, vel minimum exin odoris percipiat, ipſa mox horrendis paſſionibus hyſtericis corriperetur. Qualia ſubjecta nec olei externum uſum ſuſtinere valent, quemadmodum idem Amicus olim mihi retulit de Chirurgo quodam, a pueris a Tabaci fumo ita alieno, ut, ſi tantillum ejus per fiſtulam attraheret, nauſeam & roſionem orificii ventriculi ſuperioris, ſcotomiam, extremorum refrigerationem ac vomitum hinc pateretur: cujus in dorſo, ſupra os ſacrum vulnerati cum alius labia plagæ Oleo Nicotianæ innungeret, recenſitis eundem ſymptomatis graviſſimis correptum fuiſſe. Porro, quamvis fomentationes & linimenta ex foliis atque oleo nicotianæ parata in porrigine, achoribus, favis, tinea ac phthiriaſi infantum prodeſſe, experientia teſtetur, per eandem tamen quoque edocemur, non omnes æque talium uſum ferre, ut in puella quadam annotavi: cujus caput a tinea & pediculis arroſum cum mater linimento, ex Nicotiana & Butyro confecto, defendere ſatageret, illico ea anxietatibus præcordiorum, ſudore frigido, lipothymiis hinc vomitibus ac ſeceſſibus enormioribus, corripiebatur & per horas aliquot detinebatur.

Opii vim ſedativam prout quotidie in diverſis affectibus ſalutarem experimur, ſic virulentiam illius narcoticam, quam improvidus ac largior paulo ejus uſus ſpiritibus animalibus præſtat, non raro lugemus: Legere nihilominus licet & obſervamus, monſtroſam etiam ſtupefactorii illius aſſumptionem ac continuationem quibusdam individuis, nihil ſenſuum hebetudinis aliusve pravi ſymptomatis, ſed ſingularem alacritatem, inducere, illis inprimis, qui doloribus atrocioribus expoſiti. Conſtat ſiquidem ex *Bacone de Verulamio, de vita & morte*, Opii tria forſan grana in Europæis ſpiritus animales eousque condenſare aut fugare, ut nunquam redeant, dum Aſiaticorum & Africanorum Populorum ſpiritus ejus largior longe quantitas potius excitat atq; roborat, quam deprimit, imo teſte *Wiero 3. de Lamiis c. 18. Joh. Fragoſo hiſt. medic. exot. c. 12.* & *Joh. Chriſtoph. a Coſta de aromat. & medic. in Ind. Orient. naſcent. de Opio*, illos ſine manifeſto vitæ diſcrimine ejus uſu carere haud poſſe, quod ſingulari obſervatione a *Coſta l. a.* confir-

Nimia opii quantitas non omnibus nocet.

Nec quidem ſatis ſtupenda.

confirmat. Europæos tamen quoque aliquando ſtupendam ejus doſin ſine ſtupore conſecutaneo, aut ſpirituum extinctione mortali, devorare, Hiſpanus ille teſtatur, quem, ex relatione Rondeletii *Hollerius de morb. intern. l. 1. c. 6.* in ſummo aëris æſtu opii ſemiunciam ſine ullo damno deglutiviſſe, perhibet: & *Wierus l. a.* cujusdam ejus uſui adſueti meminit, qui illius aliquando drachmam ſemis & poſtridie integram innoxie aſſumebat; quemadmodum *Dan. Ludovici Miſcell. N. C. Dec. 1. ann. 3. & 4. obſ. 207.* refert, ſartori cuidam Italo, totum quadriennium inſomnes noctes tranſigenti, Laudanum ſucceſſive ad drachmam ſemis largiusque tandem, ſine noxa, ſed quoque ſine levamine, ſe exhibuiſſe. Et ipſemet recordor aliquando Viro cuidam, cruciatibus brachii dextri diris ac tandem lethalibus per aliquot ſeptimanas expoſito, quotidie fere, quatuor, quinque usque ad ſeptem grana extracti opii propinata fuiſſe, aliquando ad doloris illius ſedationem, nunquam ad ſtuporem usque: ut Generoſioris illius Baronis nomen taceam, quem per multos jamdum annos opium crudum, ſingulis utplurimum diebus, ni fallor ultra drachmam integram aſſumſiſſe, mecum alii norunt.

Qualis quidem Opii congruitas & incongruitas haud adeo paradoxa videri poterit attendentibus Vini ſimiliumque inebriaminum diverſam in diverſis individuis potentiam: dum horum nonnulla illorum ingentes cyathos evacuant nihilque temulentiæ inde patiuntur; aliis eorum vel ad carum, vel delirium, usque hinc inebrieatis. Opio quippe cum vino multum analogiæ intercedere, non tantum vis ſpiritus conturbandi & ſupprimendi, utrique, copioſius aſſumpto, communis, ſed hoc inſuper, evincit, quod adnotante *Chriſtoph. a Coſta l. a.* Opio in Populis Aſiaticis, ejusdem crebriori uſui adſuetis, Vinum ſuccenturietur, dum inquit: *Id ipſa experientia comperi, dum Indico mari in Luſitaniam redirem. Etenim eadem navi vehebantur captivi, Turcus quidam natus in Aden & alii cum Turci, tum Perſæ & Arabes, qui clam aliquantulum opii ſecum detulerant, quo propter penuriam velut medicamento uſi erant: Eo abſumpto Turcus ille Adenſis ad me, heu tu (inquit) quandoquidem curandorum ægrorum in hac navi provincia tibi data eſt, certo ſcias, niſi mihi & meis ſodalibus opium præbueris, biduum nos non ſupervicturos. Cum vero negarem,*

Analogia inter Opium & Vinum.

Mmmm *Opium*

Opium me habere, reſpondit: illud ergo eſto unicum remedium, quo nos, qui opii uſu adſuevimus, liberari queamus, ſi ſingulis diebus mane cuique puri vini hauſtum propines, licet nobis arduum ſit & tædioſum, quod naturæ noſtræ adverſetur, ſed, quoniam noſtra ſalus ex eo dependeat, neceſſario ferendum eſt. Ex illius igitur præſcripto vinum omnibus dedi, liberatique ſunt, & intra menſis ſpatium vinum amplius guſtare noluerunt, nec illis obfuit opii defectus, cujus uſus jam in deſuetudinem abierat, &c.

Plerisque non venena quibusdam talia obſervantur.

Aſt contra, pluribus alimenta, medicamenta ſimiliave haud exitioſa, ſed ſuaviora, paucos tamen quosdam in graviora & lethalia ſymptomata conjicere, id eſt, in ſe non venena, ſed alimentoſa, medicamentoſa atque grata quorundam idioſyncraſiæ deleteria maxime exiſtere, varia experimenta evincunt, v. g. caſeum, vinum, felium anathymiaſes aliis inſenſibiles, roſarum fragrantiam, penes *Schenckium obſ. med. lib. 7. de Idioſyncr.* recenſita. Et dum v. g. *Bruerin. 1. de re cibar. cap. 4.* refert, Jacobum Forlivienſem, Medicum celeberrimum, ab Allio commanducato perinde, ac a veneno epoto, cruciatum fuiſſe. Roſarum inter cordialia & reſtaurantia facile ſummum faſtigium tenentium, odorem quibusdam omnes ſenſus ſpiritusque maxime percellere, teſtantur *Ingraſſias in quæſtion. de diæta craſſa ac tenui, Scaliger exerc. 153. num. 10. ad ſubtil. Cardani, Amatus Luſitanus 2. cur. 36.* ac *Digby de nat. corp. c. 38.* teſtari poſſum idem in *le Febare per ſcripta pharmaceutico-chymica Celeberrimo.* Inter catharctica, forſan deleteria, quædam individuis nonnullis præ aliis moleſta ac incongrua magis deprehenduntur, blandiora licet aliquando prout *Scaliger l. a.* & *Alex. Benedict. in præfat. de febr. peſtil. & de pulpa Caſſiæ, M. Donatus de Mechoacanna ac de Electuario diaphœnicon*, perhibent: quorum poſterior l. a. Illuſtris cujusdam pueri meminit, cui ab eſu ovorum labia intumeſcebant, facies purpureis nigrisque maculis conſpergebatur & os ſpuma circumdabat: ut dulcia, v. g. ſaccharum, mel, taceam, quæ nonnullis præſentanea ſunt venena; perinde ac ſcammonii tantillum, vel per ſe exhibitum, vel aliis purgantibus pro ſtimulo admixtum, Viro cuidam Nobili ac Erudito maxime, ingentes cardialgias, hinc lipothymias & everſiones ventriculi ſemper moviſſe, alias monui. Et *Panarolus pent. 5. obſ. 27.*

Veſta-

Veſtalem aliquam uſum ligni Saſſafras adeo adverſatam fuiſſe perhibet, ut, cum, quod a Medico in juſculo præſcriptum, primo equidem renuebat, ad inſtantiam nihilominus ejus demum aſſumeret, mox frigido ſudore corriperetur & tota livida ac morti proxima evaderet.

Difficulter determinatur, an ex veneno hauſto, an a malignitate intrinseca, quis mortuus.

Arduum magis negotium deprehenditur, determinare, an, ubi de veneno hauſto ſeu admiſſo nondum certo conſtat, ſed venenationis inculpatio conjecturis meris potius adhuc innititur, ex ſymptomatis & inſpectione cadaveris tantum, mortuus ex veneno, an ex morbo a cauſa latente perierit? i. e. difficultate plenum obſervatur, ſymptomata, quæ pravitatis forſan intus genitæ effectus, a productis intoxicationis diſcernere, teſtantibus *Cæſalpino pr. lib. 3. cap. 7. & 47. B. Sylvatico conſil. & reſp. 79. & 8. J. B. Sylvat. de iis, qui morbos ſimul. c. 21. H. Augenio epiſt. & conſ. tom. 1. libr. 1. p. 339. in Epiſtola ad Senat. Pedemontan. Alſar a Cruce de quæſ. per epiſt. cent. 3. cap. 17. Codronchio meth. teſtif. c. 6. Fideli l. 4. ſ. 3. c. 3. Zacchia lib. 2. t. 2. quæſt. 6. & 7.* & *Rejes Elyſ. camp. quæſt. 64.* ex Legum vero Doctoribus *Caballo de omni gener. homicid. num. 621.* & *Boſſio pr. crimin. tit. de delict. in princ.*: Inprimis vero audiendus erit *a Cruce*, dum veneni extrinſeci ſeu clam propinati ſymptomata minime oſcitanter pronunciare jubet his verbis: *Non prudentis eſt, (aut ego toto cœlo aberro) in re tanti momenti divinatione uti, nec ad Medicum, a quo, pro veneni auctore inveniendo conſilium expetitur, ulla ratione ſpectat, indicia quædam infida, tanquam certa, probare, cum a veritate aliena & ſemota aliquando eſſe poſſint: ſed ad judices tantum, quo aliunde, quam a Corpore, ea inquirant.* Ac concludit tandem, intoxicationis nullam certam & evidentem dari cognitionem, aut ſignum extare.

Neque me temere & mero aſſentiendi ſtudio nominatis aliisque Doctoribus, qui veneni extrinſecus oblati ab intus genito dignotionem adeo difficilem judicant, ſubſcribere videar: quæ ſigna hujus diſparitatis majoris ponderis hactenus credita fuerunt, recenſebo, horumque infirmitatem atque ambiguitatem per ſingula evincam; poſtquam hæc, prout ab auctoribus venditantur, expoſuero.

Signa, quibus vene-

Nimirum primo loco advertendam ajunt habitudinem & ſtatum hominis, antequam potionatus præſumatur, quem, ſi evchymi-

 cum,

num intrinſecum ab externo diſcernitur communiter.

cum, laudabilibus alimentis enutritum & congruæ diætæ adſtrictum, ac de valetudine minus hactenus conqueſtum, repente nihilominus mortuum, conſtet, ab aſſumpto veneno occubuiſſe, vulgo putant: & quidem hoc eo firmius ſibi perſuadent, ſi in aſſumptis, quibus ſuſpicio veneni ſuberat, aliquid odoris ſaporisve nauſeabundi & horridi ille perceperit, aut brevi ab eorum deglutitione inſuetis correptus fuerit ſymptomatis, organa aſſumptionis immediate magis lædentibus, v. g. fauces ardore ac ſtrangulatu, deglutiendi difficultate & nauſea ſeu vomendi conatu. Atque hæc potionationis ſuſpicionem magis firmare creduntur, ſi aſſumptionem talium excipiant oſcitationes moleſtæ, ſtomachi everſiones impetuoſæ, ejusdem ac inteſtinorum tormina & cruciatus enormiores, alvi dejectiones frequentiores & præternaturales, ſingultus, renum, veſicæ atque urinæ ardores ac dolores, lotii retentio, faciei & abdominis intumeſcentia, totius corporis inopinus languor ut & motus impotentia, convulſiones atque obmuteſcentia. Evomant intoxicati horribilis maxime saporis & variegati coloris liquamina, eorum exteriora frigent, interiora æſtuent, cum ſenſuum hebetudine, vertigine, ſpirandi difficultate, pulſu inæquali, intermittente, lipothymiis, cordis palpitatione, hæmorrhagiis, modo torpore ac ſomnolentia, modo inquietudine atque delirio: Facies palleat, mox cum oculis rubeat, aut cum unguibus aliisque membris liveſcat. Nec in defunctis veneni vim omnimode ceſſare, ſibi perſuadent, ſed Cadaver quoque lividum conſpici, nigricans ac tumidum, fracedinem moleſtam olere, ungues nigreſcere ac cum Capillis facile evelli, Ventriculum, inteſtina, interdum reliqua etiam viſcera, eroſa, ſphacelata aut alias evidenter immutata ſeu corrupta, item ſanguinem intra vaſa coagulatum, exiſtere.

Quibus phœnomenis alii circumſtantias & præſumptiones quasdam particulares magis jungunt: nimirum, quod intrinſecus generata venena non cum tanto impetu, ſed lente agant, propinata mox ferocius ac repente irruant, interna utplurimum cum febre ſe prodant, externa ſecus. Item ſi de nullo contagioſo & acuto morbo in ædibus aut vicinia conſtet, ſi ſymptomata enarrata continuo & ſine intermiſſione affligant, vomitu rejecta, cani ſimilive animali exhibita, hoc evidenter atque inſigniter lædant ac interficiant, & inter

cœtera

cœtera ſymptomata aliquod infrequens ac paradoxum maxime, cujusve nulla alia ratio dari queat, compareat, v. g. riſus ſardonius, certorum alimentorum faſtidium &c. inprimis ſi hoc veneno cuidam externo proprium ſeu individuale extiterit, v. g. mentis ſtupor, totius corporis pruritus, ſolius Opii producta, organorum urinariorum cruciatus, mictio cruenta &c. Cantharidum effectus, pulmones maxime lædat Lepus marinus, ſimiliaque phœnomena.

Sed, prout ſuperius innui, promiſcua ac communia ſunt hæc cuncta phœnomena internis ac externis venenis, adeoque ex illis ſolis hominem potionatum fuiſſe, concludere ſatis temerarium videtur: cum penes pleroſque rerum Medicarum Scriptores in confeſſo ſit, generari poſſe in nobis venena ejuſdem plane indolis, perniciei atque effectuum, quos ab extrinſecus adhibito, etiam lethali maxime, deprehendimus. Neque tamen, cautiones & animadverſiones illæ enarratæ, utut conjecturæ, infallibilitati ſeu certitudini veneni hauſti locum concedunt: Quatenus primo nihil impedit, quominus hominis, ad ſenſum perfecte ſani & laudabili victu commodave diæta fruentis, ex variis & nos omnino latentibus cauſis, craſis ac œconomia derepente & ad exitium ejus usque inverti & deſtrui valeat: utpote qualem non raro in febrem acutiſſimam ac peſtilentem incidere, adeoque optimam aliquando conſtitutionem in peſſimam ægritudinem abire, quotidie experimur, i. e. monente *Meſue*, interdum robuſti & qui ſine omni languore videntur, ſubito deficiunt ac moriuntur, cauſa ignorata & ſoli forſan Deo cognita. Deinde licet concederem, illum, qui optime ſanus, & nullum in diæta errorem commiſit, (quo cum *Galeno Zacchiam* alioſve inclinare deprehendo) ſi ſubito moriatur, forſan ex potionatione occumbere, contra alimentis aut pravis, aut difficilioris digeſtionis, aut copioſioribus qui ſe ingurgitavit, aliquando per mortem ſupervenientem intemperantiæ ſuæ pœnam luere: non impoſſibile tamen pariter eſt, valetudinario & voraci homini venenum clam obtrudi, adeoque Venenatoris crimen imbecillitate corporis venenati & immoderatiore ſeu incongrua eſculentorum ac potulentorum aſſumptione occultari, hinc mortis culpam in ipſum defunctum ſeu occiſum injuſte transferri. Præterea ad diætam bonam non ſufficit victus modera-

Qualia tamen ſigna utrique communia

men, ſed reliquarum etiam rerum non-naturalium exceſſus, inprimis animi commotionum, in ſpecie terroris atque iræ, Medico & adſtantibus minus noti, ex improviſo affectibus vehementioribus ac corpus etiam ſanum ſubito proſternentibus occaſioni exiſtere valent, & quidem cum ſymptomatis quoque ſatis virulentis.

Atque incerta ſunt. Pariter, qui ex aſſumptorum ſuſpectorum ſapore, aut ex odore ingrato ac tetro Veneni præſentiam augurari ſibi præſumunt, falluntur ac judicem fallunt: dum non tantum minus venenoſa aliquando naribus ac palato multum horroris atque moleſtiæ imprimunt, ſed nec venena cuncta tale quid præſtant; inprimis cum ſub exiliori doſi & aliis gratioribus diluentibus ſeu obtundentibus obvoluta eorum pleraque exhiberi queant ac ſoleant. Nec ex ſymptomatis reliquis, aſſumptionem talium immediate excipientibus, ſecure de veneno propinato pronunciare poſſumus, licet (fateor) illa præ reliquis forſan circumſtantiis plus notitiæ ſuppeditent: dum motus humorum vitioſi ac impetuoſiores, quales in cholera v. g. obſervamus, qua perculſos *Fernelius 6. de part. morb. & ſympt. cap. 3.* toxicum bibiſſe, autumari poſſe ait, etiam ipſo cibationis tempore evenire valent, primas vias, organa vitalia & totum corpus mirum in modum ac ad interitum usque exagitantes, quales Cholericorum hiſtorias horrendas *Hippocrates 5. epid. t. 4. & 10.* recenſet, de quarum poſteriore ita ſentit *Valeſius*: *Eſt hoc magnum quoddam exemplum venenorum, quæ in noſtris corporibus gigni ſolent*; ut febres peſtilentiales taceam, in quibus paria ſymptomata a corruptione, ac virulentia humorum intrinſeca gigni, *P. S. Diverſus de febr. peſtil. cap. 17. 18. & 19.* prolixe ſatis evincit.

Neque perpetuæ veritatis æſtimandum, quaſi accidentia veneni hauſti repente invadant ac cum impetu mox proſternant; & in vulgus etiam innoteſcit, dari venena, quorum vis lento ſatis motu in actum erumpit, ut ex *F. Fideli ſect. 3. l. 4. cap. 3. Codronchio meth. teſtif.* aliisque innumeris conſtat: neq; præceps ſymptomatum ingruentia proprium & infallibile hauſti veneni ſignum eſt, quod a corruptione quoque ac vitio intrinſeco ſimilem impetum aliquando experiri detur.

De cœtero parum certitudinis innuunt illa phœnomena, quæ in

in potionatorum cadaveribus vulgo ſupponunt, ſymptomatis præcedentibus quamvis ſuccedanea, v.g. illorum livor, nigredo, maculæ, intumeſcentia ac fracedo; quippe & hæc cum venenis intrinſecis communia gerunt hauſta: hinc, annotantibus prudentioribus, v.g. *Fideli*, *Zacchia*, ejuſmodi corporum inſpectiones perpetuam ac certiorem veneni exhibiti conjecturam ſuggerere nequeunt; Imo eorum nonnulla, v.g. Cor flaccidius ac torridum, falſæ innituntur hypotheſi, quaſi omnia toxica machinam hanc immediate ac potiſſimum petant. Cujus etiam generis eſt, quæ de Capillorum defluvio & Unguium faciliore evulſione communiter tradunt. Multo minus, quod a diſſectione ac luſtratione interaneorum ejuſmodi cadaverum ſibi promittunt JureConſulti pariter ac Medici, venenum hauſtum ſub textura & compage naturali in viſceribus primæ reliquarumve digeſtionum ſemper reperitur, niſi forte ejus moles major fuerit: cum Arſenici, Mercurii ſublimati ſimiliumque frequentiorum tantillum, quantillum nihilominus ad enecandum potens, inter ventriculi ac inteſtinorum mucilaginoſa ac ſtercorea liquamina conſpici hincque evolvi vix poſſit; neque tamen, ſi tale quid non reperiatur, inferendum veniat, non fuiſſe propinatum, potiſſimum cum Mercurialia concreta ſalina, aut a vehiculis fluidis, aut humiditate illorum organorum, brevi deliquentur &, quominus conſpici queant, in minima diſcontinuentur, quamvis ſi tale quid offendas, de Venenatione facta te ulterius ambigere haud ſinat. Præterea examen hoc tantum locum habet aut quadrat, ubi venenum ore aſſumptum ac præſentaneum extiterit: ſecus ubi alia ratione corpori applicatum & ad interiora derivatum, v.g. naribus attractum idem fuerit, & poſt longius demum ab hauſtu intervallum de eodem per effectus tardiores ſuſpicio exoriatur.

Nec phœnomena cadaverum certitudinem potionationis præſtant.

Nec per ſectionem cadaveris venenum ſemper reperire licet.

Magis difficile erit opus, ſi quem poſt venenum hauſtum eluctari contingat, decernere, an ille ex potionatione ægrotarit, & præter ſigna enarrata ac ante obitum attendenda, ſatis dubia, vix certiora alia in ejuſmodi caſu dantur. Dum enim *Cardanus*, *Nicol. Florentinus* aliique morbum difficilem ac diuturnum, cum doloribus vagis, ac depilationem talibus hominibus familiares aſſerunt, conjecturam haud adeo urgentem ſubminiſtrant, hincque vix attendi merentnr:

Difficilior cenſura erit, ſi quis a potionatione evaſerit.

rentur: utpote nec cunctorum venenorum externorum effectus, nec his proprias, ſed cum nonnullis internis, v. g. peſtilentiali, venereo, communes, affectiones & pediſſequas.

Nec febris dicernere facit venenum intus genitum ab aſſumpto.

Nec abſolute & indifferenter concedendum, internum virus cum febre, externum ſine febre, actuari, utriusque enim contrarium quotidiana evincit praxis: dum Peſtis v. g. quæ morborum ſine dubio venenoſiſſimus, & virulentia narcotica interna, perinde ac externa, non raro febris ſenſibilis expertes exiſtunt, & ſine hac perimunt, neque omnis humorum malignitas, animadvertente *H. Saxonica lib. 10. de plica cap. 34. & 35.* putredinem, nec hanc quævis febris, ſupponit, quam nihilominus concludendi rationem, pro febre virulentiæ humorum intrinſecæ neceſſario combinanda, *Zacchias lib. 2. tit. 2. quæſt. 7. num. 5. & 6.* maxime commendat. Contra toxica etiam hauſta febres frequentius patrant, v. g. Calx viva, a puero improvide devorata, annotante *Amato Luſ. cent. 5. cur. 91.* item Mercurialia, variis modis applicata, ut vel illi teſtari poterant, quos a ſalivatione perperam adminiſtrata aliquando cum febre ſuccumbere evenit. Præterea nonne febricitanti, vel in febrem declinanti, propinari poterit venenum, quod cum febre interficiat febre per ſe lethali minime laborantem?

Nec contagii abſentia ac præſentia.

Quæ de Contagii præſentia & abſentia communiter ediſſerunt, quaſi illa virulentiam internam, hæc toxicum oblatum, innuat, item de exacerbationibus periodicis, venenis internis tantum, non externis, ſolennibus, ita reprimit *Rejes Elyſ. camp. jucund. quæſt. 64. num. 34.* quod hæc equidem ſigna negativa, non poſitiva, veneni externi ſint, & venenari etiam queat, qui ex apparatu morboſo mox ſimul in febrem, ut dictum, aut alium morbum conjiciatur, a veneni præſertim ſævitia ac conturbatione, humore vitioſo commoto, qualis affectus in potionato quoque ſuas exacerbationes habeat; hinc male inferri obſervantur acceſſiones in ægro, E. venenum non hauſit. Quibus adjicio, non quemvis morbum malignum ſemper & mox contagium involvere ſeu exerere, &, teſtante experientia, peſte decumbentes horumque cadavera nonnunquam ſine hujus ſuſceptione ab aliis tractari: contra naturæ haud penitus refragari, venena extrinſeca contagioſa exiſtere, ut canis rabidi virulentia, morſu impreſſa, compro-

bat.

bat. De cœtero leviſſimæ armaturæ ſeu rationis argumentum eſt, quo periodicas exacerbationes venenis internis proprias fingunt, dum ajunt, hæc ſemper in aliquo quatuor humorum Galenicorum, ſc. bilioſo, pituitoſo &c. fundari & ad horum motus commoveri: venenum vero hauſtum per ſe, adeoque motu perpetuo & uniformi, agere. Nondum quippe probata eſt virulentiæ intrinſecæ cum humoribus illis fictis combinatio, nondum evicti humorum iſtorum determinati motus: quidque demum impedit, quominus modo bilioſus, modo pituitoſus venenum hauriat, quod motum pituitæ bilis &c. quotidianum, triduanum &c. ſequatur? cum potiſſimum diverſa potionatorum conſtitutio intrinſeca, ſive naturalis, ſive præternaturalis, toxici efficaciam varie moderetur, eandemve modo intendat, modo deprimat &c. ut quotidiana loquitur experientia & communis Doctorum conſenſus.

Fallax itidem eſt Experimentum, quo *Cardanus* materiam, vomitu rejectam a Gallina, aut *Zacchias* a cane ſimilive animali, innoxie devoratam, venenum intrinſecum, ſin vero animalia hinc ſenſibiliter lædantur, extrinſecum, denotare aſſerunt. Quatenus *primo* non quævis venena cuivis animali æque exitioſa ſunt, v. g. Opium canibus, & juxta *Philoſoph. Tranſact. Anglor. n. 27.* aqua quædam Jamaicæ ſalſa hominibus noxia, ſuibus congrua, obſervatur: Doronicum canes enecat, Rupicapras, Alaudas ac Hirundines commode nutrit ac hominibus contra diverſos affectus ſalutare deprehenditur remedium, teſtante præter *Matthiolum in 4. Dioſcord. cap. 71. Geſnerum 2. epiſt. 20. Septalium 9. Caution. & animadverſ. med.* §. *54. ac 55.* & *Camerarium in Epit. Matthiol. cap. de Aconito Paradalianch. min.* experientia. Nux Vomica fêles, canes & aves interficit, non hominem, v. g. in Electuario de Ovo & Camphorato Kegleri: quemadmodum pariter Aloë ac Amigdalæ amaræ annotante *P. Pona & Lobelio* vulpibus venenum, homini medicamen, præſtant. Ut taceam nec cuncta venena omnibus æque individuis talia exiſtere, prout diverſis exemplis ſuperius declaravi. *Secundo* ſi ab aliorum animalium tabo virulento, v. g. canis rabidi, viperæ, venenatur homo, cur non ab humoribus malignis, quos intus productos idem vomitu rejicit, bruta, eosdem abſorbentia? inprimis cum vomitus ſimiliaque recrementa

Non omnia venena omnibus animalibus talia deprehenduntur.

Nec omnibus individuis humanis.

Etiam intus genita venena rejecta aliis nocent.

peſte decumbentium aliis virulenta ſatis deprehendantur: ita ut *Hodges de Peſte Londin. ſ.1.* inter cauſas ejusdem furoris fere implacabilis illam Nutricum in ædibus occluſorum ſeu ſegregatorum malitiam diram referat, qua his tincturam ſaniei peſtilentialis hauriendam exhibuerint, ſicque peſtem incuſantes, mortem intulerint.

Nec ſymptomata inſueta & vehementiora ſemper de veneno propinato teſtantur.

Quemadmodum dubiæ pariter concluſionis manet argumentum, quod a ſymptomatum minus frequentium ſupervenientia, inprimis talium, quæ venenis quibusdam externis propria & ſpecifica magis creduntur, petitur: dum illorum ingens & aliquando ſtupenda ſatis Syndrome a convulſionibus partium internarum, affectione hyſterica, ſcorbuto ſimilibusque anomaliis interdum obſervatur, quæ adſtantibus non tantum, ſed Medico quoque, alias ſatis cauto, non phyſicas ſed hyperphyſicas, cauſas ſubeſſe, perſuadeat. Et quamvis v. g. Opium hoc præ cœteris venenis peculiare agnoſcat, ut delirium cum ſtupore inducat; quin tamen parem vim narcoticam aliquando ſuſcipiant fluida noſtra intrinſeca, experientiæ repugnat, dum homines ſine cauſa manifeſta apoplexiam, coma vigil, catalepſin &c. incurrere non adeo infrequens exiſtit phœnomenon: quæ vero huic narcoſi opiatorum adduntur, prurigo & color totius citrinus cum odore opii exhalante, non perpetuæ obſervationis ſunt. Pariter de Cantharidum veneno conjectura equidem haud exigua exoritur, ſi de dolore ac ardore organorum lotii excretioni dicatorum, atque mejendi difficultate conqueratur æger: aſt quo minus in nephridite v. g. notha ſcorbutica, cum aliis gravioribus ſymptomatis, v. g. Vomitu, Colica, anxietate præcordiorum, ſimile quid accidere queat, nihil eſt, quod moratur, ut vel ex ſolo *Drawitio* de Scorbuto demonſtandum. Quæ de leporis marini virulentia communiter tradunt, quaſi, qui illum aſſumpſerint, piſcium fracedinem oleant, ſapore viroſo ſimili moleſtentur & pulmonum eroſionem experiantur, nec hæc omni dubio carent: cum *Ægineta*, *Aëtius* & *Rondeletius*, quorum poſterior *lib. 17. de piſc. cap. 11.* ſingularem nihilominus de venenoſitate hujus piſcis hiſtoriam refert, horum ſymptomatorum haud meminerint; aut de veneno hoc, utpote majoris molis, non adeo commode occultando inprimis penes nos, quibus piſcis hic ignotus, vix erit metuendum. Aut, ſi forſan nominatis his venenorum

rum ſpeciebus propria illa concederem ſymptomata, ex particularibus his non, niſi particulares concluſiones formare contingeret: i. e. opium v. g. epotum ex narcoſi equidem ſuperveniente ſatis probabiliter ſuſpicari, minime vero ex narcoſi abſente miſerum ejuſmodi non potionatum fuiſſe, inferre liceret.

Quibus accedit præter choleram, anxietates præcordiorum, lipothymias, hincque ſubitaneam mortem, nulla aliquando ſymptomata in intoxicatis, nec in horum cadaveribus ſemper aliquid macularum, livoris, intumeſcentiæ, fracedinis ſimiliumque impreſſionum virulentorum ſeu veneni veſtigiorum obſervari: unde E. petenda in his epoti veneni ſigna? Id eſt, concedo equidem, dari forſan aliquando ejuſmodi venenationis caſus, in quibus medica phœnomena & obſervata ſuſpicionem illius confirment, rariores tamen forſan tales exiſtere: frequentius autem obvenire, in quibus ſive aſſerendis ſive negandis ambiguos nos dimittat noſtra ars. Hinc plus, quam par eſt, ab hac poſtulare videtur Jurisperitus, niſi forſan ſubminiſtret idem alia ſeu externa teſtimonia atque indicia exhibiti toxici, v. g. odium ſubdolum, veneni emptionem vel præparationem &c. Utpote ſine quibus æque difficile eſt Potionationis crimen, ac ſuſpectam virginitatem ſola inſpectione, evincere. Equidem, ſi cuncta veneni ab extra admiſſi ſigna, aut horum plura, ſub conditione deſiderata, conſpirent, evidentem ac certam notitiam illius rei nobis conciliare poſſunt: aſt, quia rariſſime tale quid evenit, ob ſymptomatum ac phœnomenorum, cum ægritudinibus, a cauſa intrinſeca genitis, conſpirationem atque analogiam ſummam, prudentis erit Medici, non qualibet conjectura, quæ ad curandum venenum quidem ſufficit, mox ad deponendum coram Magiſtratu, qui crimen non, niſi morte expiandum, eruere contendit, uti.

Neque ſoli intoxicatis ſemper adeo multa obſervantur ſymptomata ac ſigna externa.

Caſibus his difficilioris determinationis, annotante *F. Fideli l. a. cap. 4.* accenſeri debet in ſpecie, ſi 1. quem potionatum ſuſpicamur, valetudinarius aut perverſa diæta vel hactenus, vel brevi ante ſymptomata lethalia, uſus fuerit: cum dubii tunc hæreamus, annon æque ab alterutrius hujus potentia, ac a veneno externo, mors adeo præceps evenerit? id eſt, ad minimum, quem a morbo aut errore in victu occubuiſſe credimus, a toxico occubuerit? Qualem quidem ambi-

Quemadmodum difficilis etiam dignotio veneni in his, qui valetudinarii, aut prava diæta utuntur.

ambiguitatem me non fingere, ſed aliquando revera obvenire, obſervatio innuit, quam *Zacchias Conſ. 15. & 16.* exponit. Sc. Tonſorem, hactenus ſatis ſanum, poſtquam cum amico affluentius pranſus erat, elapſis paucis diebus in Icteritiam ad virorem totius, hinc, nulla cura adhibita, in dementiam, incidiſſe ac tandem vitam cum morte commutaſſe. Cujus cadavere aperto inteſtina inflata & coloris citri apparuerint, Pericardium omni humiditate deſtitutum, Sanguis in Cordis ventriculis congelatus & ipſius Cordis ſubſtantia pravi coloris, Caput & Labia valde tumida, Pulmones coloris citrini & ſecundum alas nigricantes, Lien mollis ac diffluens & alia nonnulla veneni propinati ſigna. Quibus non obſtantibus *Zacchias*, hunc non tam a veneno, licet etiam hujus exhibitio plene probata fuerit, quam interno ac naturali morbo, per pravam diætam inducto, periiſſe, ſatis probabiliter declarat. Aut ſi 2. ſub peſtilenti ſimilive conſtitutione epidemica ſubito quis concidat ac emoriatur: dum usque adeo pernicioſa eſt aliquando atmoſphæræ contagioſæ inſpiratio, ut vel potentiſſima æquet ac ſuperet venena; quemque nihilominus illa haud interimat, venenum tunc temporis exhibitum, ſub contagii ſpecie, abripiat. Qualis caſus recordor, dum ſub principio peſtis ultimæ noſtratis, ſc. anno 1679. menſe Julii, a Prætore oppidano poſtulatus pueri, ni fallor quinque annorum, veloci admodum morte & non ſine omni veneni cum brodio ingeſti ſuſpicione defuncti cadaver aperiebam atque inſpiciebam, nullam ejus notam obſervans: quem contagium peſtilens extinxiſſe, ex poſtfacto evidentes ſatis circumſtantiæ innuebant. Et raro adeo manifeſta phœnomena deprehenduntur, quæ venenum peſtilens a propinato diſcernere concedunt, ac hiſtoria illa complectitur, quam *Zacchias Conſil. 77.* de Tiberii cujusdam Olympia recenſet. Hæc vigente peſte febre & vomitu corripiebatur, capitis dolore, ſiti ac ingenti inquietudine & cum inſequente tertio die inguinum aliquali dolore, quamvis hoc ſine inſigni tumore ac rubedine, quarto die decedebat: a marito aliisque peſte ſublata, a propinquis ſuis ex veneno, ab illo porrecto obiiſſe, dicebatur. Ventilat hunc caſum rogatus idem *Zacchias* ſatis equidem nervoſe ac dilucide in contagii peſtilentis vim morbum & mortem Olympiæ conjiciens: haud tamen ita Tiberio cauſam dicit, quin, annon

It. in conſtitutione peſtilentiali.

non ſub ſymptomatis peſtilentialibus toxicum propinatum agere valuerit? dubitandi locus maneat; i.e. nonne perinde ac diætæ errores, in ſe haud peſtiferi, in peſtem frequentius conjicere ſolent, tempore & in loco, quo peſtis flagrat, venenum, corpus maxime conturbans & exagitans, peſtis larvam induere queat?

Non minor 3. in propinati toxici dolo diſcernendo difficultas deprehenditur, ſi non præſentaneum, ſed temporarium, extiterit illud: ſeu ſi quis ejuſmodi veneno interficiatur, quod tardius demum vim ſuam exerit, ac lento valde marcore ſpirituumque extinctione hominem necat; utpote ab alimentis, quibus forſan commiſcetur, ita ſubactum ac refractum, ut nec ſapore, nec ulla activitate mox poſt ſui aſſumptionem ſe prodat. Neque enim forſan infallibile temporaneorum venenorum criterium credendum illud *Zacchiæ Conſil. 13. num. 12. & 13.* quaſi hæc non adeo ſæva excitent ſymptomata, ſed lenta tantum febricula vires & humiditatem naturalem depopulentur: quod experientia convincamur, nonnullos, quos talia hauſiſſe, non levi conjectura conſtat, enormioribus doloribus colicis, alvi diuturno fluore, convulſionibus atque epilepſia, ſine ulla febre, aliquando etiam ſine notabili contabeſcentia, niſi quam reliqua ſymptomata præſtant, extingui; adeoque ejuſmodi toxica cuncta a *Cardano 1. de Venen. cap. 12.* minus apte ad tabefacientium genus referri. Perinde circiter ac virulentia, a canis rabientis morſu impreſſa aliquando ad aliquot ſeptimanas nedum menſes in corpore demorſi latitat, & tractu demum temporis longiore in graviſſima & lethalia erumpit ſymptomata. Quemadmodum porro 4. intoxicationem, quæ per ſolum contactum externum fit, v. g. veſtimentorum venenatorum, aut olfactu inſpiratorum, vix ulla veneni nota ſenſibili dignoſcere datur.

Aut ſi lentum venenum fuerit propinatum.

Caſum perſpicuum ſatis ac de potionationis credulitate ſufficienter deponentem exhibent Acta publica, ſuper quæ Collegii noſtri Judicium Anno 1670. menſe Julii petebatur. Ubi convicta uxor confitebatur ſe marito Arſenicum citrinum in juſculo exhibuiſſe, a cujus aſſumptione ille hactenus ſanus mox male ſe habuerit, hinc reliquum juſculi averſatus, ac ab eo momento vomitum continuum, anxietates cordis, cardialgiam, reſolutionem & laſſitudinem mem-

Exemplum potionationis evidentioris.

brorum ſpontaneam & vehementiores tandem convulſiones, hasque mortiferas, paſſus fuerit. Inſpecto cadavere, hoc in cute copioſiſſimas rubras, fuſcas ac lividas maculas & papulas nigricantes, abdomen vero ac inteſtina valde tumida, monſtrabat; horum atque meſenterii vaſa ſanguine turgidiora, in ventriculo liquamen fœtidum ac fuſcum & hujus tunica interior manifeſte eroſa cernebatur. Ex quarum circumſtantiarum collectione ſecure & certius inferre licebat, defunctum non a morbo, cujus cauſa interna extiterit, ſed ex propinato Arſenico citrino, toxico, periiſſe: quale quid tamen non adeo frequens obſervatur.

De maleficio facto deponere, difficile.

Maleficii & incantationis indicia determinare rem arduam dum JCti proclamant, hæſitabunt magis Philoſophi ac Medici in productis per faſcinum & incantationem infirmitatibus innuendis, ab illis, de hoc negotio ut deponant, frequentius poſtulati: uti vel ex *Amati Luſit. 6. curat. 87.* conſtat, qui, cum mulier quædam ſuſpicionem, quaſi Juvenem Nobilem incantamentis ſurdum reddidiſſet, incurreret, an ſurditas illa a Veneficio, an cauſa naturali, provenerit, a Judice rogatus, prudenter maxime pro rea renunciabat. Cujus pariter generis eſt Conſilium *Zacchiæ quæſt. med. leg. tom. 3. Conſil. 49.* quo Scriptor hic, poſtquam morbi quidam inſoliti, horrendi, ac mirabilibus ſymptomatis ſtipati urbis certæ & de perſonis maleficii maxime ſuſpectis famoſæ, diverſos utriusque ſexus incolas corripuerant, Medicorum illorum peritiorum, qui prædictorum curam hactenus geſſerant, & a quibus magiſtratus petierat, utrum illos ex naturali, an ſupernaturali potius cauſa ac diabolica arte ægrotaſſe, putarent, hincque non ſine ratione firma diabolicam malitiam in his morbis ſubeſſe aſſerentium, opinionem, conſultus itidem deſuper, comprobavit & confirmavit.

Equidem cur ambigam, minus habeo, dari veneficia, ſeu morbos ſimilesve noxas per faſcinum aut incantamenta & dæmonis miniſterio nonnullis concitari, quacunque demum ratione a malignis ejuſmodi hominibus illud fiat, ut videre eſt apud *Sprengerum Mall. malefic. l. 2. quæſt. 11. & 12. Mart. del Rio l. 3. disquiſ. mag. ſect. 2. quæſt. 4. Torreblanc. de Magis 2. cap. 40. & ſeqq. J. Baptiſt. Codronch. 1. de morb. venefic. Hucber. de ſterilit. l. 4. Sennert. 6. prax. part. 9. cap. 1. 2. &c.*

neque

neque JCtis nec Medicis deficiunt indicia ſeu ſigna cognoſcendi Sagas, Veneficos, Alrumnasve, ac diſcernendi infirmitates ſimiliaque faſcina amoris, odii &c. imo mortem forſan, ab illis illata, recenſita a *Carolo V. Conſtit. crimin. artic.49.* & in has commentatoribus variis, v. g. *M. Stephani, Carpzovio,* it. *Berlichio part. 4. concl. 4. num.144. &c. Jul. Claro §. finis, quæſt. 21. n. 1. 2. &c. Cruſio de Indic. delict. part. 2. c.32. Torreblanc de Magis loc. alleg. Zangero de quæſt. & tortur. cap.2. n.1.2. &c. Dan. Möllero in Conſtit. Saxon. part.4. conſt.2. num.13. Martino del Rio 6. disquiſ. mag. cap. 2. ſ. 2. quæſt.3. Codronchio 3. de Morb. venef. cap. 11. 12. & 13.* ac *F. Fideli 2. ſ. 2. c. 5.* tam remotiora, quam propinquiora, eaque præſumptiones ſeu conjecturas ſatis probabiles in uſum Medicum, ut talem, ſuggerere palam eſt. Quia tamen in foro, ſeu in actione criminali, ubi ſc. de ultimo ſupplicio irrogando aut declinando agitur, ejuſmodi indicia minus ſufficiunt, ſed plenior requiritur probatio, i. e. ut loquuntur, concludentiſſima ſeu luce meridiana clarior: *judicium* etiam in his caſibus *difficile*, cum *Cœſalpino inveſtig. dæmon. peripath. cap. 22. Codronchio l. a. c. 13.* & Frommann *de faſcinat. l.3. part. 8. ſ. 1. cap.3.* pronunciare mihi liceat.

Indicia vulgaria infirmitatum a maleficio.

Vix tamen ſufficientia.

Non diffiteor, diverſorum ſignorum in uno ſubjecto conſpirationem morbos faſcino inductos prompte ſatis determinare, v. g. antecedaneum amorem pellicis & cum hac intimiorem neceſſitudinem, odium hoſtis, inprimis mala minitantis, factas imprecationes, benedictiones, characterum, ſignorum atque imaginum, præſertim crucis, uſum, ſanguinis, capillorum, unguium, excrementorum ac veſtimentorum clandeſtinas ſubtractiones, morbi vehementioris & paradoxi præcipitem invaſionem, poſt ſuſpectæ potiſſimum perſonæ contactum, medelæ hujus difficultatem & exacerbationem potius ejus, ſive ab uſu remediorum naturalium, ſive ſecundum horarum ac dierum, v. g. ſacrorum, diverſitatem, ſive ad perſonarum certarum præſentiam, ſive loci mutationem, ac denique ſolutionum illius modos mirabiles, v. g. per excretionem & extractionem e corpore ac partibus affectis inconſuetorum inſectorum v. g. ranarum, murium, acuum, pilorum, ſtuppæ, corii, ferramentorum ſimiliumque rerum toto genere præternaturalium, ſeu quales per cauſas naturales in corpore humano generari haud poterant: quemadmodum etiam ali-

quando,

quando, unum alterumve tantum horum, v. g. impotentia venerea e veſtigio invadens, tentiginem virgæ, non coitum, permittens, odium conjugis ſine evidente occaſione, extractio acicularum, linteaminum &c. e tumore admodum dolorifico, ſolitaria quoque idem evincunt. Sed quia ſigna ejuſmodi pathognomonica ſolitaria raro præſto ſunt, nec diverſa illorum ſemper in uno ſubjecto combinare datur, ſeorſim vero comparentia & conſiderata interdum fallunt, quidam morbi incantatione excitati cum naturalibus multa communia habent, imo hi illis gravitate & vehementia nonnunquam pares deprehenduntur, illi aliquando etiam lento ſatis motu invadunt, conqueruntur de naturalium quoque morborum horumque cauſarum dignotione pariter ac medela perquam difficili quotidie Medici æque atque infirmi: non immerito hæſitat animus circumſpectior etiam de credulitate tantum ejuſmodi faſcini deponere.

Accedit, quod dæmon non ſemper forſan affectus adeo enormes, paradoxos & inſuetos inducere queat, nec ſoleat, ſed aliquando naturalium faciem habentes, aut ab his parum admodum diſcrepantes: adeoque pro naturalibus haberi poſſint, qui ſupernaturales tamen, nullo ſc. in oculos incurrente ſymptomate ſeu phænomeno ſupernaturali, quibus præſtantiſſimos etiam Medicos ſatanam vel ludificare ſcribit *Wier. de præſtig. dæmon. l. 1. c. 12. ad naturales eos ut referant cauſas, hinc curationem medicamentis fruſtra tentent*, ut ſequens obſervatio docere poterit. Ante hos triginta quinque, ni fallor, annos me advocabat quædam hujus urbis vidua quinquaginta circiter annorum, ut adſiſterem Chirurgo, medenti ulceri cancroſo, ab aliquot jamdum menſes mammam ejus ſiniſtram depaſcenti: cui primam occaſionem, ut cauſa evidens, ex commemoratione ipſiusmet miſeræ, dederat contactus inopinus Chiromantæ, ex illo hiſtrionum nefariorum genere, quos Ægyptios vulgo ajunt, manu temeraria pectus ejus involante, quo contrectationis momento eadem mox perſenſerat dolorem ardentem ſeu inſtar carbonis igniti, cum tantillo tuberculi intrinſeci, ſenſim in tumorem cancroſum abeuntis, grandeſcentis & poſt annum elapſum exulcerati. Cancer genuinus & verus affectus erat, cujus cauſam manifeſtam non tam contactum veneficum, quam terrorem hinc conceptum, opinati fuiſſent ſine

dubio

dubio cum ægra omnes, inprimis quod nihil ſingularis & paradoxi, præter phænomena cancri ordinaria, affectus hic aleret: donec tandem biduo aut triduo ante fœminæ hujus obitum chirurgus, cum ulceri detergendo vacaret, & occurentē intus heterogeneitatem forcipe exiliore protrahere tentaret, Corii tenuioris & in extremitatibus ſuis inciſuris dentatis ſeu ſerratis notati, depromebat fruſtula tria, pollici longitudine & latitudine paria, imo eorum duo notabiliter latiora, faſcinationis monumenta vera, nulla autem conjectura hactenus cognita. Quo etiam ſpectat, ex antecedaneis repetendum, ad venenationis crimen aſſerendum minime ſufficere, quod pocillator aliquid ſub ſpecie & nomine veneni alteri propinaverit, i. e. pocillandi animum prodiderit, imo hunc & actum propinationis confeſſus fuerit, niſi Medicorum cenſura venenationem factam confirmet, ſeu venenum exhibitum ad interficiendum potens ſatis extitiſſe, & ſymptomata lethalia revera concitata fuiſſe, illi depoſuerint. Ergo nec faſcinatoris intentio, nec confeſſio, Judicem ac Medicum corrumpere debet, cum vanæ admodum de artibus ſuis magicis hominum ejuſmodi malignorum perſuaſiones ſæpe ſint, ipſimet utplurimum, quid egerint, neſciant, deficiatque proin, quod Legum Adminiſtratores poſtulant, *Corpus delicti*, ſc. ejuſmodi effectus, quem a faſcino immediate ac vere dependere, in propatulo eſt: poſtquam inprimis non abſonum plane videtur, ejus artem vel a Deo, vel a levi circumſtantiarum mutatione aut defectu, infringi & interpellari poſſe, contingat nihilominus ex alia cauſa, quod fruſtra intenderat Maleficus, v. g. ſi ſub nomine alieno ſeu non faſcinandi geſticulationes ſuas agat, ſi materia adæquata defraudetur, hinc ſanguinem bovinum ſeu vitulinum pro humano, maris pro fœminæ, lac ſcrofæ pro humano, capiat ſicque præter & contra ſuam intentionem haud noceat.

Striges aliquando falluntur.

Poſterioris exemplum egregium *Camerarius de natura & effect. Dæmon. in proœm.* & Frommann *de faſcin. l. 3. part. 5. c. 3.* item *Wierus*, narrant de Judæo quodam, qui cum lac humanum a fœmina ſub certa pollicitatione, peteret, mediante quo hominum ſtragem meditabatur, ab eadem autem eluſus lac ſcrofæ caperet, hocque capiti furis in patibulo pendentis infunderet ſimulque agitaret, præter & contra intentionem ſuam luem concitabat non hominibus, ſed porcis, exitioſam:

tioſam: qui nihilominus, ſi paulo poſt ſimilem virulentiam epidemicam paſſi fuiſſent incolæ ejusdem provinciæ ſeu loci, facile ſibi perſuadere potuiſſet, ſe non porcos, ſed homines, arte ſua perdidiſſe. Conſtet pariter, v. g. vel ex confeſſione rei, vel teſtimonio aliorum omni exceptione majorum, ſagas ex partibus quibusdam infantis non baptizati unguentum illud famoſum, *Paganum* dictum, paraſſe, læſum etiam fuiſſe ſub ejus applicatione, aut brevi poſt eandem aliquem ſecundum intentionem ejuſmodi Strigis: quia nihilominus hoc unguentum ingrediuntur res per ſe innoxiæ, adeoque ejus vis conſumendi corpus hominis ſani intellectum humanum tranſcendit, i. e. quomodo tale quid illud præſtare potuerit, aut, quod revera præſtiterit, per artem Medicam & ex principiis naturalibus evinci nequit; difficilem dico, imo ſphæram medicam ſuperare mihi perſuadeo Renunciationis negotium in cauſa faſcini; perinde ſc. ac ſecundum diverſorum JCtorum Celeberrimorum effata cruentationi ad præſentiam illius, quem occiſorem ſuſpicamur, cadaveris, ideo, quod ambigua, periculoſa & Judicis intellectum tranſcendens ſit probatio, in ferenda de vita hominis ſententia minime fidendum eſſe, ſuperius monitum fuit. Conſtet porro, ſagam bufonis vivi lumbos ac crura percuſſiſſe atque fregiſſe, & quidem in nomine certi individui, reſolutos etiam fuiſſe brevi hujus artus ſecundum intentionem illius veſanæ anus: hæſitat tamen mens, quia rationem phyſicam & genuinam reddere haud valet illius ad paralyſin usque faſcinandi modi, annon ex cauſa alia magisque naturali, v. g. ſcorbuto, utut hactenus latente, potius hæc facta fuerit? Inter alia quibus maleficia aliis inferri ſibi perſuadent ejuſmodi nefarii, ſunt v. g. ſanguis, ſtercus, unguium præſegmina capillive illius, cui nocere intendunt, qualia oſſi cuidam vel cadaveris humani, vel canini, includunt, ac in ejusdem nomine ſepeliunt, v. g. ſub limine oſtii domus, aut in via crucis formam habente: poſito nunc, hominem illum, cujus hæc ſunt, male poſtmodum ſe habere, imo lento maraſmo perire, cui tamen mens ita ſtupeſcet, ut has cum *Cardano* & *Wiero* non meras ſentiat nugas? ſeu quis adeo præcipitis foret judicii, ut rem, nulla ratione perſcrutabilem, veram enunciet? & quidem in necem alterius, quem criminis reum ſine ratione declarat.

Aliquan-

Aliquando etiam contingit, gravidas in ventrem gravius percuti, non ſine abortus metu, imo ejuſmodi fœtus quoque læſionibus, quæ Judici conjiciendi & inveſtigandi occaſionem miniſtrent, annon has illi intulerit percutiens matrem, ſi inprimis ſtigmata & livores compareant in hujus habitu, ac de doloribus penetrantibus conqueratur eadem. Ubi ſane promptus largior, quasdam calcinationes, verbera ſimilesque vehementiores ictus, geſtantis abdominis partibus anticis ac lateralibus potiſſimum illatos, fœtui etiam interdum ſui veſtigium imprimere poſſe, ut caput v.g. hujus tenellum conquaſſent, calvariam & artuum quendam confringant, vaſa rumpant, &c. confirmatus in hoc per avtopſiam pueri recens ac, intuitu putrilaginis jam dum evidenter in hoc conſpicuæ, mortui editi; & juſſu Prætoris Urbani Anno 1682. menſe Martii a me diſſecti. Intra cujus calvariam & integumenta externa molliora multum ſanguinis extravaſati, os occipitis a ſuturæ lambdoideæ tractu ſiniſtro ſeparatum ſeu avulſum ac depreſſum cernebatur, inter duram ac piam matrem autem pariter notabilis cruoris copia reperiebatur. Frequentius tamen matris quoque ab ejuſmodi ictu terrefactæ, imaginationem potentiorem, non vero ictum illatum, ſimile quid præſtare, vel exin comprobari poteſt, quod a metu ſaltem imminentis percuſſionis aliquando tale quid eveniſſe, legamus, v.g. penes *C. Gemmam Coſmocrit. lib. 1. cap. 6.* de fœmina gravida, quam maritus excandeſcens, non adeo procul a partu, ſtricto gladio adoriebatur, hunc velut in calvariam ejus adacturus, quæque, licet fuga ſibi conſuleret, paulo poſt infantem enitebatur, in cujus capitis illa parte, cui in matre acies minitabatur, ingens continui ſolutio comparuerit, ſanguine ad nati ſubitaneum exitium manans. Accedit, quod violentia extrinſeca gravidæ illam corporis partem non raro afficiat, cujus læſio ad fœtus mutilatam partem penetrare haud valebat: ſicut ex Actis, Scabinatus noſtratis Electoralis disquiſitione quondam expoſitis, memini, quendam uxoris gravidæ cervicem manubrio ſecuris percuſſiſſe, quæ fœtum paulo poſt edebat, capite (procul ab ictus matris illati loco ſeu hujus cervice) truncatum. Et vix quatriennium elapſum, quo ad Facultatem Noſtram deferebatur caſus, ubi in tumultu prægnantis cujusdam manus vulnerabatur, ejus abdomen atrociter calcabatur ac

Non omnes ictus gravidis illati in fœtum derivantur.

Sed ſtigmata hujus tantum a matris imaginatione.

hinc inde ad livorem & dolores usque varios variis modis, contundebatur; quæ poſt trimeſtre partu tempeſtivo prolem pariebat, labio leporino horrendo, i.e. labium ſuperius non tantum, ſed gingivas pariter cum maxilla ſuperiore & palato findente, deturpatam: qualem hiatum oris nullam matris contuſionem aut fuſtigationem præſtitiſſe, ex collatione ſitus fœtus in utero, inſtrumentorum lædentium, ſimiliumque circumſtantiarum ſuſpicabatur, ſed terrori potius ac imaginationi matris verberatæ, in acceptis referebat dictum Collegium. Eodem circiter tempore ſc. menſe Junii 1696. a Prætore hujus Urbis judicio meo exponebatur puerulus octo ſeptimanarum, cujus Matri, Eliſabethæ **Lantzenbergerin/** die partum ejus præcedaneo colaphi incuſſi oculum præprimis hujus ſiniſtrum contigerant, ut, an ſuggillatio ingens oculi illius pariter ſiniſtri & hujus palpebrarum, demum in Cataractam abiens, connata percuſſionum illatarum productum exiſteret? renunciarem. Reſpondi, forſan non ſine ratione, non tam a percuſſione illa Matris immediate, oculo ejus ab oculo fœtus maxime diſtanti, illata, quam ab imaginatione ejusdem vehementiore, per ictum illum determinata, hunc oculi fœtus tumorem eveniſſe. Imo aliquando violentiam externam ſimul cum imaginatione matris eundem fœtum, diverſis modis lædere poſſe, recitata obſervatio docet, ubi funiculis umbilicalis ſemel infantis collo & brachio dextro, bis vero cruri dextro, circumvolutus in partu deprehendebatur, agitationis & proſtrationis matris violentioris effectus; labio leporino enormiore interim per imaginationem ejusdem concitato. Cujus etiam generis videtur, quem *Horſtius lib. 5. cap. 36.* deſcribit, partus monſtroſus. Scilicet Opilionis uxoris, molam frumentariam forte prætereuntis, venter ab aſino, fuſtibus exagitato & e foribus prorumpente, tertio imprægnationis menſe eousque offendebatur, ut illa hinc maxime perterrita manum ſuam dextram mox oculis prætenderet: ex qua conſternatione & vehementiore imaginatione matris factum, ut non ſolum ipſius fœtus, circa ſeptimi menſis initium editi, brachium dextrum oculorum ejus regioni (oculis ac naribus deperditis) adnatum, ſed capiti quoque nova calva, vel cutis denſior, aſininis pilis horrida affiᴄta fuerit; quin etiam ab ipſo aſini inſultu ruptis vaſis umbilicalibus e tenero embryonis corpuſculo

ſculo epatis corpus cum potiſſima inteſtinorum parte extra umbilicum prodierit herniamque formarit.

Præterea Commotionem Cerebri, a graviore capitis alliſione ſeu percuſſione factam, non raro mortiferam eſſe, per rationem non minus ac experientiam frequentiorem edocemur: minime vero, aut rariſſime ſaltem, individualiter ſeu in hypotheſi, per avtopſiam illam lethalitatis cauſam demonſtrare conceditur. Cœcitatis probationem diverſis occaſionibus Jura poſcunt, v. g. ſi quis immunitate illius, ab his indulta, frui prætendat, aut alter ob excœcationem puniendus fuerit. Quia tamen cœcitatis cauſa & ratio modo evidens ſatis, v. g. oculi evulſio ac enormior dilaceratio, palpebrarum coalitus totalis; modo latens & dubia magis, i. e. ſi quis oculorum integrorum & apertorum aciem omnino perdiderit: poſterioris caſus probatio ac certitudo multum aliquando difficultatis implicat. Nam, cum actus, qui cœcis proprii cenſentur, & per quos cœcitatem evinci poſſe, Doctores communiter tradunt, dubiam ſatis videantur præſtare probationem, quod ab illis, qui cœcos ſe gerunt, fingi queant, certiorem a Medicis, tanquam in arte peritis, poſcere jubent: haud attendentes, non æque facile his dignoſcere licere omnes oculi internos ſeu latentes affectus, v. g. guttam ſerenam, nervorum opticorum contorſionem hincque evenientem cœcitatem in illis, qui de ſimulatione hujus ſymptomatis ſuſpecti, ac in his, qui miſeriæ ſuæ opem penes Medicum quærunt.

Nec commotio cerebri a priore demonſtrari poteſt.

Nec cœcitas ſemper.

Non minor eſt difficultas in ſurditate ac mutuitate ficta a vera diſcernenda, munere nihilominus pariter ad Medicos devoluto, ut ex *Maſcardi vol. 2. concl. 1037. num. 1.* & *Finckeltuſii obſ. 45. num. 6.* in muto ſuſpecto videre eſt: quaſi ſc. vitiorum horum cauſæ in organis ſemper adeo manifeſtæ ſint, ut ſenſibus pateſcant; cujus tamen contrarium loquitur praxis, etiam in ejuſmodi ſubjectis, quibus defectus hi vere obtigerunt, horumque cauſarum dignotionem ac medelam a Medico expetunt. Ut taceam, prout *Fidelis l. 2. c. 4.* annotavit, ad fauces retracta ac reduplicata lingua inſpicientem falli poſſe, ut non mutum tantum, ſed lingua quoque mutilatum, quem dejeraret.

Neque ſurditas.

Demum frequentius, an mortuus qui mox a nativitate reperitur,

 tur,

Nec, an vivus, an mortuus natus?

tur, partus vivus mortuusve enixus fuerit, deponere jubentur Medici a Prætore, in cauſa ſeu ſuſpicione infanticidii: quod hactenus quidem tentarunt per circumſtantias, ab obſtetricantibus ac cœteris teſtibus aſſertas aut negatas; nunquam tamen quæſtionem hanc inter Medico-Legales ita fuiſſe relatam, ut ex cadaverulo hujusque extiſpicio, i. e. per rationes mere phyſico-anatomicas, judicium certum formet Proſector, ex evolutione Scriptorum, qui de Renunciationibus commendati fuerunt, ſc. *Paræi, Fidelis, Codronchii, Zacchiæ, Welſchii,* it. JCtorum, qui talia tractant, conſtat. Adeo ut, quod per interaneorum nati luſtrationem nunc, ubi de infanticidio præſumptio eſt, teſtificare adigantur Medici, non Legibus, ſed ſibimet, aut potius nonnullis artis ſuæ ſociis in experimentis formandis & concluſionibus hinc eliciendis juſto præcipitibus, imputare debeant. Horum enim nonnulli ex *Galeno 15. de uſu partium 6. Piccolhomino, Laurentio, C. Bartholino, Veslingio, &c.* annotantes, ſubſtantiam pulmonum in fœtu rubram, denſam & gravem, in edito ſubalbam, raram ac levem, obſervari, & ſecundum modernos quosdam, v. g. *Harveum, Highmorum, Thraſtonem, Th. Bartholinum, Swammerdamium, &c.* ideo ſeu per compagis hujus diſparitatem pulmones fœtus, aquæ injectos, mox ſubmergi & præcipitari, nati ſupernatare: an partus vivus mortuusve a matre excluſus fuerit, ex dicta pulmonum ſupernatatione aut ſubmerſione decidere ſuſtinuerunt. Quod tamen Experimentum, quamvis quæſtioni illi theoreticæ, an fœtus in utero reſpiret? diſcutiendæ, cœteris paribus congruum ſatis exiſtimem: ut documentum & ſignum nihilominus fidum ac infallibile, quale idem plurimos hactenus ſibi concepiſſe, cum ſtupore obſervamus, pro controverſia decernenda: An natus in utero, an extra eundem demum, obierit, occiſusve fuerit? & pro defendendis aut inculpandis ſeu convincendis infanticidis, nunquam admittere potui, donec ſc. diſcuſſas viderim difficultates, quæ teſtimonii hujus fidem ſubleſtam ſeu dubiam reddere valebant, nimirum ſequentes.

Nec quidem ex pulmonum natatu ac ſubmerſione.

Etiam mortui nati pulmones inflatione ad natan-

Fluctuantes ſuper aquam pulmones infantis eſſe, qui a nativitate reſpiraverat, promptius concederem, adeoque hinc commode ſatis inferri, *E. infans, cujus illi ſunt, vivus partu excluſus, ac natus demum vel ſponte expiravit, vel per vim quandam extinctus fuit:* niſi obſta-

ret

ret primo, tantillo aëris, intra uterum maternum mortui ac nati faucibus inflato, hujus pulmones vivi nati pulmonibus ſimiles, id eſt, albos, raros & natatiles, reddi poſſe, perinde ac e fœtu mortuo exſecti per aliqualem aëris inſpirationem tales evadunt, ut poſtmodum vix ullo molimine (niſi forſan per antliam pnevmaticam omni aëre probe evacuato) denuo ad omnimodam & naturalem ſubſidentiam disponi queant; qualem fallaciam *Böckelman* quoque penes *Blanckart. Collect. phyſ. med. cent. 5. obſ. 92.* admittit. Ejuſmodi equidem virulentum ac malignum hominum genus fingere nolo, quod phœnomeni hujus gnarum, talem rarefactionem pulmonum intra uterum mortui infantis attentet, matremque hujus innocentem crudeli plane ac maligno affectu in infanticidii præſumptionem conjiciat: illum tamen caſum nunquam dabilem ſeu impoſſibilem plane nemo prudentum aſſeret, quin ipſa mater, pia ſatis & quam tenerrimæ conſcientiæ, quo fœtum debiliorem & ſyncopizantem mortis faucibus eripiat, ori ejus aliquid auræ inhalet, perinde ac ab Obſtetricibus in ejuſmodi ancipitibus caſibus atque anguſtiis fieri ſolet, ſicque vere etiam ante nativitatem mortui pulmones, in ſui propriam necem explicet ſeu natationi adaptet. Quemadmodum non tantum catulorum mortuorum exſectorum pulmones levi aëris impulſu me eousque diſtendiſſe, memini, ſed in cadaveribus recens natorum, propter infanticidii ſuſpicionẽ hinc inde diſſectis, me atq; adſtantes idem docuit avtopſia, teſtaturq; idem *Reygerus in Miſc. Nat. curioſ. dec. 1. ann. 6. obſ. 202.* Sc. aliquot elapſi ſunt anni, cum ab Ampliſſimo Civitatus hujus urbis ſenatu in pagum vicinum evocarer, ut de nati cadaverulo, an culpa matris (de infanticidio ſuſpectæ) obierit, renunciarem, advenientes non tantum ex hujus, ſed Obſtetricis quoque, quæ huic in partu opem tulerat, cœterorumque adſtantium, relatione intelligebamus, fœtum non modo aliquot ante partum horas in latere, ni fallor, ſiniſtro abdominis materni ſine omni motu ſeu in glomum quaſi convolutum jacuiſſe, ſed mortuum quoque, i. e. ſine motu aliove vitæ indicio, prodiiſſe, niſi quod, poſtquam eadem Obſtetrix ipſius faucibus ſpiritum inhalarat, bis adhuc exhalare viſus fuerit, noch gegiebſet. Noſmetipſi cernebamus cadaver partui perfecto & maturo ſimile, ejus funiculum umbilicalem hinc inde putrilaginoſum

dum diſponuntur.

(qua-

(qualem corruptelam in ſecundinis remotis quoque aſſerebat Obſtetrix) totum habitum marcidum & flaccidum valde, nullam vero violentiæ illatæ notam, obſervabamus. Unde Obſtetrici ſubſcribere jubebamur, & quidem per phœnomena relata, mortuum hunc partum prodiiſſe, quem mater, obſtetricem ipſamet accerſens, celare noluerat. Quo autem etiam hac occaſione controverſiam illam, de innatantibus ac ſubmergentibus recens natorum pulmonibus, per experimentum ventilarem, e thorace tenello hos extractos, ſatis albicantes, aquæ injiciebam, cui ſupernatabant, fœtus nihilominus in utero mortui: ſine dubio, quod aliquantulum explicati fuerint, facta ab Obſtetrice aëris inſpiratione. E. quod probandum erat, hactenus negatum, *Aliquando pulmones mortui intra uterum fœtus aquæ ſupernatant.* Minus vero tutum ſeu fidum erit hoc ſubſidentiæ atque innatationis Pulmonum experimentum, ubi putredinem jamdum ſuſtinuit cadaver: quatenus per hanc quidem pulmones illius nati, qui reſpiravit, ad demergendum haud facile diſponuntur, dum cunctæ illorum compagem conſtituentes veſiculæ per putrefactionem aliqualem ac inchoatam tantum eousque lacerari & deſtrui nequeunt, ut omnem aërem hauſtum dimittant; diſponi nihilominus ad fluctuationem ſuper aqua forſan poſſunt illius, qui nondum reſpiravit, ſed mortuus natus, mediante ſc. rarefactione illa, quam putredo cadaveribus horumque membris præſtat, ut quæ eorum aliquandiu in profundis aquarum hactenus hæſerant, poſtmodum in ſublime earum ferantur & his ſupernatent, quale quid etiam vulgi experientia tradit.

Dubium erit hoc experimentum in putreſcente cadavere.

Etiam ſub partu reſpirare poteſt aliquantulum fœtus, qui mortuus naſcitur.

Deinde in Dyſtocia non raro evenit, ut ruptis ſecundinis ac profuſis aquis ambientibus fœtus intra uterum aliquandiu adhuc hærens aëris tantum per vaginam admittere, & intra pulmones ſuos recipere valeat, quantum ad hos tantiſper explicandos atque natatiles reddendos ſufficit; mortuus nihilominus demum exturbatus. Cui conjecturæ etiam litare deprehendo illos Medicos, qui penes *Blanckartum l. a.* Ruyſchio, Medicis Ultrajectinis, Batavinis & Bockelmanno, experimentum de ſubmergentibus & natantibus pulmonibus pro vivo aut mortuo nato profitentibus, contradicere annituntur: quibus quamvis per omnia ſubſcribere nolim, nec tamen *Bo-*

ckelmanno

ckelmanno, dum *l. a.* aëris ejuſmodi introitum impoſſibilem plane, argumentis quibusdam reddere conatur, aſſentiri poſſum; quatenus fœtum ſub difficili partu nonnunquam ſenſibiliter ſatis anhelare deprehendimus. Neque doctrina Carteſiana ac Swammerdamiana, de aëris ad uterum & fœtum denegato impulſu, quam *Bockelman.* omni dubio ſuperiorem ſupponit, item, de compreſſo ab utero, poſt effluxum aquarum e ſecundinis ruptis ſubſidente, fœtus ambitu, hincque illius admiſſione denegata, difficultati motæ declinandæ par eſt: poſtquam illa hypotheſis de impulſu aëris dudum jamdum confutata hinc inde legitur; conniventium autem uteri parietum renitentia vix tanta, quin a fœtus motibus illi aliquatenus dilatari ſicque thoraci fœtus diſtendendo & aëri, vaginæ uteri viciniori locus & aditus aliquis parari queat; Potiſſimum cum ipſemet *Overkamp. Oeconom. animal. cap. 12.* quamvis ſtrenuum propugnatorem hujus experimenti ſe gerat, ſponte concedat ac fateatur, quandoque partus in utero mortui pulmones aquæ ſupernatare: ſi nimirum fœtus vivus in ipſo partu, poſtquam reſpirarit, mortem obierit, utero nondum excluſus, ſeque in una fœmina quatuor ejuſmodi partus obſervaſſe perhibeat.

Nec pulmones ſubmergentes fœtum ſemper mortuum innuunt.

Et licet forſan recens natum reſpiraſſe atque vixiſſe ex pulmonum ejus natatu inferre concederem, incertam nihilominus ac fallacem maxime alteram experimenti hujus partem, hincque factam illationem minus firmam, ſuſpicor, ſeu *ex ſola ſubmerſione pulmonum natum in partu & poſt partum non vixiſſe*, adeo obſolute mihi perſuadere vix poſſum. Novi quidem allegatos Scriptores hoc fœtus ante nativitatem extincti certiſſimum tecmirium aſſerere, recordor etiam, pleroſque Medicos ac horum aliquot Celeberrima ac Prudentiſſima Collegia iisdem hactenus adſtipulata fuiſſe, quæ cum illis ſenſu ſuo abundare lubens patior: nollem tamen ego cauſam ſanguinis ſuſpecto ejuſmodi arbitrio exponere, & rem dubiam dubio & fallaci ſatis experimento dirimere; cum non deſint argumenta, aut dubitandi ad minimum rationes maxime ponderoſæ, quæ, *omnes natos, quorum pulmones, aquæ commiſſi, huic ſubmerguntur, ante partum e vivis deceſſiſſe*, abſolute affirmare haud ſinunt.

Nimirum, quod potentiſſimum hactenus viſum, & a Phyſicis cunctis ſub axiomatica fide ſuppoſitum fuit, theoremati, *Vitam & Reſpirationem paribus paſſibus ambulare*, ſeu, ut *Galenus 6. de loc. affect. c. 5.* ait, *Spirationem a vita, & vitam a ſpiratione ſeparari non poſſe; adeo ut viventem non reſpirare & ſpirantem non vivere ſit impoſſibile*, tantum autoritatis canonicæ concedere haud valeo, quin *vitam in recens natis reſpiratione aliquando priorem, ſeu aliquandiu etiam ſine hac* affirmem, adeoque dogma ſeu axioma illud Scholarum commune precarium ſatis pronunciem. Quippe per experientiam quotidianam evidens eſt, quam ſuam quoque faciunt *Domini Medici Wittebergenſes* in cauſa ſeu ſuſpicione infanticidii renunciantes, adeo languentem partum non raro excludi, ut omnis motus, ſenſus atque reſpirationis expers per aliquot momenta deprehendatur, hinc non, niſi variis vellicationibus, fomentationibus calidioribus, aromaticorum atque ſpirituoſorum liquorum adſperſionibus & inſtillationibus, item inhalationibus, demum, excitetur & ejulatu primo aëris primam admiſſionem teſtetur. Hunc ſine omni ſenſu & motu (niſi quod in arteriis ejus patentioribus v. g. umbilicalibus, aliqualis adhuc micatio obſervetur) hinc ſine reſpiratorio quoque, quis mortuum diceret, quem tanto conatu reſuſcitare attentat, & feliciter ſæpe in vitam revocat? cum hujus formalitas animæ & corporis connubium ſit, quo ſemel ſoluto illa haud redit, nec ullis moliminibus reduci poteſt. Per conſequens, quamvis ſenſus atque motus phœnomena in nato deficiant, vita interim nihilominus ſeu unio illa animæ ac corporis in eo neceſſario erit concipienda, & quidem ex ſenſu atque motu poſtliminio revertentibus; perinde ac fœtus intra involucra ſua adhuc editus, quem partum maxime naturalem *Harveus de partu* ait, aliquando aut nihil omnino motus exerit, aut thoracem ſaltem minus movet: adeoque falſum, quod ſupponebant, omnes homines ſtatim ab ipſo partus momento reſpirare.

Etiam ſine reſpiratione aliquandiu vivere poteſt natus.

Vivum E. revera hunc, utut nondum reſpirantem, ſi mater impia ſuffocet aut quacunque ratione enecet, ſeu enecari patiatur, pulmones ejus cernes compactiores, ſanguine maxime perfuſos, graves & aquæ ſubmergentes: non mortui tamen, ſed vivi, nati, etſi nondum reſpirantis, organa. Imo ideo non inepte plane agere in ejusmodi

modi caſibus videntur noſtræ mulierculæ ac Obſtetrices, dum natī ſyncopizantis ac non mox reſpirantis faucibus halitum immittunt, ſicque mortuo ſimilem reſuſcitant: forſan quod ſanguinis motus vitalis in illo, absque elatere acceſſorio, quem ab aëre liberiore expectabat, pro hoc tamen admittendo vel recipiendo thoracem, præ ſumma virium imbecillitate, nondum ſponte explicare poterat, fere ſuccumbens, ab aëris paulo vehementiore impulſu ſeu inhalatione alterius, reſtituatur, ſicque editus ſenſibiliter reviviſcat quaſi. Contra ſicut natus imbecillior aliquando non æque prompte reſpirat, ita nec vegetior elatere aëreo externo ſemper forſan adeo opus habet, & ſufficit ipſi ejusque fluido vitali aliquantiſper exagitando ſeu hujus motui ad tempuſculum perpetuando motor internus a matre deciduus ſeu impreſſus. Perinde ac per experientiam advertere licet, catulos aliaque animalia mox a partu & antequam ſpirarint, longe difficilius ſtrangulari ſeu ſuffocari, quam illa, quorum cervicem uno vel altero demum poſt enixum & reſpirationem jamdum inchoatam momento, conſtringimus, quod ſine aëris externi uſu, per motum vitalem ſanguini connatum aliquandiu durare queant. Quod idem per duplicem experientiam, quam olim *Circul. phyſiol. anat. progymon.3.* produxi, evidens eſt: qua binas ex nefario coitu a diverſis parentibus generatas & partu excluſas puellas ab iisdem, criminis ſui contegendi cauſa, vivas, pannis obvolutas, in terram defoſſas, hac atque mergitibus ſpicarum coopertas, poſt aliquot tamen horas ſuperſtites ſingulari fato erutas accepi. Atque talis conſtitutionis ſeu habitudinis, utero ac tunicis ſuis vere vivus excluſus, partus itidem ſine dubio pulmones retinebit compactiores & aquæ haud ſupernatantes: ac minus perpetuum reddet aſſertum, vivi nati pulmones aquis ſupernatare. **Quod exemplis probatur.**

Neque gratis me hoc aſſerere, vel potius tantum fingere, quemlibet docebit Experimentum ſequens, modo in hoc adminiſtrando accuratiorem & frequentem ſe præſtet: cum non pari plane eventu ſuccedant tentamina, hujus phœnomeni obſervandi gratia adornata. Scilicet ſi præſto ſit canis aliudve animal, partui quam vicinum, catulorum enixus ſtudioſe & cum patientia expectetur, horumq; prodeuntium guttur mox, antequam ſpirare videantur, conſtringatur; **Et experimento in catulis nondum reſpirantibus.**

 qui

qui vivi nihilominus, inter ſtrangulandum, varios corporis motus & oris rictus convulſivos exercebunt, diſſecti in pectore cor ſatis potenter vibrans pulmonesque compactiores oſtendent, ac hi, aquæ injecti, perinde ac non natorum, fundum petent. Non dubitabit de rei hujus ſucceſſu & fide, ideo, quaſi catuli non omnes ſtatim, ac uterum deliquerunt & ſecundinas depoſuerunt, neceſſario reſpirent, qui *Boylii de vi aëris elaſtica experimentum 41.* evolvet, ubi catulos quosdam vivos exemptos, antequam reſpirarent, ſe diſſecuiſſe perhibet: & vix fruſtranei erunt in obſervando hoc illius conatus, ſi modo celeriter & dextre ſatis operatus fuerit.

Fœtus vivus, antequam reſpirarit variis technis interfici poteſt.

Accedit, quemadmodum luctuoſa ſatis aliquando teſtatur experientia, funiculum umbilicalem collo fœtus naſcendi præter naturam atque ita circumvolvi, ut in ipſo hujus enixu incongrue tenſus, inprimis ſi imprudentior Obſtetricis manus accedat, illud ad ſuffocationem usque conſtringat; item caput in partu conſtituti vel a matris, piæ etiam ſatis, incongruo motu ac ſitu, vel ejusdem Obſtetricis rudiore contrectatione, lethaliter interdum conquaſſari. Quid proin dicendum foret, ſi pariens ἄστοργος, aut huic obſtetricans & complex truculentior eundem funiculum ſtrictius attrahendo, aut hunc, cum fœtu mox prominentem, præſecando, aut calvariæ oſſa laxiora ac molliora violentius comprimendo, dum enixum juvare mentitur, aut quavis arte nefaria, enecent, eumque mortuum excluſum dejerent? An in ejuſmodi caſu pulmones, ſine dubio in aqua ſubſidentes, has facinoroſas ab infanticidii crimine liberabunt? profecto temeritatis, imprudentiæ ac malitiæ res erit, hoc affirmare.

Cum tota compage pulmonum inſtituatur hoc experimentum.

Porro etiam hoc præſumptioni, a natatu & deſcenſu pulmonum petitæ, non parum fidei derogat, quod non ſemel deprehenderim, unius ejusdem recens editi pulmonis quoddam fruſtum ad fundum vaſis deſcendiſſe, alterum huic innataſſe; quale quid ſe pariter annotaſſe refert *Craan de hom. cap. 30.* ſc. quod infantis ejuſmodi, brevioris vitæ, pulmo aëre non ſtatim totaliter infletur, ſed ſecundum aliquam tantum ejus partem: & ſic, quamvis quædam pars, quam aër non ſubiit, fundum petat, in aquam conjecta, minime tamen ſequi, infantem mortuum in lucem eſſe editum. Hinc, ne Judex & Medicus fallatur, omnes pulmonis lobos explorandos, diſcindendos hosque

que ſucceſſive aquæ injiciendos monet: &, ſi omnes fundum petant certo & recte inferri, fœtum ante partum vita exceſſiſſe; quodſi autem infans per momentum tantum reſpiraverit, ſicque ſinguli lobi aëre non æque repleantur, adeoque major forſan pulmonum pars ſubmergatur, aliqua tantum ſupernatante, minime concludendum fœtum in utero extinctum, ſed eundem per aliquot momenta extra uterum jamdum reſpiraſſe, hinc vixiſſe. Verum eidem ambiguitati hæc immergitur cautela, ac totum hactenus ventilatum experimentum: poſtquam hocce ab utraque ſui parte fallere, partim dictum, partim ex ſequentibus conſtabit.

Fallere tamen, experientia declarat.

Suppeditant hæc *Excellentiſſimi Domini Zelleri, in Academ. Tübingenſi Profeſſoris Celeberrimi* obſervationes binæ recenſitæ in peculiari ejus diſputatione publica, cujus Inſcriptio, *Infanticidas non abſolvit nec a tortura liberat, nec Reſpirationem in utero tollit Pulmonum in aqua ſubſidentia.* Quarum prima vitulum ſiſtit, poſt ſui partum per dimidium horæ ſpatium adhuc ſuperſtitem & crebris anhelationibus fortioreque abdominis motu, qualis fere equorum delaſſatorum, ſe reſpiraſſe teſtatum facientem, cujus pulmones nihilominus aquæ injecti, inſtar lapidis fundum ejus petierint: altera ex Actis Judicialibus, Infanticidium ac Nepoticidium concernentibus, & *Ampliſſimæ Facultatis Medicæ Tübingenſis* judicio expoſitis, petita, infantis poſt ſui nativitatem aliquot vicibus evidenter vagientis, hinc reſpirantis, vivi clandeſtine ſepulti ac denuo eruti, pulmones aquæ, cui injecti, pariter prompte ſubmerſos fuiſſe. Subnecto his caſum Infanticidii, ſuperioribus annis deciſioni Scabinatus hujus loci inclyti expoſitum, in quo Mater truculenta infanticidium primo pertinaciter negabat, favebantque illius negationi pulmones nati in aqua ſubſidentes, huncque in utero defunctum innuentes: poſtmodum nihilominus, ſe partum vivum enixum fuiſſe, eundemque enecaſſe, fatebatur, & ad ultimum usque ſupplicium conſtantiſſime aſſeverabat.

E. ſoli huic pulmonum natatui aut ſubmerſio-

Proin Experimentum hoc ſolitarium, & hactenus adeo jactitatum, ut nonnullus *argumentum* illud proclamarit *indubitatum ad convincendas infanticidas, & indagandam veritatem, an infans in utero mortuus, vel demum poſt partum quocunque modo ſtrangulatus vel occiſus?*

ni vix fidendum. *ciſus?* Infanticidæ abſolvendæ minus adæquatum deprehenditur, annuente in cauſa ſimili Annen Voigtin ejusque matris ſuperioribus annis in Præfectura Pegavienſi, hinc Lipſienſi, ventilata, *Nobiliſſima Wittebergenſium Facultate Medica* per hæc inprimis ſui *Reſponſi*, *Anno 1684. d. 30. Auguſti* formati, verba: Wir können aber nicht davor achten/ daß dieſes (ſubmerſio nempe pulmonum) ein indubitatum und univerſale Argumentum ſey/ wodurch ſo gar gewiß bewieſen werden können/ es müſſe das Kind ante partum in Mutterleibe verſtorben ſeyn. Man könte endlich wohl ex præſuppoſitis ſchlieſſen/ wann eine Lunge im Waſſer ſincket/ ſo hat dieſelbe noch keine Lufft in der Welt geſchöpffet/ aber es folget nicht alsbald/ daß es müſſe in Mutterleibe geſtorben ſeyn/ ſintemahl ſo wohl in/ als nach/ der Geburth ein lebendig Kind kan ertödtet werden/ ehe es Athem hohlet. Dieſes zu behaupten/ muß vor allen Dingen præſupponiret werden/ daß ein Kind eine Zeitlang auſſer Mutterleibe/ ehe es Athem hohlet/ wie in utero, leben könne/ ꝛc.

Niſi alia combinentur phœnomena. Aliquando equidem evenire ſolet, ut experimento huic alia combinentur phœnomena, illius pondus intendentia: quorum unum ſingulare maxime & rarioris forſan obſervationis, producam. Nimirum his ipſis diebus, dum typis hæc exſcribuntur, copia mihi dabatur legendi Acta inquiſitionalia in Infanticidii puncto, cujus proſtibulum quoddam Dresdenſe accuſabatur; Nati thoracis integumenta molliora, inſtar eorum qui anaſarca laborant, ſpongioſa & ſero turgida a Medico & Chirurgis, ſectionem cadaveris adminiſtrantibus, deprehendebantur, thorax totus aqua ſcatebat, pulmones rubicundi, compacti atque exiles ad ſpinam reclinati ſeu depreſſi, cum aqua injicerentur, ſubmergebantur, nullumque violentiæ extrinſecus illatæ comparebat ſignum, quin etiam funiculus umbilicalis integer, non abruptus, ſed ſecundinæ adhuc annexus. Negabat facinoroſa primo fœtum vivum editum fuiſſe, diffitebatur infanticidium: tormentis autem admota aſſerebat utrumque; quod paulo poſt, ab his liberata magna conſtantia denuo negabat, & adhuc pernegat. Qualis etiam ſub tormentis facta confeſſio vel ideo ſuſpecta & horum cruciatu expreſſa videtur, dum ploraſſe ac clamaſſe editum ſimul dixerat, quale quid vel ob hydropem fœtus, vel quod pulmo-

nes

nes aquæ non ſupernatarint, dictu ac creditu difficile: vel dum modo proſtratione corpuſculi violentiore in humum, modo funiculi umbilicalis divulſione ſe infanti necem intuliſſe, dixerat; quorum illius nulla in ſectione comparuerint ſigna, funiculum etiam Inſpectores integrum minimeq; laceratum teſtati fuerint. Et numne fieri poteſt, ut conſtet, fœtum brevi ante partum vixiſſe, ſuggillationes in capitis non tantum integumentis mollioribus, ſed ipſis quoque calvariæ oſſibus, conſpiciantur, ſtercorata compareant linteamina, quibus ejusmodi recens natus involutus eſt, ſique inprimis facile peperit mater, fœtumque vivum hanc enixam fuiſſe valde veroſimile ſit. &c. Quin tamen hæc ſigna judicio, a pulmonum natatu petito, ſemper ac undique faveant, caſus alterius generis, v. g. ſi partus contra difficilior extiterit, ac ſtercoribus defœdatus prodierit fœtus, evincunt. Quemadmodum nec eorum defectus cum ſubmergentibus pulmonibus hunc mortuum ſemper excluſum infallibiliter innuit: dum ſine ſtercorum excretione aliquandiu poſt partum vivere poteſt idem, inprimis nondum reſpirans; nec adeo certo ejus vita ſub partus conatibus ſemper dignoſci, mater vero ἄϛοργος ſine ejuſmodi capitis evidentioribus impreſſionibus, variiſque aliis modis tenellum natum enecare, valet.

Ubi tamen adhuc cautione opus.

Neque ſane illi, qui in quæſtione circa experimentum hoc ejusque vim dubia, ſi pulmones ſubmergi contingat, miſericordiam rationibus dubitandi prævalere volunt, hinc fœtum in utero ſeu ante ſui enixum mortuum aſſerere inclinant, ſuo officio & conſcientiæ ſe ſatis feciſſe ſibi perſuadent: quaſi regula illa Juris, *Dubia in meliorem partem ſunt interpretanda*, ſeu, *Ambiguis in rebus, quod mitius eſt, ſequamur*, it. *In dubiis mitior ſententia eligenda*, ad Medicos quoque ſpectet, quorum objectum nihilominus nec juſtum, nec æquum, ſed verum, eſt, adeoque iis *ambiguis in rebus abſolutum judicium haud competit* juxta *C. habuiſſe 7. diſt. 33.* dum *omne ambiguum impedimentum deciſioni ſolet afferre arg. l. unic. ibi, ſi vero aliquid fuerit, C. de Nov. op. Nunc.* Quid enim lenitatis ſeu favoris expectandum foret matri de infanticidio ſuſpectæ, cujus nati pulmones forte fluctuarent? utpote quem non poſſet non extra uterum vivum pronunciare Medicus, niſi ipſemet experimenti hujus vim illudere mallet;

In dubia re mitiori judicio ſtandum non ad medicum ſpectat.

Hinc,

Hinc, in priore caſu quam declaraverat, lenitatem in poſteriore hoc ſævitia majore defœdaret, quod in dubio (ex hypotheſi) mitiori ſeu benigniori ſententiæ haud locum concedat. Et pium ſimulque cordatum magis ſine dubio ſe præſtabit ille, ſi non ex affectu ſeu ægritudine ex miſeria criminis ſuſpectæ, ſed ex phœnomenorum ſeu circumſtantiarum evidentiarum habitudine, de infanticidio etiam deponat, hocque per eam vel affirmet, vel neget, vel ſibi dubium ſeu incertum hoc fateatur: ſic enim *non ſutor ultra crepidam* ſapiet. Addo, quod, ſi Medico cuncta ambigua ſeu dubia mera ſua autoritate vel pietate decidere, id eſt, in benigniorem ſemper partem interpretari, concedatur, nunquam dubium maneret Judicis favorem poſtulans: i. e. dum ambiguum relinquitur infanticidium a Medico, mitiorem amplectitur hic, qui Magiſtratum gerit; cui, non Medico, teſti tantum, favere & non favere licet ac incumbit. Nec illum excuſat, quod de credulitate tantum deponere poſtuletur: quatenus ex dubio argumento nulla nec veritas, nec probabilitas, formari ſeu elici valet: & qui favori litat, ut dixi, nec veritatem, nec credulitatem, ſibi ſcopum tenet.

Sed ad judicem tantum.

Recenſui hactenus caſus ejuſmodi, quos Medicus ex fundamentis artis nunquam, niſi ambigue & vix probabiliter decidere poteſt: nunc de iis adhuc diſſeram, de quibus nonnunquam & in quibusdam ſubjectis ſatis probabiliter deponit, aliquando tamen & in aliis vix de credulitate teſtificari poteſt; quamvis nec horum omnes adducere æque liceat.

Primo nempe rogatur ejus renunciatio ſuper ſuſpenſos & in aquam præcipitatos, an vivi, an mortui, ſuſpenſi & ſubmerſi fuerint: ubi inter cœteras notas *Paræus*, *Fidelis*, & *R. a Caſtro* rationem habendam eſſe monent ſpumæ, circa fauces ac in aſpera arteria modo turgeſcentis, modo deficientis; quarum hæc mortuum, illa vivum, aquis vel funi mancipatum innuat. Qualem conjecturam, cœteris paribus, in adultioribus ſeu longius a partu ſuffocatis, ut veroſimilem ſatis, admitto: ubi vero de recens nato infante controverſia emergit, i. e. ſpuma repletum hujus os & fauces, an ideo vivus a matre fuerit ſuffocatus, in aquam aut cloacam demerſus; categorice pronunciare vereor. Quatenus in recens natorum, ante partum, ſub

Recens natos vivos ſuffocatos fuiſſe ex ſpuma circa os infallibiliter haud concluditur.

partu

partu & brevi poſt partum defunctorum faucibus ac pulmonum vaſis trachealibus par ſpumoſitas non raro obſervatur, eveniens aut ex mucoſitate pulmonum connata, aut ab aquis ſecundinarum, fœtus ora interiora irruentibus atque opplentibus: quales infarctus in plus minus vivis editis etiam reperiri, nec mulierculas noſtras latet. Adeoque haud paradoxum videri debet Judici, ſi Medicus, ubi de infanticidio ſuffocatorio equidem ſuſpicio eſt, ejus tamen nulla alia ſigna evidentia ullibi comparent, ſuum judicium ſuſpendat, aut per illius ſpumoſitatis inſufficientiam neget. Ut mittam, recens natos ſuffocandi modos ejuſmodi forſan ſuppetere, ſeu malignitatem ſceleſtarum depromere, quibus ſine notabili ſpumæ circa fauces turgeſcentia extinguantur miſelli, v. g. fauces eorum linteaminibus infarciendo, eosdemve in latrinam ſimilemve locum cœnoſum præcipitando: quorum illa ſerum ſpumoſum imbibunt, hujus vero illuvies obliterat.

Deinde in iisdem recens editis pariter impoſſibile, aut certe perquam difficile, erit Medico factam depreſſionem Calvariæ ac Cerebri lethalem dignoſcere, circa fontanellam inprimis: cum, quamvis aliquando ſuggillatio & extravaſatio ſanguinis notabilis ejuſmodi violentiam innuat, tale nihilominus ſimileve veſtigium nec in integumentis externis, nec in cerebro, utrisque flexibilibus admodum & mollioribus, ſemper compareat; aſſerant interim eandem vel propria infanticidæ confeſſio, vel aliorum teſtimonia: quibus deficientibus occultum manet commiſſum flagitium.

Nec depreſſio calvariæ lethalis in his ſemper æque dignoſcitur.

Tertio ſicut haud infrequens eſt, fœminas, quo impudicitiam ſuam celent, partum perpeſſum negare, ita, conjecturam hujus delicti firmare vel diſcutere in illis, quæ recens ſeu modo pepererunt, primis nempe decem diebus, res non adeo difficilis obſervatur, per Lochiorum nempe profluxum & genitalium habitudinem, mammarum a lacte turgeſcentiam &c. olim vero, v. g. ante totidem menſes, tale quid factum fuiſſe, aſſerere per conjecturas medicas vix ſemper conceditur. Dum quæ vulgo a ventris rugoſitate atque flacciditate ac genitalium laxitate & amplitudine petitur, inculpationis ſuſpicio diverſimode fallit in his, quas olim & ante diſſimulatum partum jamdum quoque peperiſſe conſtat, v. g. viduis aut proſtibulis notoriis,

Nec partus olim factus.

ubi dubii cum Obſtetricibus diſcedunt Medici, an a priſtino, an a nupero, enixu illa hypogaſtrii flacciditas atque vaginæ latitudo ſit: ſed in ejuſmodi tantum caſu alicujus momenti eſt indicium, ubi, quem diſſimulat, partus primus cenſetur. Accedit, quod quævis alia cauſa abdomen aliquandiu præter modum diſtendens, v. g. aſcites aut hydrops uteri, ſublata ſeu evaneſcens, ventris ejuſmodi ſubſidentiam rugoſam quoque inferre ſoleat: contra quædam, primiparæ inprimis & obeſeriores, parum, aut nihil, rugoſitatis ſeu flacciditatis hujus experiantur, aut longius a partu eandem iterum deponant. Ut taceam, illam genitalium latitudinem tractu temporis aut ſponte deleri, aut arte ſeu fraudibus variis vafre ſatis emendari poſſe.

Neque abortus motus. Abortum concitatum fuiſſe ac contigiſſe, pariter in quibuſdam individuis aliquando difficulter dignoſcitur: id eſt, quamvis hoc commode ſatis fiat, ſi fœtus abactus major & perfectior extiterit, minoris tamen ac immaturioris, ſeu qui ſecundum, tertium &c. geſtationis menſem nondum attigit, ſigna vix æque manifeſta ſeu certa ſunt & fruſtra indagantur. Cum ejuſmodi præmatura conceptus ſeu embryonis exilioris excluſio aliquando parturientibus ipſis vix ſenſibilis ſeu evidens ſit, ut illius interdum non plus, quam eruptionis menſium hactenus ſuppreſſorum rationem habeant; niſi forſan ex geſtationis præcedaneæ ſignis & mammarum notabili a lacte turgeſcentia abortum recentem admodum augurari liceat. Et quod enarratis conjecturis addit *Zacchias*, quaſi abortum, technis concitatum, febris ac inflammatio genitalium ſimiliaque ſymptomata ſemper & neceſſario excipiant, fallit; quatenus nec perpetua, ſed rariora, hæc ſunt, nec, ſi exiſtant, de illo infallibiliter teſtantur.

Nec uteri geſtatio. Uterum geſtare Matronas honeſtas aliquando facile, nonnunquam difficulter, dignoſcitur, & ipſæmet frequentius opinione ſua falluntur; difficilius ſemper in meretricibus, quæ impræganationem callide diſſimulant, de fœtus abactione aut occultatione & infanticidio cogitantes: cum, quæ illæ prompte ac ingenue referunt, conceptionis ſigna vel ſymptomata hæc, pro libidine ac malitia ſua tegenda, taceant, aliaque iis ſubſtituant ac fingant. Ut nec in tali caſu ſtupiditatis accuſandus veniat Medicus, ſi in abſtruſo hoc eruendo hallucinetur: inprimis, ſi propter Familiæ ac (quantam quidem hic novit)

vitæ

vitæ fœmellæ honeſtatem imprægnationem augurari prohibeatur, ab adſtantium minus fida relatione confundatur, ſeu famæ ac exiſtimationis propriæ diſpendium metuere jubeant circumſtantiæ, &c.

Neque geſtatio & partus ſimulatus.

Contra diverſis de cauſis fœminæ aliquando ſe utero gerere ac peperiſſe fingunt, ſc. vel ut partum commodius ſupponere queant; vel ut tormenta & pœnas corporis afflictivas, ultimum inprimis ſupplicium, ſubterfugiant; vel alio forſan conſilio: aſt eum in finem quandam tale quid fingere, ut infanticidii quaſi perpetrati ſe accuſet, rarioris forſan deprehenditur obſervationis, hincque veritatem ejusmodi geſtationis & partus determinare difficillimum; potiſſimum cum nec ventris inſpectionem, illius explorandæ cauſa a legibus commendatam, *Maſcardus de probat. concl. 1147. n. 16.* per nonnullas rationes omni exceptione majus teſtimonium præſtare putet. Triennium & quod excurrit eſt, cum in Saxonia inferiore quædam, malitioſe ſatis, ſe uterum geſtare, poſtmodum, filiolum peperiſſe, huncque narium compreſſione enecaſſe, ultro aſſereret, eandemque nonnulli teſtes criminum horum ſuſpectam redderent: in ſpecie Obſtetrices hanc, quamdiu gravidam adhuc ſe fingebat, imprægnationem illam nec affirmare, nec negare, auderent, imo poſt factum ſimulatumve partum dubiæ hærerent, numne illa uterum adhuc gereret, eædem tamen quoque non tantum conatus partus conatibus ſimiles, ſed ſub his pedem quendam fœtus intra vaginam ejus ſe contrectaſſe, deponerent. Donec tandem ex Actis hinc inde & ex variis ſermonibus ac geſtis animus illius deſperabundus pateſceret, tempus ſimulati partus tempori aſſertæ imprægnationis haud concordaret, abdomen ac genitalia perinde, ac in non geſtante, ſe haberent, nullum fœtus motum manibus ventri impoſitis perciperent contrectantes, nec poſt partum indigitatum phœnomena in hoc ſolennia adverterent, parturiendi conatus an veri extiterint, & numne loco pedis in vagina, in inteſtino recto, ſcybala indurata ſenſerint, dubitarent, nihil Lochiorum obſervarent &c. hincque Collegium noſtrum negotium hoc omnimode ſimulatum pronunciaret.

Frequentius Inquiſiti ſe fingunt a-

Inter affectus, quibus Prætori frequentius, pro tormentis ac pœnis delictorum declinandis, malitioſe illuditur, ſine dubio obſervantur Amentia ac Epilepſia: qualem fallacem aſtutiam nihilominus

 repri-

mentes ac epilepticos.

reprimere, neceſſitatis eſt. Imo decipiuntur a ſimulatis his pathematis non Medici tantum ſinguli, ſed horum pariter Collegia, Juſtitiæ motus eousque turbantur, ut ſuum cuique ſecundum Legum rigorem tribuere ipſi non liceat, i. e. per figmenta hæc tormenta ac pœnas nefarios homines non raro avertere, experientia edocemur. Atque hos binos quidem ſimulatos morbos a veris ſeu genuinis discernere difficile deprehenditur, ac Medico ingenuo & perito vix vitio verti poteſt, ſi in renunciando deſuper hallucinetur: vel quod huic illorum paroxyſmos & habitudines attendere ac obſervare raro concedatur, & aliquando ſoli teſtium rudiorum, rerum ejuſmodi imperitorum & ſuſpectorum ineptiori ac fallaci depoſitioni fides ſit habenda; vel quod ipſimet delinquentes adeo callide affectus ejusmodi fingere queant.

Utriusque impedimenti ac difficultatis ſpecimina Actorum inquiſitionalium plura tradunt, quibus abſentes non tantum Medici teſtium relationibus, minus accuratis, & contradictoriis præcipitanter ſatis inniti deprehendimus: ſed præſentes quoque per ſuppoſita minus adæquata eo inducuntur, ut delirum atque epilepticum credant, qui non eſt; aut contrarium judicent, pariter per teſtium ineptas depoſitiones & callidiores delinquentium fictiones; ne horum defenſorum perverſorum meminerim, quorum nonnulli technis modo ſubtilioribus, modo craſſioribus, Medicos ad ejuſmodi falſa ſuppoſita ſeu ſimulata deponere urgent, quod expertus loquerer, niſi ſilere juberent prudentiora conſilia.

Exemplum hominis ſummè malitioſi, quem amentem credebant.

Paucos latere poteſt inter alios fanaticos atque enthuſiaſtas noſtri temporis famoſus ille minorum gentium, Aurifaber quidam Saxoniæ inferioris, hujusque blaſphæmiæ in ſacrum Baptiſmum atque Cœnam Domini, injuriæ in Miniſterium & diffamationes Conſiſtorii eccleſiaſtici cœterique ejus malitioſæ ineptiæ fœtus, v. g. dum conjugium, in quo ultra viginti annos vixerat, peccaminoſum meramque ſcortationem ajebat, hincque uxori ſuæ, utpote infideli, ſe, vere fidelem ac ſanctificatum, diutius cohabitare non poſſe, ac aliæ in cœlo jamdum a Deo deſponſatum ſe aſſerebat, & quæ hujus generis plura erroneæ fabulæ atque malignitates: quas nonnulli per amentiæ melancholicæ ex amore inſano contractæ errores diluere atque

excu-

excuſare annitebantur. Imo periti quoque aliqui in homine hoc veſaniam, ſi non univerſalem, certe particularem ſibi concipiebant eamque hinc evincere ſatagebant: quaſi ejus imaginatio ſpecies ſenſatas incongrue combinaret, & non accurate, ſed confuſe, contemplaretur, hinc rationi phantaſmata abſurda dijudicanda offerret, quæ eadem ſermonibus inconſideratis ac confuſaneis effutiret, deperdite amaret, & perpetuis ſpeculationibus ac ſollicitudinibus, alterum conjugium contrahendi ac firmandi, ſpiritus animales in motus inordinatos ac perverſos cieret, a paupertate in mærorem conjiceretur, per quem & amoris affectum temperamentum ejus naturale ad melancholicam usque dyſcraſian immutetur, & quidem hoc eo promptius, quod complexionis cholericæ, aut inter hanc & melancholicam mediæ ſit, nec non ante biennium febre continua gravi laborarit.

Rem vero penitius penſitantes in viro hoc ratiocinationem undique integram eumque minus amentem, haud delirum aut melancholicum judicabamus. Cum primo de nullo penes hunc conſtaret corporis vitio, quo in ejuſmodi delirium melancholicum conjici potuerit; nec ab amore, quem in eo immoderatum concipiebant, nec a febre olim ſuperata, tale quid metuendum foret: quatenus quod huic phreneſis, quæ interdum in melancholiam degenerat, combinata fuerit, aut mox a febre aliqua capitis ad delirium inclinans imbecillitas ipſi contigerit, non innoteſcat; nec amor ille unquam adeo deperditus atque inordinatus extiterit, ac, ſi talis, amentia moralis potius, quam phyſica, dicenda veniat, i. e. per quam mox rectæ rationis uſum amantes perdant. Deinde idem Inquiſitus rite, i. e. prout a ſenſoriis excipiuntur, ac diſtincte comprehendebat objecta, horumque variorum ſimulacra haud confundebat, apte, argute ac modeſte de iis ſermocinabatur, loquebatur, ſcribebat, cuncta prudenter agebat, ad quæſita & poſtulata congrue ac perſpicue (ex præjudicio nempe ſuo) reſpondebat. Ita ut, quamvis in rebus religionem concernentibus erroneas & abſurdas concluſiones formaret, ac in his ratione maxime abuteretur; Logica nihilominus naturali ſe pollere & judicium ſuum exactum hinc inde evidenter comprobaret: dum non tantum, prout dictum, ad interrogata quam aptiſſime re-

ſpondebat, ſed in ſermonibus ac ſcriptis plus, quam ab illiterato expectari poterat, periodos concinnas ac cohærentes formabat ac connectebat, diſtincte, formaliter ac acute diſputabat, objectiones allatas apposite, i. e. præmiſſas argumentorum modo congrue limitando, modo diſtinguendo, ſolvebat, imo adverſariis ſuis plura inſuper argumenta ſubminiſtrabat, hæc tamen expedite quoque enodabat, ac undiquaque ſagacem ac argutum diſputatorem ſe exhibebat. Conſiſtorium eccleſiaſticum calumniabatur ac flocci faciebat, magiſtratum civilem decenter veneratus, quod hunc, non illud, pro judice competente agnoſceret. Seditionem equidem temerarie ſuadebat, ſed caute concitandam ac proſequendam: ſcripta ſua inſuper, quorum argumenta tantum per modum extracti ipſi proponebantur, temere ſeu præcipitanter nec recognoſcebat, nec diffitebatur, ſed originalia & totum eorum contextum ſibi prius extradi poſtulabat. Socios dogmatum ſuorum erroneorum prompte nominare, eorum hypotheſes diſtincte recenſere, & quid cum hoc vel illo locutus fuerit vel egerit, enarrare, noverat &c. Nunquam ſibi contradicebat, de cœtero in ſermone ac geſtibus maximam partem modeſtum ſe exhibebat, edebat, bibebat ac dormiebat mediocriter, ſufficienter tamen, de mediis ſe ſuosque ſuſtentandi moderate ſollicitus, & in reſponſis datis frequentius prudenter acquieſcebat: nunquam deprehendebatur meditabundus, triſtis, ſemper alacris, hilaris & animi præſentis, ac ad opiniones ſuas declarandas atque propugnandas promptus ac callidus. Neque amor ejus in alteram præter conjugem unquam ad illum gradum exarſerat, ut humoribus ac ſpiritibus adeo inſignem dyſcraſiam impreſſerit, quæ, integris manentibus cœteris corporis functionibus, eum in delirium abripere, aut ratione cujus vehementiæ amor hic inſanus appellari, potuerit; potiſſimum mox tunc temporis, ubi certam quandam fœminam amare inchoabat, circa res ſacras tamen jamdum errores ejuſmodi fovebat.

Ita ut, quamvis fanatici hujus conceptus, opiniones ac ſermones, ſi Scripturæ S. ſimilibusque ſyſtematibus & ſanctionibus conferantur ac moraliter conſiderentur, ſatis abſurdi comparerent, philoſophice tamen ſeu phyſice ponderati nihil aut vix tantum incongrui,

grui, ratione cujus Medicis pro melancholico & mentis non compote, qualem cauſæ naturales facerent, haberi queat, nobis involvere viderentur: cum potiſſimum minime inferre liceat, illum, qui conceptus & ſententias falſas atque erroneas profert, aut ab aliis hauſtas pertinaciter defendit, delirare, melancholia laborare &c. niſi vel omnes in rebus theologicis hæreticos, ſchiſmaticos fanaticosve, in rebus politicis, philoſophicis &c. omnes doctores, quorum ſententiæ non undique veroſimiles, inſanientes ac melancholicos, inepte ac falſo, proclamare quis velit. Ratione non deſtituuntur ejuſmodi homines, ſed ea tantum abutuntur.

Exemplum judicii circa Amentiam difficilis ex vicino Bornæ oppido ſuggerere pariter poterat Maria quædam Werneria, Anno 1674. Criminis Veneficii, pacti & commixtionis cum ſatana accuſata, teſtibus convicta & ultro confeſſa: demum nihilominus melancholica pronunciata & a delictis illis abſoluta. Sponte ipſamet fatebatur & narrabat, quamvis ſub confuſis admodum ac incredibilibus hinc inde circumſtantiis, cum, marito ſuo ante viginti annos ægrotante ſola in lecto cubaret, dæmonem ſe aliquando viſitaſſe & ad libidinem flagitioſam ſollicitaſſe; cujus conatibus tamen tunc temporis feliciter reluctata fuiſſet: donec poſtmodum idem diabolus ſub canis fuſci ſpecie ac magnitudinis mediocris ſe adierit & cum violentia ſtuprarit, a quo tempore cum eo frequentius & in carcere coierit, ſub congreſſu tamen quovis illius membrum genitale inſigniter fervidum deprehenderit, & ex eodem fœtus diabolicos diverſos conceperit, geſtarit ac pepererit. Porro narrabat, ſub muſcæ forma eundem diabolum ſibi cum aquæ cyatho fuiſſe propinatum a molitore quodam, qui ſe pariter ſemel compreſſerit. Addebat nihilominus, ſatanam ſe captivam, ſub Fuci ſpecie acceſſiſſe, ita quidem, ut primo fœminæ alterius præſentis oculos, hinc lectum, cui incubuerit, involarit, a ſe autem abactum diſparuiſſe: illum aliquando ſub Fuci majoris, aliquando felis fuſci, ſpecie, ſe invaſiſſe, ab eo vero conceptos & a ſe excluſos fœtus dœmoniacos fruſtum carnis fumo induratæ æmulatos fuiſſe, muremque mediocris molis æquaſſe, quos modo in terram defoderit, modo in undas projecerit. Confitebatur præterea Inquiſita hæc, ſe olim civis cujusdam Bornenſis vaccam cum

Exemplum amentis, pro venefica habitæ.

cum tribus equis, item Conſulis ejusdem loci binos equos per faſcinum perdidiſſe ac enecaſſe, partum unum alterumve diabolicum in aqua ſolvendo, quod olim a vetula addidiciſſet, & diaboli adjutorio, qui clave ædes reſerarit, jumentis illis propinando; maleficam hanc artem antequam naſceretur, ac paulo poſt, ſe edoctam; nunc vero & poſtquam crimina ſua manifeſtaſſet, ab amaſio ſuo atrociſſime ſubactam & ad livorem usque corporis hinc inde percuſſam atque contuſam fuiſſe; quod circa crura αυτοψια confirmavit.

Nec cœtera ejus narrata teſtibus ocularibus deſtituebantur, dum in carcere ei adſtantes cuſtodes ajebant & jurejurando aſſeverabant, media quadam nocte Inquiſitam peſſime ſe habuiſſe, in lectum ſupinam ſe devolviſſe, diabolum vero ei vere incubuiſſe, ita ut illimet propriis oculis turpe hoc facinus uſurparint. Illam quippe nullo modo excitare aut in alterutrum latus convertere potuiſſe congreſſum diabolicum ſatis diu ferentem; donec linteamen corpori ejus ſuperinſtratum ſuſtulerint, baculo pudenda ejus ferierint & incubum recedere acclamando juſſerint: quo tempore illam pariter evigilaſſe, ſimul tamen ſtrepitum ſuper conclave notabilem contigiſſe. Quæſitam a cuſtodibus mane, an proxima nocte diabolus illi cohabitarit? hoc affirmaſſe; qui etiam ſubjungebant, illam quaſi manu, pudendis frequentius admota, diabolum, cujus congreſſus diutius ferre non potuerit, depellere conatam fuiſſe. Aliquando eam partum dæmoniacum inſtar maſſæ ex fuſco nigricantis & fætidiſſimæ, alium ſub ſpecie radicis Mandragoræ (qualis revera erat) per podicem edidiſſe. Quibus accedebat civis illius jumenta quatuor, quorum mentio ſuperius facta, vere ac ſubito periiſſe, & peritos ejus rei nec in iisdem infirmis, nec in eorum cadaveribus morbum aliquem naturalem reperire valuiſſe; ut proin de corpore quoque delicti, ſc. faſcini, dubitare porro non licuerit.

Conſilio Scabinatus Electoralis, ad quem cauſa hæc per Acta deferebatur, duorum Medicorum ſucceſſive ſcrutinio vetula illa exponebatur, non idem tamen de Maria hac ſentientium: cum prior eam ſanæ mentis atque maleficam, poſterior amentem & per phantaſmata turbulenta ac erronea ad falſa ejuſmodi fingenda ac ediſſerenda adactam, ajebat; poſterioris judicium confirmabat Noſtra

Facul-

Facultas, ſententia abſolutoria ſigillabat Scabinatus ac demum omnium oculis exponebat experientia, per quam poſt breve adhuc deliramentum melancholicum maniacam miſeram hanc evaſiſſe, teſtes vero ipſi adſtantes plus ex auditu & præconcepta opinione, quam ſecundum rei veritatem, depoſuiſſe, conſtabat. Quod erroris craſſioris adeo exemplum prolixius recenſere volui, quo conſtet, quam facile teſtes oculares plebeij in affectibus præternaturalibus & moralibus, utrorumque phœnomenis obſervandis atque diſcernendis fallant: i. e. ſi forſan non in re ipſa, ſaltem in circumſtantiis, ad judicium Medicum dextre formandum maxime neceſſariis, aut non omnimode, aut perperam, annotatis, errent.

Quemadmodum plus quam quotidie deprehenduntur, qui olim morbum capitis vehementiorem paſſi, hinc inde ineptiunt, inconcinnos conceptus aliquando formant hosque ſermone promunt, ab inebriaminum parco quoque uſu mox temulenti evadunt, hisque cunctis non levem cerebri ſui imbecillitatem ſuſpicari faciunt: ad Medici nihilominus, cujus judicio exponuntur, interrogata apte ac prudenter reſpondent, nec alia ſeu ſufficientia dementiæ ſigna produnt. Contra alii geſtibus & ſermone fatuos ſe mentiuntur, ingenuoſi & ſagaces ſatis, quique ratiocinandi integritatem vel delictis malitioſe ac doloſe, hinc non ſine ratione, perpetratis teſtantur. Quendam olim ideo inſanum aut maniæ proximum pronunciabant nonnulli, quod Zelotypus, quod modo triſtior, modo iracundior, contra ſuperiores, inferiores ac pares talia nonnunquam attentarit, quæ ſanæ mentis homo haud ſuſciperet: cum nihilominus hæc animi pathemata cauſas ſuas evidentes haberent, Zelotypia nec ſpeciebus, nec gradibus, amentiæ accenſeri poſſet, ſpirituum animalium vigor major minorve animum ab objectis ſenſibilibus facilius difficiliusve commoveri concederet, inſuper ex enarratis amentiæ formata ſuſpicio ſermonibus ac geſtibus prudentioribus frequentiſſimis annihilaretur, deficerent quoque pleraque inſaniæ ſigna cum cauſis phantaſiam ac rationem conturbantibus, ſeu quæ delirium frequentius inducunt; hinc eundem amentem pronunciare dubitavimus. Quoties enim non contingit, affectus animi hincque a decoro aberrationes, v. g. iracundiam, ferociam, faſtum, ad

Creduntur nonnulli amentium minus tales.

Fingūnt alii amentiam.

vindictam pronitatem, prodigalitatem &c. vitiis corporis accenſeri? quaſi hæ a determinata humorum dyſcraſia, bilioſa v. g. melancholica &c. eveniant: vitiis potius animi moralibus annumerandas, hominum ejuſmodi, quorum intellectus ac voluntas per morum pravitatem conturbata eſt. Ut taceam, dicta atque facta talium hominum, qui delirare præſumuntur, non raro aliter ſe habere, ac a teſtibus imperitioribus obſervantur atque recenſentur; adeo difficile & periculoſum valde eſſe horum enarratis ſtare.

Epilepſiæ fictæ exemplum.

In epilepticis veris ab iis, qui tales ſe mentiuntur, diſcernendis non minor offenditur difficultas, cum ejuſmodi hominum malitia Medicis aliquando ſagacioribus imponat: per quam callide ſatis ſymptomata convulſiva fingere ſeu æmulari ſolent, motus nempe corporis inordinatos, hujusque membrorum contorſiones ſtupendas, ſenſuum defectus, dentium colliſiones ſtridorificas, pollicum contracturas, oris ſpumeſcentias, &c. Sic Facultatis Noſtræ cenſuræ Anno 1698. expoſitum fuiſſe caſum memini, ubi quidam torturæ, propter delictum, imminentis metu epilepſiam ſimulabat, & quidem interdum adeo aſtute, ut Medicos ſtatum ejus explorantes diſſentire de hoc faceret. Exagitabat hic artus ac totum variis motibus & vehementioribus concuſſionibus, pollices convellebat, dentibus ſtridebat, ſpumum ex ore protrudebat, uno verbo deprehendebantur in eo ſymptomata epilepticis familiaria: qualia tamen ſigna epilepſiæ minime adæquata, ſed fraudulenter ficta & falſa augurabamur. Quod tali affectu is nunquam olim laboraverit, ſed poſt auditam demum de tortura ſuſtinenda ſententiam, nec quidem brevi, ſeu immediate, verum poſt quatuor demum ſeptimanarum ab illa elapſum, paroxyſmo convulſivo correptus, poſtmodum vero intra aliquot ſeptimanas nihil ejus expertus, fuerit. Accedebat, eum nunquam ingruente & finito inſultu ſymptomata ſolennia, conturbationem v. g. capitis, vertiginem, aurium tinnitum, oculorum caliginem, anxietates præcordiorum, ſitim, laſſitudinem &c. ſuſtinuiſſe, nec vehementiores dentium concuſſiones linguam ejus laceraſſe: poſterius accedentem Medicum, qui eum epilepticum judicarat, Inquiſito non viſo, ſed ex rudiorum Villicorum, huic adſtantium, tantum relatione,

ne, depoſuiſſe. Qui inter alia eum paroxyſmi tempore frigeſcere aſſeruerant, valde tamen inepte ac ratione intenſionis atque extenſionis dubie pariter: cum manibus ac cruribus, tempore tum gelidiore diutius denudatis, frigus ejuſmodi membris facile ac ſine inſultu epileptico contingere potuerit; poſtquam iidem teſtes haud annotarant ac retulerant, numne ante ac poſt illum falſarius plus caluerit; neque demum frigus extremorum ſignum epilepſiæ diagnoſticum præſtet. Nec ſpumæ circa os obſervatæ habitudinem illi rite explicuerant, ſed ambiguam potius reliquerant, duobus quidem teſtibus illam tantum ſalivam dicentibus, &c. Imo denique fraudulentam hanc ſimulationem non parum declaravit ipſius Inquiſiti effatum, quo, Actis perhibentibus, ſe torturam admittere ſeu experiri nolle, temere effutiebat.

Pari, ni fraudulentiore, aſtu pollebat quidam Joachim Epiſcopus, latro penes Delicenſes, in vicinia famoſus, qui Anno 1687. criminis undique reus deprehenſus, in ultimi ſupplicii termino ſe epilepticum gerebat, huncque technis ejuſmodi, ultra ſex menſes, ni fallor, prorogabat, tandem tamen malitiæ hujus ipſemet pertæſus & pariter convictus ac confeſſus gladii pœnæ, eaque ſuperata, cultello noſtro anatomico, ſubmittebatur. Mentiebatur hic primo Epilepſiam, hinc melancholiam, demum aphoniam cum ſurditate & crurum pareſi; quos affectus confirmabat Medici non minus primo requiſiti, ac vulgi adſtantis, aut tantum non auſcultantis, teſtimonium, quo maniacum tandem malitioſum hunc judicabant: quem ego & alius Medicus, a Magiſtratu, ut de caſu hoc deponeremus, poſtulati ab iis immunem deprehendebamus, Collegium aliquod Medicum in vicinia, cujus deciſioni negotium committebatur, per noſtras ac prioris contradictiones cathegorice hoc dirimere ambigebat. Simile exemplum.

Faciem Inquiſitus hic ſemper in conſpectu noſtro pallidiorem, oculos demiſſos præ ſe ferebat, ſine omni loquela & auditus ſignis in humo vel ſedens, vel cubans: manibus modo trementibus ac vacillantibus, modo quietis & firmis, meditabundus quaſi, inprimis alicui rei animum ſtrenue attendens videbatur. Primus ſic dictus paroxyſmus epilepticus nuncio triſti valde ac deſperato audito eum invaſerat, quali nobis præſentibus, bis quoque corripiebatur: ſc. ut bra-

chia atque crura ejus, caput cum trunco convellerentur & concuterentur, cum pollicum in manibus ad interiora contractura. Aſt circa motus hos obſervantes, atque ab adſtantibus audientes, inquiſitum cubantem ſemper, antequam ab his agitetur, ſe prius erigere, ſeu inſidere, ac in ſtatu ſeſſionis aliquandiu manere, ejus muſculos cervicis, dorſi, laryngis, faucium ac faciei nec in paroxyſmo, nec paulo ante, aut poſt eundem, ullos ſpaſmos ſeu tenſiones, neque abdomen inflationes ac diſtenſiones pati, nihil ſpumæ circa os, ac ſtridoris dentium comparere, nullam oculorum diſtorſionem, niſi quod hos interdum plus attolleret, nullam ſpirandi difficultatem, nullas præcordiorum anguſtias, nullam cordis vibrationem palpitantem, nullamve hujus aut arteriarum mutationem, nec, paroxyſmo declinante ac evaneſcente, reliquias motuum convulſivorum vel tremores, nullam in vultu coloris mutationem fieri, ſed totum corpus ſubito quietum & ſine omni tendinum ſubſultu relinqui, pollices in ipſo paroxyſmo facili conatu explicari poſſe, ſimulque oris & maxillarum motus, hinc deglutitionem, item olfactum, guſtatum ac tactum, integros manere diverſa phœnomena teſtarentur; adeoque pleraque epilepticis alias ſolennia ſymptomata penes hunc non deprehendi: dubitare haud verebamur, an ſuperius recenſitæ artuum & corporis agitationes inordinatæ pro motibus vere epilepticis habendæ. Poſtquam inprimis innoteſcebat, eum olim nunquam, nec tribus primis captivitatis ſuæ ſeptimanis, nec unquam noctu, morbum hunc caducum perpeſſum fuiſſe: nobis etiam intuentibus videbatur, quaſi ulnis innixus & ſuffultus ejuſmodi corporis jactitationes formaret.

Melancholia haud vera.

Quod Melancholiam, quam imperitiores in Delinquente hoc ſibi concipiebant, concernebat, Inquiſiti equidem ſtatus ac conditio animum tranquillum hilaremque haud concedebat, manibus frequentius geſticulabatur, ſtramen cui incumbebat, ſuffodiebat, & hujus filis, eadem interdum diſcerpendo ac præmordicando, ludebat, veſtimenta hinc inde lacerabat: quia nihilominus ineptiæ ejuſmodi pariter facile fingi poterant, nullaque alia dementiæ ſigna nobis obviam fiebant, contra mentis & animæ facultatum interiorum integritatem multis modis ille teſtabatur, bene ac placide per totam

noctem

noctem dormiebat, ſimulati delirii ſuſpicionem parabat. Qualis minus perturbatus ac quietus ſomnus, furoris abſentia, ad ſtimulos quoque urinæ ac alvi excernendæ reflexio prompta multo minus Maniam in Epiſcopo hoc minus ſacrato concludere concedebant: aut ſi quæ ejus ferociora molimina in unam alteramve perſonam obſervabantur, vel ex non omnimode injuſto dolore, vel ſimulandi animo, evenire poterant. Perinde ac aphoniam ac ſurditatem facile fingere valebat, potiſſimum cum vere muti peculiari ejulatu & clamore animi ſui ſenſa exprimere ſatagunt; quale quid in hoc ſubjecto itidem non deprehendebatur: ut pariter dubium maneret, numne hic quoque aliquid ſimulati ſubeſſet.

Et par ratio videbatur Paralyſeos crurum, dum, quamvis ſponte ac ſolus aſſurgere & in pedes ſe conferre poſſe Inquiſitus minus videretur, erectus nihilominus ſeu levatus ab aliis cruribus inſiſtebat, greſſus formabat, ac alvum deponens illis innitebatur, ex hoc deſidendi corporis ſitu maximam partem ſe erigebat: Cruri ſiniſtro firmius ac dextro inſiſtebat, januam tranſiens idem commode ſatis flectebat, inter ambulandum licet illud rigidius gereret & inſenſibile quaſi pone ſe raptaret interdum. *Pareſis ficta.*

Hujus ſimilisve generis caſus difficultatem judicii de melancholicis atque epilepticis, horumque veros a ſimulatis diſcernendi uberrime teſtantur, hinc ſingularem ſagacitatem & ingenia varia postulant: quorum forſan potiora ſunt, non feſtinare, ejuſmodi homines non ſemel, ſed frequentius viſitare, horumque actiones & ſermones accuratius attendere, teſtibus vero imperitioribus ac quacunque ratione ſuſpectis parum vel nihil fidei adhibere, ſicque artis hujus deponendi auctoritatem undique tueri. *Cautelæ in caſibus ejuſmodi obſervandæ.*

FINIS.

(o)

INDEX RERUM.

ABortus motus non ſemper dignoſcitur pag. 674
Abſceſſus viſcerum prognoſin fallit 173
In Abſceſſuum inciſione fibrarum tractus non adeo attendendus 526
Acida quomodo expectorantium vice propinanda 328
Acriora ſtuporem inducunt 364
Acus pro cataractæ Chirurgia fabrica 501
Adſtantes quomodo gubernandi 80
Adſtantium errores corrigendi 81
Adſtantium officium 80
Aſtringentia topica ſtuporem inducunt 364
Aër craſſior quomodo mutandus 381
Aër quomodo noſtra corpora afficiat 381
Aër temperatus non omnibus æque ſalubris 381
Aëris habitudo morborum ſignum 143
Aëris mutatio fiat lente 379
Æger adhortandus 90
Æger attentus ſciſcitationi Medici 132
Æger obtemperet Medico 367
Æger caſu ſanatus 25
Ægri relationi non ſemper fidendum 133
Ægro præſente haud conſultandum 122
Ægrum ſalutis cauſa decipere licet 88
Ægri aliquando nõ aſſumunt præſcripta 167
Ægri confidentes obſequioſi 46
Ægri de cauſis internis haud interrogandi 145
Ægri etiam conſolandi 189
Ægri frequentes viſitandi 98, 102
Ægrorum abſentium medela 98
Ægrorum fraudulentia noſcenda 167
Ægrorum inculpatio minus concinna 85
Ægrorum idioſyncraſia cognoſcenda 163
Ægrorum pauci periculum vitæ intrepide audiunt 188
Ægrorum quorundam mos plures conſulendi 133
Ægris aliquandiu Medicus aſſideat 134
Æquinoctiorum nulla in medendo vis 211
Ætas puerilis & ſenilis victum pleniorem coindicant 252
Affectus animi diſſimulatus 132
Affectus animi cur diverſos in diverſis edant effectus 420
Affectus animi in cunctis haud perinde agunt 419
Affectus animi morbos aliquando ſolvunt 419
Affectus animi rebus neceſſariis perperam accenſentur 418
Affectus animi quomodo corpus alterent 418
Affectus animi non ſemper moderari licet 425
Affectuum animi efficacia 47
In Affectib9 ſoporoſis ptarmica valent 323
Agendi tempus 243
Alimenta dyſpepta interdum evpeptis præferuntur 388
Alimenta dyſpepta non omnibus noxia 387
Alimenta nonnunquam a Medico luſtranda 603

Alimen-

Alimenta ſolidiora in ſalivatione haud conveniunt 299
Alimentorum etiam quædam pars cum euphoria rejicitur 417
Alimentorum incongruorum noxa quomodo præcavenda 390
Alimentorum nimiorum damna 391
Alimenta ſumendi tempus 392
In Alimentis deſignandis experientia attendenda 390
Aloë cur Gummi ammoniaco anteponenda 283
Aloë hypochondriacis etiam quadrat 283
Aloës duplex ſubſtantia 283
Alterantia humori alterando requiruntur adæquata 340
Alterantia qualia præmittenda 340
Alterantium abuſus 198
Alterantium doſis hodie nimis parca 246
Cur Alterantium doſis major in uſum hodie non vocetur 248
Ab Alterantium doſi majori nihil metuendum 248
Alvus an reſpondeat 153
Alvus quibusdam contumacior 417
In Alvi obſtructione clyſter efficax 332
Ambulatio motus ſalubrior 412
Amentiæ ſimulatæ exemplum 676
Amentis exemplū pro venefica habitæ 679
Amentes nonnulli falſo tales creduntur 681
Anatome practica commendatur 13
Anatomiæ practicæ defectus 13
Anatomica exercitia laudantur 7
Animi dolor haud diſſimulandus 132
Anni tempus morborum ſignum 143
Apophlegmatiſmi blandius evacuant ſternutatoriis 325
Apophlegmatiſmi etiam alterando agunt 325
Apophlegmatiſmi præſervatorium peſtis 325
Apophlegmatiſmi quid 325
Apophlegmatiſmorum operationem maſticatio adjuvat 326
Apophlegmatiſmos prohibentia 326
Apophlegmatizonta qualia & quomodo agant 326
Apoplectici erecta cervice detinendi 414
Apoſtema periculoſum feliciter inciſum 68
Arcana num conſultandum inter revelanda 125
Ars medica, non fortuna, operatur. 21
Arteriarum carpi conformatio extraordinaria 177
Artifex per fortunam agere nequit 30
Artus extirpandi nova ratio 233
In Aſcite clyſter efficax 332
Aſthmatici erecta cervice detinendi 414
Aſtrologi in prognoſi vani 183
Aſtrologiæ num ratio habenda in morborum medela 209
Aſtrologorum cautelæ incertæ 213
Aſtrologorum cautelas experientia reprobat 214
Aſtrologorum præcepta etiam chronicis minus valent 213
Aſtrologiam crepantes nugantur 84
Aſtrologiam medicam Hippocrates & Galenus ignorarunt 216
Ab Aſtrorum conſtellatione nulla fortuna 18
Auditus in cauſis forenſibus rarior 610
Auri efficacia dubia 418
Autoritatis præjudicium ſeponendum 8
Autorum lectio commendatur 67

B.

Baphicorum tincturæ an venenoſæ 534
Bechica non omnibus quadrant 327

Bechica non ſunt unius generis 327
Bechica quænam debeant præmitti 329
Bechica quænam incraſſando agant 327
Bechica quænam ſolvant viſcidum 328
Bechica quænam ſeſe medio modo habeant 328
Bezoar lapidis virtus dubia 461
Brachieriorum moleſtia in herniofis haud metuenda 521

C.

Cacochymia quid indicet 204
Cacochymia quomodo purgationem indicet 264
Cadaveris fœtus à nati diſcrimen 534
Calculus è veſica minus commode ſuctu protrahitur 497
Calculi veſicæ exploratio chirurgica minus fida 514
- - - - minusque ſufficiens 516
Calculorum diagnoſis difficilis 14
Intra calidiora loca ægri haud rigidius coërcendi 383
Calor num à bile & ſulphureorum abuſu 339
Cantharidum applicationem non omnes ferunt 164
Cantharidum in Veſicatoriis quantitas 318
Carceris à Medico inſpectio 604
Caſtoreum non omnibus mulierculis gratum 164
Caſu quæ fiunt, Medico haud adſcribenda 24
Caſus varii inſpectionem urgent 596
In Caſibus judicialibus nunquam ſine ſenſuum uſu deponendum 581
Cataractæ recidiva cur contingat 492
Catenæ ſimiliaque captivorum inſtrumenta inſpici debent 605
Catharſis an Emeſi præmittenda 277
Catharſis ex auditu 287
Catharſis ex pharmaci aſpectu 286
Catharſis præſervatoria non ſemper tuta 266
Catharſis quomodo à capite & pectore revellat 341
Catharſis Veſicatoriis præmittenda 318
Catharſeos perfectæ ſigna 278
Poſt catharticum aſſumptum quidnam obſervandum 289
Cathartica leniora inteſtina evacuant 330
Cathartica non omnia omnibus quadrant 280
Cathartica quomodo totum evacuent 263
Cathartica revellunt etiam in inflammationibus 264
Cathartica ſelectiora 280
Cathartica ſimpliciora præferuntur 282
Catharticorum abuſus 265
Catharticorum adminiſtrandorum circumſtantiæ 274
Catharticorum damna 266
Catharticorum doſis à quibusnam varietur 285
Catharticorum doſis ſit adæquata 284
- - non tamen nimia 285
Catharticorum forma varia 286
Catharticorum formam quænam immutent 287
Catharticorum indicantia 264
Catharticorum prophylacticorum abuſus 196
Catharticorum prohibentia 268. 273
Ante Catharticorum uſum corpus præparandum 279
Ante Catharticorum uſum dolores inteſtinorum ſiſtendi 280
Catharticis aliquando alia, & hypnotica quoque admiſcenda 284

Cathe-

Catheteres flexiles non adeo utiles 494
Catheteriſmus 337
Cauſa evidens male occultatur 147
Cauſa evidens ſcitu neceſſaria 146
Cauſa procatarctica & conjuncta idem indicant 253
Cauſæ & morbi eadem vis indicandi 253
Ex Cauſæ evidentis defectu concluditur latens 147
Præter cauſam & morbum plura inveſtiganda 129
Cauſæ primariæ non ſemper primo mederi licet 224
Cauſæ evidentes manifeſtant latentes 146
Cauſæ morbificæ ſciſcitandæ 145
Cauſæ morborum latentes indagandæ 163
Cauſarum medico-forenſium diverſitas 575. 635
A Cauſarum remotione non ſemper cura dolorum inchoanda 360
Cauterii cultellaris nullus uſus 494
Cauteria ſanguini ſiſtendo minus adæquata 503
Celſus notatur 71
Cenſura formularum 119
Cephalica forſan in humores potius quam in ſpiritus agunt 355
Cephalicorum virtus dubia 354
Cerebri commotio à priori demonſtrari nequit. 661
Chirurgia à medicina avulſa mere empirica 483
Chirurgia à medicina non ſeparanda 479
Chirurgia qua occaſione à medicina ſeparata 485
Chirurgia rationalis à Medico exercenda 484
Chirurgiæ efficacia 478
Chirurgiæ neceſſitas 426. 478
Chirurgus in deponendo haud Medico præferendus 555
Chirurgus ſit mechanicus 501
Chirurgus vulnerati ad teſtificandum non facile admittitur 560
Chirurgi ad deponendum habilis conditiones 559
Chirurgi morbis internis non medeantur 42
Chirurgi rarius & in levioribus caſibus deponunt 553
Chirurgi ſine Medicis ſuper vulnerum lethalitate nequeunt deponere 553
Chirurgorum imperitia ad deponendum 559
Chirurgorum ruditas circa lethalitatem vulnerum 43
Chirurgorum temeritas erga Medicos 43
Chirurgis medela ſcorbuti & luis venereæ male conceditur 43
Ad Chirurgos deponendi provincia qua occaſione quondam fuerit devoluta 557
In Chronicis an lentius procedendū 192
Chymia non ſemper medicamenta exaltat 471
Chymia remediorum vim deſtruit 476
Chymiæ præſtantia 466
Chymiatri frequentius Galenicis utuntur remediis 473
Chymica tentamina proficua 7
Chymicorum præparationes ſæpe ſupervaneæ 473
Ciborum varietas non ſemper noxia 393
Ciborum varietas qualis noceat 395
In Cibis aſſumendis ordo nullius momenti 393
Cinnabaris virtus cephalica incerta 354
Cito agat Medicus 191

Clyſter in aſcite efficax 332
Clyſter in colica 332
Clyſter in obſtructione alvi 332
Clyſteris admittendi & retinendi tempus 334
Clyſteris injiciendi quantitas 333
Clyſteres injiciantur tepidi 333
Clyſteres gravidis non adeo frequentes ſint 331
Clyſteres num hernioſis quadrent 331
Clyſteres ſimpliciores præferuntur 332
Clyſterum frequentiorum effectus 332
Clyſterum materia 332
Clyſterum uſus 330
Clyſteres prohibentia 331
In Clyſteribus ſtimulantibus mucilaginoſa & pinguia incongrue recipiuntur 335
Cœcitas ſemper demonſtrari nequit 661
Num cœnandum largius 396
Coffée abuſus 198. 200
In Colica clyſter efficax 332
Collegia medica cur atteſtata interdum interpellent 579
Collegia rogantur deponentibus diſſentientibus 545
Collutiones oris in ſalivatione conveniunt 299
Confidentia in Medicum 46. & ſeqq.
Confidentia talis prudentia comparatur 49
Confortantium abuſus 198
Conſuetudo ægrorum indaganda 161
Conſuetudo ægrorum quoad evacuationes 161
Conſuetudo diætam moderatur 370
Conſuetudo in animi pathematis 375
Conſuetudo in decubitu ac ſtratis 374
Conſuetudo in ferenda aëris inclementia 370
Conſuetudo in victu 371
Conſuetudo interdum mutanda 376
Conſuetudo locorum 162
Conſuetudo prava nonnunquam ſervanda 378
Conſuetudo prava in uſu ſpiritus vini & nicotianæ fumi 373
Conſuetudo prava plerumque mutanda 377
Conſuetudo ſalubris ſervanda 376
Conſuetudinis efficacia in ſomno & vigiliis 373
Conſuetudinis potentia in excernendis & retinendis 375
Conſuetudinis ratio habenda 376
Conſuetudinis vis 78
Conſuetudinis vis in motu exercendo 373
Conſultatio in theſi res anceps 126
Conſultatio ſine ſpeciali arcani revelatione 125
In Conſultatione poſtulanda quid obſervandum. 120
Conſultationes aliquando fugiendæ 120
Conſultationes ex ægrorum diffidentia 114
Conſultationes Medicis hodie moleſtæ 113
Conſultationes non facile recuſandæ 115. 121
Conſultationes nonnullis exoſæ 109. 110
Conſultationes ſint tempeſtivæ 121
Conſultationum damnum 117
Conſultationum difficultas 108
Conſultationum neceſſitas 106. 108
Conſultationum utilitas 104
In Conſultationibus contradicere licet 123
In Conſultationibus haud litigandum 112
Conſultandi modus 122. 124
In Conſultando nonnullorũ faſtus 115. 117
Conſultantium nefaria conſpiratio 117
Conſultantium nonnullorũ oſtentatio 118
Contradicendi ſtudium 113
Corporis diſpoſitio morborum ſignum 143

Corporis habitudo ſciſcitanda 145
Cranii depreſſi elevatio per cucurbitam vel emplaſtrum vix procedit 508
Cranii depreſſio lethalis non ſemper dignoſcitur 673
Cranii depreſſio non ſemper indiget elevatione 507
Cruditas humorum non ſemper diureſin prohibet 301
Cruditas primarum viarum diureſin prohibet 301
Cruentatio cadaverum dubia 625
Cura vide Medela.
Curare quid ſit 221
Curationis maximum momentum 97
Cynosbati fructus & ſpongia urinam & calculum movent 245

D.

Damna à Medicis clandeſtinis 168
Decorum Medici 45
Decubitus qualis ſalubris vel noxius 413
Decubitus ſupinus quibusdam nocet 414
Decubitum quænam varient 414
Delirantes ut tractandi 89
Delirantibus non omnibus flagra quadrant 425
Dentes dolentes non mox extrahendi 526
Dentium artificialium incommoda 527
Dentium limatio ſuſpecta 527
Depoſitio ſenſualis quid 577
Derivatio & revulſio an differant 340
Derivatio humorum fieri nequit 341
Deus non immediate agit 20
Diæta ad morborum medelam non ſufficit 426
Diæta ægri exploranda 149
Diæta indifferens facilius & tutius mutatur 378
Diæta remedium conſervativum & curativum 365
Diætæ errores celantur 149
Diætæ errores noſſe prognoſin moderatur 151
Diætæ errores prudenter detegendi 150
Diætæ mutatio fiat pedetentim 379
Diætæ moderandæ experientia inſervit 366
Diætam etiam ſanorum Medicus moderatur 366
Diætam variantes cauſæ externæ 380
In Diæta conniventiam quæ moderentur 368
Sub Diæta non tantum victus moderamen comprehenditur 366
Diagnoſis morbi ex cauſis 143
Diagnoſis pars Medicinæ practicæ 129
Diagnoſeos neceſſitas 129
Diaphoreſis quid operetur 255
Diaphoreſis ſubinde vitiis etiam primarum viarum medetur 306
Diaphoreſeos tempus 309
Diaphoreſin adminiſtrandi cautelæ 309
Diaphoreſin indicantia 307
Diaphoreſin prohibentia 308
Diaphoretica etiam expectorantium nomen merentur 328
Diaporeticorum varietas 310
Diarrhœa ſalivationi ſuperveniens quomodo cohibenda 300
Diſcuſſio quibus morbis conveniat 320
Diſcuſſio ut fiat 320
Cur Diſcuſſioni locus in principio 320
Diſcutientia inſtrumenta 320
Diſcutientibus viſcoſa licet admiſcere 321
Diſputatio de lana caprina 118
Diureſis quomodo & quid agat 300
Diureſin prohibentia 301
Diuretica diverſi generis 303

Diuretica non omnia omnibus quadrant 302
Diureticorum cautelæ 305
Diureticorum & ſudoriferorum differentia 300
Diureticorum prophylacticorum abuſus 196
Diureticorum ſelectu opus 304
Diureticis etiam à paſtu licet uti 305
Dolor in conſenſum alias partes rapit 358
Dolor membri extirpati 233
Dolor non eſt affectio tactus 357
Dolor ſenſorium quoque commune afficit 359
Doloris compeſcendi neceſſitas 357
Doloris indicationes 359
Doloris ſubjectum & cauſa formalis 358
Dolores non omnes purgationem prohibent 273
Dolorum cauſa proxima 359
Dolorum cauſæ remotæ 359
Dolorum medela per anodyna tantum palliativa 360
In Doloribus ſedandis quid primum agendum 360

E.

Emeſis an catharſi præmittenda 277
Emetica è toto quoque evacuant 263
Emetica quomodo expectorationem præſtent 329
Emetica ventriculum evacuant 329
Emeticorum cautelæ 279
Emeticorum prophylacticorum abuſus 195
Empirici Doctores inter Medicos 44
Empirici faſtuoſi 30
Empirici jactant fortunam 37
Empirici imperiti 36
Empirici infames 33
Empirici pauciores ſanant 28. 29
Empirici pervicaces & injuſti 33
Empirici pœna digni 33
Empirici qui 31
Empirici variæ conditionis 32
Empiricorum diverſitas 33
Empiricorum frequentia 32
Empiricorum patroni 38
Empiricorum temeritas 36
Empiricis ſanitas non concredenda 35
Epilepſiæ ſimulatæ exempla 682. 683
Equitatio motus ſalubris 412
Errhina quibusnam affectibus medeantur 323
Errhinorum & Ptarmicorum convenientia 321
Errhinorum & Ptarmicorum differentia 322
Errhina adminiſtrandi tempus & locus 325
Evacuantia particularia ad ſenſum talia 321
Evacuatio per epicraſin 278
Evacuationes criticæ à ſymptomaticis discernendæ 155
Evacuationes particulares, aut inſenſibiles, aut evidentes 256
Evacuationes particulares non omnes congrue tales ſalutantur 319
Evacuationes particulares ſunt communes & propriæ 320
Evacuationes quotuplices 254
Evacuationes univerſales vel inſenſibiles, vel ſenſibiles 255
Excretiones attendendæ 153
Excretorum moderamen 415
Excretorum mutatio ab aſſumptis 153
Exercitatio practica 9
Exercitatio practica ſub perito Medico 11
Exercitationis ejuſmodi cauſa peregrinatio commendatur 15

Exercitationis talis in Germania defectus 14
Expectorantia vid. Bechica
Experientia 10
Experientia diætæ moderandæ inſervit 366
Experientia etiam ſine ratione prodeſt 204
Experientia in Medico prævaleat 202
Experientia medendi quoque methodum mutat 208
Experientia quomodo facienda in viribus medicamentoſis 456
Experientia rationi anteponenda 202. 203
Experientia rationes ſuggerit remediorum rariorum 208
Experientia tentativa rejicitur 11
Experientiæ conditiones 12
Experientiæ occaſio 12
Experientiæ aliquando ſoli innitendum 202
Experientiæ plura debentur remedia 204
Sine Experientia ſenſuali num aliquando deponere liceat 576
Experimenta firmant rationem 209

F.

Fæcum alvinarum mutatio ab aſſumptis 154
Faſtus nonnullorum in conſultando 115
Febres intermittentes aliquando lethales 171
Febres malignæ fraudulentæ 172
In Febribus quando purgandum 275
In Febribus venæ ſectio ſuſpecta 207
Febriles paroxyſmi haud ſemper venæ ſectionem prohibent 258
Feſtinandum lente 193
Fibrarum criſpaturas quæ leniant 360
Fluidi nervei à fluidis macrocoſmi diſcrepantia 353
Fluidi nervei pathologia ignota 353
Fluida animalia craſeos diverſæ 352
Fluida animalia differunt ab univerſalibus 351
Fluida univerſalia non eadem in omnibus 351
Fluiditatis præternaturalis correctio 349
Fœminæ non tantum à fœminis inſpiciendæ 585
Fœtus à conceptione ſtatim vitalis 623
Fœtus aliquantum ſub partu reſpirare poteſt, qui mortuus naſcitur 664
Fœtus etiam ſine reſpiratione aliquamdiu vivere poteſt natus 666
Fœtus humanus ſemper præternaturaliter excluditur, qui ante nonum menſem editur 628
Fœtus vivus, an mortuus, natus ex pulmonibus vix cognoſcitur 661. 669
Fœtus vivus interfici poteſt, antequam reſpirarit 667
Fœtus ſtigmata à matris imaginatione 659
Fœtus ſuffocatio ex ſpuma circa os infallibiliter haud concluditur 672
Fœtus vivi, an mortui, partus dubius 662
Fœtui pellendo ptarmica inſerviunt 323
de Foi enchireſis in trepanatione nullius momenti 513
Fonticulus cur aliquando exareſcat 315
Fonticuli occludendi circumſtantiæ 314
Fonticuli exareſcentis medela 315
Fonticuli an queant occludi 314
Fonticuli quibus affectibus medeantur 311
Fonticuli unde & quid evacuent 311
Fonticuli univerſaliter quoque evacuant 310
Fonticulorum contraindicans 312
Fonticulorum locus 313
Ante Fonticulorum uſum corpus præparandum 313

Forſices minus idoneæ ſinubus incidendis 495
Formulæ longiores cenſentur 461
Formularum præſcriptio medicinæ damnoſa 442
Fortuna indifferens 26
Fortuna in Medico fruſtra poſtulatur 19
Fortuna ſola inſufficiens 23
Fortunæ nulli effectus 21
Fortunam irrident Philoſophi 20
Fotus uterini 336
Fracturæ calvariæ ſigna dubia 630
Fraudes Medicorum 49
Fraudulentia ægrorum noſcenda 167
Frictionum effectus 255
Frigiditas humorum an concipi poſſit 339
Frutex Peruvianus vitam & mortem præſagiens 180

G.

Galenus notatur 71
Galeni medela tentativa 137
Galenicorum præparationes non ſemper improbandæ 471
Gargariſmata in ſalivatione conveniunt 299
Garrulitatis damna 84
Gaudii vis 421
Gelida ſtuporem inducunt 364
Gemmarum efficacia dubia 460
Geomantæ in prognoſi vani 183
Globulorum plumbeorum uſus pro alvo reſeranda incongruus 499
Granatorum cortex menſes movet 245
Gravidarum appetitui pravo aliquando indulgendum 79
Gravidarum percuſſio non omnis in fœtum derivatur 659
Gravidis clyſteres non adeo frequentes ſint 331
Guſtatus in cauſis forenſibus rarior 610

H.

Habitus gracilior quando fonticulos & ſetacea prohibeat 312
Habitus ſiccior diureſin prohibet 302
Hæmatoſcopia fallax 155
Hæmorrhagiæ medela ante vulnus 230
Hæmorrhagiæ februm acutarum non ſemper venæ ſectionem innuunt. 258
Hæmorrhagias ſiſtendi vanus Chirurgorum conatus 502
In Hæmorrhagiis qualis venæ ſectio conferat 342
Herniæ ſectio quomodo inſtituenda 525
In Hernia quando ſectione opus 525
Herniæ ſine ſectione frequentius ſanantur 520
Herniarum cauſa muſculorum abdominis annuli dilatati 524
Herniarum poſt caſtrationem recidiva unde 525
An Hernioſis quadrent clyſteres 331
Herniotomia cum caſtratione avtopſiæ anatomicæ repugnat 522
Herniotomia non ſine recidiva 520
Herniotomia vulgaris nec ſuadenda, nec concedenda 521
Herniotomiæ vulgaris ineptitudo 519
In Herniotomia caſtratio minus neceſſaria 525
Herniotomorum circumforaneorum fallacia 521
Hippocrates calculi ſectionem interdicens Medicis Chirurgis haud præjudicat 486
Hippocrates notatur 71
Hippocrates peregrinatus 17
Hippocratis medela tentativa 136
Humores crudi & cocti 269
Humores crudi ſub certis conditionibus evacuandi 269

Humores dolorifici non ſemper acres 359
Humores per corpus vagantes an purgandi 272
Humores quales diaphoreſin indicent 307
Humores qui minus revellendi 342
Humores quinam turgeſcant 271
Humorum affluxum auctum corrigentia 340
Humorum cruditas catharſin prohibet 268
Humorum eductorum novus confluxus 345
Humorum laudabilium defectus quomodo reſtauretur 254
Humorum qualitate peccantium correctio 339
Humorum qualitates præternaturales 338
Humorum refluxus impeditus quomodo juvandus 344
Hydromantæ in prognoſi vani 183
Hydrophobis non omnibus immerſio in aquas confert 425
Hydropicorum a potu reconvaleſcentia 24
Hygiænes & Therapiæ eadem ratio 190
Hypercatharſis quomodo ſiſtenda 290
Hypotheſes univerſales male formantur ex phænomenis particularibus 350
Hypotheſium ab analogia petitarum infirmitas 352

I.

Idioſyncraſia ægrorum noſcenda 163
Idioſyncraſia moderatur diætam 369
Imbecillitas partium coincidit cum virium defectu 238
Imperitia Empiricorum 36
Imperiti etiam jurati depoſitio nihil probat 544
Imperitorum technæ 118
Imprægnatio nefaria haud celanda 94
Incantationis indicia vulgaria inſufficientia 655
De Incantatione depoſitio difficilis 654
Indicatio curatoria 222
Indicatio præſervatoria 222
Indicatio triplex 222
Indicatio virium 251
Indicatio urgens 222
Indicationis doctrinæ axiomata 221
Indicationis vitalis objectum 222
Indicationi vitali ante omnia ſatisfaciendum 250
Indicationes quid 221
Indicans conſervationis 239
Indicans inter atque agendum proportio 242
Indicantium cunctorum non ſemper ratio habenda 224
Indicatum ſemper unum 240
Indicata & materia auxiliorum differunt 240
Inediæ damna 391
Ex Infantis ſceleti habitudine hujus ætas dignoſcenda 534
Ingravidatio ficta difficulter cognoſcitur 675
Ingravidatio non ſemper dignoſcitur 674
Inſpectio accuratior ſectione ſemper opus habet 592
Inſpectio aliquando à putredine impeditur 582
Inſpectio cadaverum frequentior eſt, & valde neceſſaria 586
Inſpectio cadaverum cur neceſſaria 588
Inſpectio non abſolute poſtulat omnia vaſa & integumenta lacerata notari 583

Inſpectio non quovis tempore inſtrumentum adæquatum eſt 586
Inſpectio variis in caſibus neceſſaria 596
Inſpectio vivi ſit verecunda 584
Inſpectione accuratiori aliquando interanea læſa deteguntur, ubi externa violentiæ ſigna deficiunt 590
Inſpectione etiam opus, ubi de veneno ſuſpicio 596
Inſpectione mediante deponitur de homine vivo 581
Inſpiciendum cadaver recens nati, ſi de infanticidio ſuſpicio 596
Inſtrumentum *van Meckren* taxatur 498
Inſtrumenta ad deponendum neceſſaria 575
Inſtrumenta medica, vid. Materia auxiliorum
Inſtrumenta non omnia apta globulis ſclopetorum extrahendis 495
Inſtrumenta nonnulla chirurgica ſuperflua 497
Inſtrumenta renunciationum ſenſus & ratio 576
Inſtrumenta viribus proſpicientia 251
Inſtrumentorum in officinis chirurgicis defectus & ineptitudo 488
Interceptio quibus inſtrumentis fiat 341
Interceptio quibus modis contingat 343
Interceptionis cautelæ 344
Interrogatio Medica vid. Sciſcitatio
Inteſtinis evacuandis cathartica leniora inſerviunt 330
Iræ efficacia 421
Iſchuria Iſchuriæ 229
Itio motus ſalubrior 412
Jucunde quomodo curandum 220
Ad Judicem ſpectat in re dubia judicium mitius amplecti 672
Judicium in Renunciationibus ex ſenſatis formandum 611
Jureconſultorum diſſenſus circa Chirurgi officium in deponendo 554
Juſcula ab aſſumpto cathartico ſumenda 289
Juvanium & lædentium ratio habenda 218

L.

Lanceola ſimplex in paracenteſi abdominis commendatur 498
Lapidum pretioſorum efficacia dubia 457
Lectio Autorum 67
Lectio veterum inſufficiens 8
Leges publicæ minus favent Empiricis 34
Legibus publicis non repugnat pharmaciam à Medicis exerceri 432
Lethale per ſe & abſolute perperam confunduntur 616
Linguæ exoticæ Medico utiles 5
Linteaminum mutatio ægris haud deneganda 383
Lithotomia Medicis haud jure interdicitur 487
Locus per quem evacuandum 275
Loca quibus remedia applicanda 243
Loca quoque à Medico luſtranda 603
Lotium vid. Urina
Lunæ phaſium nulla in medendi efficacia 211

M.

Magnatum ægrotantium conditio 81
De Maleficio depoſitio difficilis 654
Maleficii indicia vulgaria inſufficientia 655
Malignitas febrium purgationem prohibet 273
Malignitas humorum non ſemper venæ ſectionem prohibet 258
Malignitas non ſemper in principio dignoſcitur 172

Malum aliquod majus, aliud minus, quotupliciter dicatur 223
Manibus quoque harumque contrectatione in negotiis forenſibus opus 607
Margaritarum efficacia major probari nequit 457
Maſticatoria quid 325
Materia auxiliorum & Indicata differunt 240
Materia auxiliorum multiplex 240
Materia auxiliorum fontes 241
Materia morbifica in febris principio non cruda 270
Cur Matres natos lactare detrectent 385
Medela non ſemper inchoanda à cauſa primaria 214
Medela non ſemper ſuccedit 190
Medela per contraria 213
Medela quando mutanda 217
Medela tentativa Galeni 137
Medela tentativa Hippocratis 136
Medela morborum fortunæ non concredenda 26
Medelæ impedimenta 191
Medelæ tentativæ cautelæ 137
Medendi methodus ab experientia mutatur 208
Medendi methodi axiomata 221
Medendi methodus quid & quotuplex 221
Medendi ratio non ſtatim mutanda cum remediis 218
Medicamenti vis aliquando etiam reticenda 87
Medicamenti vis prudenter innuenda 86
Medicamenta adhibeantur ſatis potentia 96
Medicamenta chymica non adeo nobis quadrant 472
Medicamenta chymica propter ſuavitatem haud anteponenda 478
Medicamenta compoſita circumſpecte concinnanda 465
Medicamenta etiam vulgaria efficacia 475
Medicamenta Galenica non penitus rejicienda 467
Medicamenta Galenica ſæpe præſtantiora & tutiora 471
Medicamenta haud propinentur nimia 249
Medicamenta interdum componenda 464
Medicamenta ipſa haud propalanda 86
Medicamenta juxta diætam uſurpanda 249
Medicamenta non plura ſimul commendanda 87
Medicamenta non ſemper mutanda 103
Medicamenta plurima experientiæ ope detecta 204
Medicamenta quando mutanda 217
Medicamenta roborantia 251
Medicamenta ſalivantia externa 295
Medicamenta ſalivantia interna 294
Medicamenta ſimplicia efficaciora 463
Medicamenta ſimplicia non omnia correctione indigent 472
Medicamentorum à Medico diſpenſationis utilitas 445
Medicamentorum chymicorum præſtantia 466
Medicamentorum cognitio unde dependeat 455
Medicamentorum compoſitiones majores damnantur 462
Medicamentorum doſis congrua 246
Medicamentorum forma varia 244

Medicamentorum notorũ contemptus 68
Medicamentorum præparatio qua occaſione ad pharmacopæos devoluta 430
Medicamentorum textura intrinſeca quomodo cognoſcenda 453
Medicamentorum vis à phantaſia immutatur 287
Medicamentorum vis per chymiam deſtruitur 476
Medicamentorum vires quomodo inveſtigandæ 455
Medicamentis chymicis multa præparata perverſe annumerantur 469
Medicaſtri vid. Empirici
Medice nonnulli vivunt, ut vivant peſſime 201
Medicina forenſis imperfecte tradita 533
Medicina forenſis unde 532
Medicina non verſatur circa bruta 72
Medicina præſcriptoria periculoſior diſpenſatoria 444
Medicina Reipublicæ quoque & juſtitiæ litat 529
Medicinæ addiſcendæ tempus 7
Medicinæ corruptela ex formularum præſcriptione 442
Medicinæ finis ultimus duplex 532
Medicinæ forenſis excellentia & difficultas 633
Medicinæ forenſis finis duplex 634
Medicinæ forenſis latiſſimus campus 533
Medicinæ incrementum ex medicamentorum præparatione 441
Medicinæ incrementa fortuita 21
Medicinæ potiſſimum momentum medicamenta efficacia 441
Circa Medicinam forenſem Autoris intentio 538
Circa Medicinam forenſem quædam à Medicis neglecta à Jureconſultis recenſentur 535
In Medicina forenſi Jureconſulti parum, Medici plus egerunt 532
Medicus à Deo ſalutem expectet 57
Medicus à ſuaveolentis ſibi temperet 56
Medicus in deponendo ad quæ debeat attendere 611
Medicus ægrorum etiam deſideriis contradicat 77
Medicus ægrotis aliquandiu aſſideat 134
Medicus ægros pietatis admoneat 58
Medicus affabilis, neutiquam garrulus 82
Medicus agat ſecundum rationem & experientiam 201
Medicus aliquando prolixius deponat 551
Medicus appetitui abſonorum indulgeat 76
Medicus bene valeat 53
Medicus Chirurgiam rationalem exerceat 484
Medicus circumſpecte deponat 548
Medicus circumſpectus 97
Medicus cito agat 191
Medicus conſuetudini indulgeat 78
Medicus de futuris depoſiturus ſit cautus 620
Medicus deponit tantum de credulitate 548
Medicus director & judex rerum chirurgicarum 556
Medicus ex medicamentis præparatis lucrum honeſtum capiens avaritiæ non accuſandus 437
Medicus formulas præſcribens de genuina experientia gloriari nequit 451
Medicus fortunatus quis 16

Medicus

Medicus humanus 59
Medicus in agendo ne nimis ſit mutabilis 216
- - nec tamen contumax 217
Medicus in caſibus forenſibus non adeo facile admittat hypotheſes dubias 621
Medicus in deponendo aliquando peritiori cedat 620
Medicus in deponendo etiam ſuſpendere poteſt judicium 548. 619
Medicus in deponendo quid fugere debeat 552
Medicus in deponendo ſit perſpicuus 551
Medicus in diæta præſcribenda ne ſit rigidior 367
Medicus in medicamentis haud excedat 249
Medicus in remediis adminiſtrandis à virium proportione nunquam recedat 220
Medicus in uno remedio ſpem omnem haud collocet 220
Medicus ingenuus 97
Medicus lenis 75
Medicus linguas calleat 5
Medicus majori cura medicamenta præparat 445
Medicus medicamenta habeat tantum ſelectiora 457
Medicus medicamenta præparaturus impenſas haud metuit 437
Medicus modeſtus 74
Medicus nihil intermittat calumniæ metu 219
Medicus nec timidus, nec pertinax 96
Medicus non aſſentator 75. 81
Medicus non jactabundus 82
Medicus non malignus 83
Medicus non nimis rigidus 76
Medicus non ſemper in culpa infelicis ſucceſſus 19
Medicus non ſemper naturam habet cooperantem 27
Medicus nunquam in favorem deponat 632
Medicus paucorum curam ſuſcipiat 103
Medicus pauperibus, non tamen cunctis, medeatur 61
Medicus per medicamentorum præparationem famæ litat 451
Medicus philoſophia ſit imbutus 6
Medicus placere ſtudeat 46
Medicus prudens 52
Medicus quando & cur quieſcere poſſit 194
Medicus quolibet etiam caſu præparare poteſt apta remedia 437
Medicus ſecundum conſcientiam deponat 545
Medicus ſedulus 98
Medicus ſenſuum acie polleat 134
Medicus ſine ratione non deponat 550. 611
Medicus ſingulorum, qui in foro una deponunt, director 540
Medicus taciturnus 92
Medicus vocatus ad medendum ſit promtus 59
Medicus vulnerati ad teſtificandum non facile admittitur 550
Medici aviditas diſcendi 7
Medici clinici officium 190
Medici decorum 45
Medici doctrina 5
Medici doctrinæ fontes 6
Medici eruditio à vulgo haud dependet 26

Medici eſt hortari ægrotum 90
Medici in conſilium vocandi qualitas 122
Medici in foro deponentis conditiones 541
Medici in medendo qualitas 128
Medici introitus qualis 75
Medici malitia 102
Medici mundities 55
Medici officium 2
Medici officium à paucis tractatum 1
Medici officium tria involvit 241
Medici officii varietas 3. 49
Medici materia ſermonis 83. 90. 91
Medici peritia, non minus ac imperitia in conſultationibus 107
Medici pietas 57
Medici pollicitationes moderatæ 58
Medici præſagientis officium 169
Medici prudentia in deſperatorum cura 71
Medici prudentia in revelandis 95
Medici requiſita 2
Medici ſermo incongruus 90
Medici ſuggreſſores difficulter deprehenduntur 168
Medici veſtitus 55
Medico credendum, ſi Medicus & obſtetrices in deponendo diſſentiant 570
Medico & peſte laborantes viſitare licet 100
Medico eruditio haud accreſcit a majori ægrorum confidentia 27
- - - nec à Magnatum gratia 27
Medico fortuita haud adſcribenda 24
Medico medicamenta paranti nulla datur occaſio male agendi 436
Medico medicamenta parare haud oneroſum 436
- - - nec turpe 434
Medico noſſe convenit, an & quæ medicamenta æger jam adhibuerit 246
Medico peregrinatio neceſſaria 15
Medico ſcitu neceſſaria 5
Ad Medicum haud ſpectat in re dubia mitius judicium amplecti 671
Medicum non fortuna, ſed divina providentia dirigit 9
In Medico experientia prævaleat 202
A Medico num æqualis ægrorum cura gerenda 62
A Medico num opera nulli deneganda 60
Medici clandeſtini nocivi 168
Medici clandeſtini noſcendi 167
Medici colludentes cum pharmacopœis 50
Medici conſpirantes cum aliis 50
Medici conſultationes reprobantes 109
Medici favorem mulierum quærentes 51
Medici fraudulenti, alios contemnentes 49
Medici medicamenta parantes medicinam quotidie augent 441
Medici medicamenta præparantes in pharmacopœos haud injurii 431
Medici medicamentorum præparationibus peritiores evadunt 449
Medici morbum levem fingentes graviorem 52
Medici obtrudentes ſe ægris 51
Medici ſecreta ſecum mori nolint 125
Medici uroſcopiam profitentes 52
Medici vulgi judicio exponuntur 45
Medicorum contemptus ratio 2
Medicorum genuinorum factæ reticentur 30
Medicorum pharmacia confirmatur 439

Medicorum principes chirurgiam excoluerunt 480. 485
Medicorum ſciſcitationes 128
Medicorum valetudinariorum abſurda electio 54
Medicis conſultationes hodie moleſtæ 113
Num Medicis pharmaciæ exercitium interdicendum 427
Medicos dedeceat Veterinariæ exercitium 74
Melancholia ficta 684
Menſium fluxus vix venæ ſectionem prohibet 257
Menſtruorum non eadem omnibus quantitas 416
Mercurius dulcis commode ſalivationem movet 294
Mercurius præcipitatus raro in ſalivatione confert 295
Mercurius ſublimatus corroſivus in ſalivatione vix tutus 295
Mercurius vivus vix ſalivationem movet 294
Mercurii dulcis uſus catharticus 282
In Mercurii inunctione quomodo procedendum 298
In Mercurii propinatione quænam obſervanda 297
Mercurii vivi vis ſtupefactoria 365
Mercurii vivi uſus pro alvo reſeranda incongruus 499
Metaſtaſes criticæ ad habitum non ſemper venæ ſectionem prohibent 258
Cur Meticuloſi non omnes peſte corripiantur 424
Metrenchytæ uterum haud ſubeunt 336
Metus in morbis contagioſis periculoſus 424
Metus in omnibus haud ſimiliter operatur 419
Metus raro prodeſt 424
Miniſtri Medicorum quomodo gubernandi 80
Morbus aliquando adſtantibus tantum prudentioribus indigitandus 134
Morbus diſſimulatus 32
Morbus ægro non ſemper indicandus 134
Morbus nec vilipendendus, nec cura ejus differenda 89
Morbus primarius aliquando ægro notus 142
Morbi cauſa exploranda poſt diætam 367
Morbi dignotio ex cauſis 143
Morbi duratio ejusdem ſimul ſignum 144
Morbi eventus malus notis tribuitur medicamentis 87
De Morbi eventu judicandum 169
Morbi formalitas, cauſa & eventus unde pateant 148
Morbi indoles prudentioribus explicanda 85
Morbi occultatio periculoſa 131
Morbi tempora & gradus 148
Morbo imminenti tempeſtive ſuccurredum 170
Præter Morbum & cauſam plura inveſtiganda 129
Morbum ſæpe neſcit æger 141
Morbo primario ignoto an medela adhibenda 135
Morbi aliquando juſto contumaciores 227
Morbi deplorati ex ægrorum moroſitate 66
Morbi diſſimulati non omnes æque facile dignoſcuntur 166
Morbi ficti non omnes æque promte cognoſcuntur 166

Morbi ficti quomodo à veris dignoſcendi 166
Morbi incurabiles 64
Morbi pariter ſimulati atque diſſimulati dignoſcendi 165
Morbi quoque combinati dignoſcendi 164
Morbi ſecreti non revelandi 92
Morbi ſecreti quales revelandi 92
Morbi viſcerum aliquando occulti 14
Morborum deploratorum alii curandi, alii non 65
Morborum deſperatorum differentia 64. 66
Morborum deſperatorum medela 67
Morborum medela fortunæ haud committenda 26
Ad Morborum medelam pharmacia quoque & chirurgia requiruntur 426
Morborum nonnullorum perperam interdicitur curatio 85
Morborum ſanatio aliquando fortuita 22
Morbis an deſperatis medendum 63
Morbos omnes ſanare impoſſibile 72
In Morbis ſimulatis quænam cautelæ obſervandæ 685
Mors certa prædicenda 485
Mors non niſi ex certis ſignis præſagienda 183
Mors num à veneno, an à malignitate intrinſeca, difficulter determinatur 643
Mortis certæ prædictio à nonnullis male diſſuadetur 186
Motus arthriticis minus confert 408
Motus calculoſis non ſemper conducit 409
Motus in laſſitudine aliquando confert 410
Motus moderaminis neceſſitas 405
Motus voluntarii emolumentum 407
Motum diſſuadentia 409
Sine Motu nullæ functiones vitales 406
Motus univerſales, vel particulares 411
Motuum ſpecies & gradus 411
Mucilaginoſa incongrue adduntur clyſteribus ſtimulantibus 335
Mulo-medicina 73
- - Medicos non decet 74

N.

Narcoticorum modus agendi dubius 353
Natura interdum Medico repugnat 27
Naturæ motus purgationem prohibet 273
Nicotianæ abuſus 198
Nicotianæ fumi commoda & incommoda 199
Nicotianæ pulveris nocumenta 200
Nimium omne pernicioſum 201
Noſodochia frequentanda 12
Noxia ægris haud permittenda 77
Nugatores 83
Nutrix lactans non ſit vetuſta 387
Nutrici animo commotæ non ſufficit aliqualis lactis emulſio 387
In Nutricum delectu quænam obſervanda 386

O.

Obſervata ſingula in Renunciationibus annotanda & conſignanda 599
Obſtetricis ineptæ exemplum 564
Obſtetrices de impotentia coitum admittendi fideliter teſtari nequeunt 567
Obſtetrices de puerperio inepte teſtantur 568

Obſtetrices etiam ad deponendum poſtulantur 560
Obſtetrices in ſexu dubio diſcernendo aliquando hallucinantur 569
Obſtetrices noſtrates ignaræ 563
Obſtetrices noſtrates vix ad teſtificandum idoneæ 561
Obſtetrices nunquam ſine Medico deponant 569
Obſtetrices quales ad deponendum eligendæ 571
De Obſtetricum doctrina cogitandum Magiſtratui 574
Obſtetricum examen 571
Obſtetricum garrulitas 84
Obſtetricum de imprægnatione judicium fallax 567
Obſtetricum de virginitate depoſitio inepta 565
Obſtetricum officium 561
Obſtetrices utero quondam geſtaſſe non adeo neceſſarium 572
Obſtetricibus in teſtificando alias fœminas combinari haud neceſſarium 574
—— quamvis penes parturientes 575
Occaſio præceps 192
Officium Medici 2
Officium Medici à paucis tractatum 1
Officium Medici clinici 190
Officium Medici præſagientis 169
Officium Medici tria involvit 241
Officii Medici diverſitas 3. 49
Oleum terebinthinæ hæmorrhagias ſiſtit 209
Olfactu pariter & naribus in negotiis forenſibus opus 608
Operationes chirurgicæ plures ineptæ ac vanæ 502. 528
Operationes nonnullæ chirurgicæ minus fidæ 514
Opiata quibus minus conveniant 363
Opium inter & vinum analogia 641
Opium partibus inflammatis ſphacelum haud inducit 363
Opium partibus ſenſibilioribus nocet 364
Opii damna 362
Opii doſis & uſus major 362
Opii extrinſecus admoti vis exilis 363
Opii quantitas nimia non omnibus nocet 640
Opii uſus in doloribus haud formidandus 361
Opium non omnes ferunt 164
Ordinis ratio in medendo 243
Organorum urinariorum habitudo præternaturalis diureſin prohibet 302

P.

Panis repletio haud pejor ac aliorum ciborum 389
Paracenteſis thoracis cum ſucceſſu facta 68
Paracenteſeos ſucceſſus diverſus 345
Paracenteſeos ſucceſſus dubius 519
Paracenteſi abdominis ſimplex lanceola ſufficere poterit 498
In Paracenteſi fibrarum tractus vix attendendus 519
Paræſis ficta 685
Paregorica quænam 360
Partus nefarius haud celandus 94
Partus non omnis pro ſeptimeſtri venditatus talis eſt 617
Partus octrimeſtris non minus vitalis, quam ſeptimeſtris 629

Partus

Partus olim factus non ſemper dignoſcitur 673
Partus ſimulatus difficulter cognoſcitur 675
Partus naturalis tempus fœtui humano non minus certum ac reliquis animantibus 616
De Partu ſeptimeſtri dijudicando inſpectione opus 619
De Partu ſeptimeſtri & octomeſtri diſſenſus 627
Paſcuorum venenatio 534
Pathemata animi vid. Affectus animi
Pedum gryphicorum uſus incongruus 499
Pellionum fermentum an venenoſum 523
Peregrinatio Medico neceſſaria 15
Peregrinationes Medicorum vindicantur 16
Perinæi punctura 737
Peritia Medici fontes 6
Peritia pharmacevtica unde dependeat 443
Perſonæ deponentes in foro 540
Peſte laborantes à quonam Medico viſitandi 100
Phantaſia vim medicamentorum immutat 287
Pharmacevticum ſtudium Medici proprium 443
Pharmacia Medicinæ pars 439
Pharmacia Medicorum confirmatur 439
Pharmaciæ exercitium an Medicis interdicendum 427
Pharmaciæ neceſſitas 426
Pharmacopœi arcana jactitant 440
Pharmacopæi artis medicæ imperiti & ignari 41
Pharmacopœi contra Medicos male allegant poſſeſſionem 434
Pharmacopœi medicinam facientes empirici 39
Pharmacopœi Medicorum miniſtri 41
Pharmacopœorum ars mechanica 40
Philoſophia Mrdico utilis 6
Phyſicæ incrementum à Chymia 450
Pilularum doſis dividenda 288
Pinguia incongrue adduntur inteſtinis ſtimulantibus 335
Planetarum aſpectus nulla in medendo vis 211
Plebis judicium de Medico abſonum 27
Plebis opinio nullam conciliat eruditionem 26
Poma Sinenſia in morbillis minus ſalutaria 152
Potationes ſeræ noxiæ 401
Potionatio vid. Veneni propinatio
Potulentorum genera 397
Potus extra paſtum minus conducit 400
Potus extra paſtum qualis proſit 401
Potus generoſus in ſalivatione nocet 298
Potus tenuior quibus conferat 397
Potus gelidi copioſioris in Tertiana effectus 152
Potus neceſſitas 396
Præcipitantia vitanda 95
Prædicere pejora num ſemper conveniat 184
Prædictio vid. Prognoſis
Præſervatoria vid. Prophylactica
Prandendum an largius 396
Proceſſuũ peritonæi vera conformatio 523
Profeſſores Medicinæ quales 7
Prognoſis a juvantibus & nocentibus 70
Prognoſis ægri confidentiam & obſequium auget 170
Prognoſis ex aſtris nulla 183

Prognoſis ex pulſu fallax 176
Prognoſis ex urina fallit 175
Prognoſis genuina ab ipſo morbo hujusque circumſtantiis petenda 183
Prognoſis interdum minus grata 170
Prognoſis Medico autoritatem conciliat 169
Prognoſis pars Medicinæ practicæ 129
Prognoſis prudenter inſtituenda 179
Prognoſis res difficilis 170
Prognoſin abſceſſus viſcerum fallit 173
Prognoſin aliquando fallit ſuperveniens ſymptoma 171
Prognoſin cauſa interdum latens fallit 172
Prognoſin turbat cœli conſtitutio epidemica 173
Prophylacticorum abuſus 195
Providentia Medicorum divina 19
Prudentia in præſagiendo 180
Prudentia in revelandis 95
Prudentia Medico fiduciam comparat 49
Prudentia Medicorum fraudulenta damnatur 49
Prudentiæ Medici momenta 53
Ptarmica 321
Ptarmica in affectibus ſoporoſis valent 323
Ptarmica in fœtu & ſecundinis pellendi conferunt 323
Ptarmica num è cerebro evacuent 322
Ptarmica quibusnam affectibus medeantur 323
Ptarmica quomodo in catharro ad pectus agant 323
Ptarmicorum adminiſtrandorum cautelæ 324
Ptarmica adminiſtrandi tempus & locus 325
Puerorum medela difficilis 131
Pulmones aquæ innatantes non ſemper de fœtu vivo teſtantur 662
Nec Pulmones ſubmergentes fœtum ſemper mortuum innuunt 665
Pulmones fœtus, cujus vitalitas dubia, integri aquæ committendi 668
Pulmonum fœtus in aqua examini minus fidendum, niſi alia combinentur phænomena 670
Pulſus aliquando intermittens, quamvis cor pulſet 178
Pulſus frequentior aliquando à ſola cordis irritatione 178
Pulſus natura debilis & intermittens 179
Pulſus naturalis pro inividuis variat 176
Pulſus explorandi conditiones 181
Pulſus habitudo cum aliis circumſtantiis conferenda 182
Pulſus mutatio à ſupervenientibus vel combinatis morbo 178
Pulſui non ſemper fides habenda 178
Cum Pulſu optimo nonnulli pereunt 179
Purgantia vid. Cathartica

Q.

Quæſtionis individualis cum generali confuſæ exempla 613
Quæſtiones medico-forenſes frivolæ 537
Quæſtionum medico-forenſium diverſitas 536
Quantitas humorum evacuandorum 278
Quantitas remedii quid involvat 242
Quid agendum 241
Quietis neceſſitas 410
Quomodo agendum 241

R.

Ratio aliquando fallit 203
An Ratio in deponendo ſemper ſenſuali experientiæ debeat inniti 577
Ratio per experimenta firmatur 209
Rationis meræ eſt decidere quæſtiones generaliores 581
Rationes ab analogia incertæ 209
Rationes virium medicamentoſarum ab analyſi chymica petitæ inſufficientes 208
Reconvaleſcens quamdiu viſitandus 104
Regio morborum ſignum 143
Remedia vid. Medicamenta
Remedia generoſa deſperatis interdum ſalutaria 68
Remedia generoſiora 67
Remedia in morbo ignoto haud plane deneganda 136
Remedia opportune adhibenda 97
Remediorum indoles prudentioribus explicanda 85
Remediorum ſpiritus roborantium vel corrigentium defectus 356
Remediorum uſum nonnulla ſupervenientia moderantur 273
Renunciatio feſtinata quantum noceat 549
Renunciationum inſtrumenta 576
Repellentia cur in principio conveniant 320
Repulſionis inſtrumenta 343
Reſolventia vid. Diſcutientia
Retentorum moderamen 415
Retinendis non omnis cruor accenſendus 416
Revulſio & Derivatio an differant 340
Revulſio in fluxus quoque incremento & ſtatu confert 343
Revulſio quibus inſtrumentis fiat 341
Revulſionem prohibentia 342

S.

Sagæ falluntur 657
Sagarum ſtigmata dubia 625
Salinarum qualitatum correctio 339
Salivandi modus per ſoleas aut pediluvia 297
Salivantia interdum per alias vias evacuant 299
Salivatio evacuatio univerſalis 291
Salivatio moleſta eſt evacuatio 293
Salivatio quamdiu continuanda 298
Salivatio quibus morbis conducat 292
Salivationis adminiſtrandæ ratio 298
Salivationis indicans 293
Salivationem prohibentia 293
Sanctorius refellitur 234
Sanguis ad animi deliquium haud mittendus 260
Sanguis copioſior evacuandus, ubi revellendum 261
Sanguis num bonus, an pravus e vena ſecta prodeat, nequit dijudicari 157
Sanguinis à ſecta vena inſpectio fallax 155
Sanguinis coagulati color fallit 159
Sanguinis color decipit 156
Sanguinis color interdum lacteus 160
Sanguinis cruſta fallit 158
Sanguinis educti coagulationis tempus fallit 158
Sanguinis evacuatio quo caſu interpellanda 261
Sanguinis habitudo extraordinaria non ſemper pernitioſa 160
Sanguinis miſſio dolores demulcet 361

Sangui-

Sanguinis miſſionis contraindicantia examinantur 256
Sanguinis miſſionis indicantia 256
Poſt Sanguinis miſſionem ſomnus mox concedendus 263
Poſt Sanguinis miſſionem victus pariter mox concedendus 261
In Sanguinis miſſione ratio vaſorum vix habenda 260
In Sanguinis miſſione vix temporis ratio habenda 259
Sanguinis mittendi quantitas 260
Sanguinis promanantis impetus fallit 156
Sanguinis ſpuma nihil certi innuit 160
De Sanguine miſſo prudenter judicium ferendum 161
Sanitas inopina 69
Sanitas non certo pollicenda 184
Sanitas non concredenda empiricis 35
Sanitatem maturat confidentia 46.47.48
Scarificatio crurum in aſcitico ſalutaris 345
Sciſcitanda ægri diæta 149
Sciſcitanda vel generalia vel ſpecialia 141
Sciſcitanda multa 130
Sciſcitandorum numerus 140
Sciſcitandum prius ab adſtantibus 133
Sciſcitandum prudenter 141
Sciſcitatio alvi & aliarum excretionum 153
Sciſcitatio cauſarum latentium 163
Sciſcitatio cauſarum morbificarum 145
Sciſcitatio cauſarum ſpecialior 146
Sciſcitatio conſuetudinis ægrorum 161
Sciſcitatio corporis habitudinis 145
Sciſcitatio fraudulentiæ ægrorum 167
Sciſcitatio Medicorum clandeſtinorum 167
Sciſcitatio prudens ac pudica 130
Sciſcitationis fructus 130
Sciſcitationis obſtaculum 131
Sciſcitationes Medicorum 128
Scurrilia, licet feſtiva, Medicus non loquatur 91
Secreta num conſultandum inter revelanda 125
Sectio cadaveris inſpiciendi non facile chirurgo debet committi 593
Sectiones cadaverum inſpiciendorum fiant in loco opportuno 595
Secundinis pellendis ptarmica inſerviunt 323
Senſatio ſemper præcedit judicium medicum 578
Senſoriis aliis præter oculum in negotiis forenſibus opus 607
Senſuum acies in Medico 134
Seri grumum ſanguinis circumnatantis penuria fallit 159
Setacea quibus affectibus medeantur 311
Setacea unde & quid evacuent 311
Setacea univerſaliter quoque evacuant 310
Setaceorum contraindicans 312
Ante Setaceorum uſum corpus præparandum 313
Severitas nimia nocet 79
Signa coctionis ex urina fallunt 175
Signorum defectus 171
Simplicia non venenoſa per compoſitionem vel præparationem talia evadunt 638
Situs corporis in admittendo clyſtere 334
Sodomitici coitus cum cane indicium 534
Solſtitiorum in medendo nulla vis 211
Somnus ægro conciliandus 249
Somnus meridianus cruditates vix gignit 405
Somnus moderandus 402
Somnus mox a paſtu haud nocet 404

Somnus mox poſt ſanguinis miſſionem concedendus 262
Somni tempus non idem omnibus 403
Num Somno indulgendum à cathartico aſſumpto 289
Spaſmi medela ſuſcipitur ante vulnus 230
Speculi oris fabrica minus apta 493
Speculi uterini uſus incongruus 493
Spiritus quomodo excitentur 355
Spiritus quomodo peccent motu 347
Spiritus ſubtiles non exhalabiles 349
Spiritus tumultuantes à narcoticis ſopiuntur 361
Spirituum conſervatio difficilis 347
Spirituum defectus cauſæ 346
Spirituum exiſtentia & ſubſtantia corporea 348
Spirituum fluidum haud liquoroſum 349
Spirituum natura dubia 350
Spirituum remedia dubia 350
Ex Spirituum remediis pathologia eorum erui nequit 353
Spiritus vini hæmorrhagias compeſcit 206
Spiritus vini hydropicis perquam noxius 152
Spiritus vini in vulneribus nervorum confert 205
Statio quoque ſub quietis ſpecie delaſſat 411
Sternutatoria vid. Ptarmica
Stylus in cadavera non immittendus 592
Suaveolenta non omnibus grata 56
Subjecto haud omni omne convenit remedium 244
Subjectorum diſparitas in ferendis purgantibus 281
Sudorifera vid. Diaphoretica
Suffimigatio mercurialis periculoſa 296
Suffitus uterini 336
Suppoſitoria ex alumine 336
Suppoſitoria quomodo agant 335
Suppoſitoriorum frequentiorum effectus 336
Suppoſitoriorum longitudo 336
Suppoſitoriorum prohibentia 335
Surditas ſemper demonſtrari nequit 661
Symptoma aliquando ſuimet cauſa 229
Symptoma haud omne à morbo 226
Symptoma interdum mitigatur perſiſtente adhuc morbo 234
Symptoma num indicet 225
Symptoma ſymptomatis aliquando cauſa 230
Symptomatis cauſa proxima non ſemper morbus evidens 235
Symptomata cuncta in medela attendenda 239
Symptomata interdum morbos novos faciunt 230
Symptomata interdum ſui medelam urgent 226
Symptomata interdum ſaltem lenienda 65
Symptomata non ſemper à morbo primario 231
Symptomata non ſemper ceſſant, ceſſante morbo 227. 232
Symptomata, quæ morbi curationem turbant, ejus productum haud ſunt 232
Symptomata quædam morbi primarii medelam turbant 228
Symptomata vehementia haud ſola indicant 236
Symptomata vere indicant 236
Symptomata urgentia qualia 237
Symptomatum indicatio aliquando curatoria 238

Sympto-

Symptomatum indicatio virium conſervatoria 238
Symptomata per ſe indicant 249
De Symptomatibus tantum æger interrogatur 142

T.

Temeritas empiricorum 36
Temeritas nonnullorum in ſalute promittenda 183
Temeritas vitanda 95
Tempus Medicinæ addiſcendæ 7
Tempus purgandi 274
Temulentia mœrentibus minus conducit 425
Terebinthinæ ſpiritus hæmorrhagias ſiſtit 206
Terebinthinæ ſpiritus in nervorum vulneribus confert 205
Terebra trochlearis calculo diffringendo non undique quadrat 496
Terroris vis 421
Terrore morbos ſanare periculoſum 422
Thée abuſus 198. 200
Theriacam & theriacalia non omnes ferunt 164
Thoracem evacuantia vid. Bechica
Timiditas nocet 67
Tincturam antiphthiſicam ventriculus debilior minus fert 249
Tracheæ vulnera ſanata 23
Trepana vulgaria inepta 489
Trepanandum ſtatim 509
Trepanationis tempus 508
Trepanationis tempore fruſtra obturantur aures 513
Tuſſis excretionem materiæ peccantis aliquando moratur 229
Tuſſis hæmoptoës cauſa 230
Tuſſi convulſivæ terrorem opponere periculoſum 423

V.

In Variolis venæ ſectio rariſſime prodeſt 207
Varioloſis nimius calor externus nocet 383
Vaſorum vulnera tardius lethalia 24
Vectio motus ſalubris 412
Venæ ſectio in febribus ſuſpecta 207
Venæ ſectio revulſoria qualis eſſe debeat 342
Venæ ſectio veſicatoriis præmittenda 318
Venæ ſectionis contraindicantia examinantur 256
Venæ ſectionis indicantia 256
Venæ ſectionis præſervatoriæ damna 197
Venæ vulnuſculum pro ſanguine mittendo præfertur latius 261
In Venenationis cauſa Medicorum cenſura nonnunquam difficilis 637 647
Venenum aſſumptum non ſemper ex ſignis externis cognoſcitur 651
Venenum lentum difficulter cognoſcitur 653
Veneni dignotio difficilis in conſtitutione peſtilentiali 652
Veneni dignotio difficilis in valetudinariis 651
Veneni extrinſeci & intrinſeci ſigna vulgaria 644
- - - - utrique tamen communia 645
- - - - & incerta 646
Veneni propinati exemplum 653
Venenum non ſemper per cadaveris ſectionem reperire licet 647

De veneno propinato non ſemper ſymptomata teſtantur 650
Venena intus genita & rejecta pariter aliis nocent 649
Venena non omnia animalia enecant 649
- nec omnes homines 649
Venena non omnibus talia 638
Venena nonnullis talia, pleriſque ſecus 642
Venenorum & horum effectuum luſtratio 600
Ad Venena luſtranda præter inſpectionem aliis adminiculis opus 601
Ventriculo evacuando inſerviunt vomitoria 329
Veſica excitata quando occludenda 318
Veſicæ vulnera ſanata 24
Veſicam evacuantia 337
Veſicatorium in morbis acutis fonticulo præfertur 376
Veſicatoria dolores demulcent 361
Veſicatoria ex cantharidibus 318
Veſicatoria in maſſam quoque ſanguineam agunt 316
Veſicatoria in quibus affectibus proſint 316
Veſicatoria non in omnibus ſubjectis proſunt 317
Veſicatoria quomodo agant 315
Veſicatoria univerſaliter quoq; evacuant 310
Veſicatoriorum evacuatio diverſa 318
Ante Veſicatoriorum uſum corpus præparandum 318
Veſperi etiam purgantia aſſumenda 278
Veterinaria vid. Mulo-medicina
Veterum lectio inſufficiens 8
Viarum primarum contenta præternaturalia crudis haud annumeranda 270
Victus mox poſt ſanguinis miſſionem concedendus 261
Victus parcior poſt aſſumptum purgans convenit 289
Victus plenior quid 252
Victus parcioris damna 391
Victus plenioris coindicantia 252
Victus plenioris indicans 251
Victum laudabilem qui melius ferant 372
Ad Victum pleniorem ægri haud urgendi 391
Vigiliæ moderandæ 402
Vinum adſuetis haud denegandum 398
Vinum aqua temperandi ſingularis modus 400
Vinum etiam arthriticis aliquando concedendum 372
Vinum generoſum aqua diluendum 399
Vinum inadſuetis non ſuadendum 398
Vinum inter & opium analogia 641
Vinum phantaſiam corruptam corrigit 399
Vini virtutes 398
Vires duplici ratione conſervari dicuntur 222
Vires non ſemper conſervantur per ſimilia 241
Vires ſuppreſſæ catharſin prohibent 268
Vires quid 221. 251
Vires raro ſanguinis miſſionem prohibent 256
Vires ſemper conſervatorie indicant 239
Virium ſigna haud perpetua 257
In Viribus debilioribus victus plenior non ſemper conducit 252
Virginitatis ſigna fallacia 625
Super Virginitate difficulter deponitur 635
Viſciditatis præternaturalis correctio 339
Viſitantium confluxus ægro præjudicat 384
Viſitationis frequentioris uſus 103

Viſus

Viſus magnus in deponendo uſus 582
Viſui reliqui ſenſus in medico-forenſibus inveſtigationibus combinandi 604
Vita non concredenda empiricis 35
Vita non niſi ex certis ſignis præſagienda 183
Vitæ genus morborum ſignum 144
Vitæ in deſperatis prorogatio 69
Vitæ periculum etiam cordatis & poſtulantibus ægrotis explicandum 187
Vitæ periculum non ægro, ſed adſtantibus exponendum 187
Vitæ periculum prudenter innuendum 186
Vitellus ovorum quid in enemate præſtet 333
Ungularum porcinarum ſegmenta pro digitis humanis venditata 606
Volatilia quomodo ſpiritus excitent 355
Vomitoria vid. Emetica
Qualis Urina inſpicienda 181
Urinæ mutatio ab aſſumptis 154
De Urina ab ignotis allata non judicandum 181
Ex Urina ſola non præſagiendum 181
Urinarum differentia ratione ſubjectorũ 175
Urinarum inſpectio fallax 174
Urinarum phænomena diverſis morbis communia 175
Uromantia fallax 174
Uromantia quantum valeat 180
Uromantiæ cautelæ 181
Vulgi de Medico judicium abſurdum 27
Vulnerantis indicium ex enſis cum vulnere collatione 535
Vulnerationis etiam circumſtantiæ indagandæ 594
Vulnus quid per ſe lethale 615
Vulneris inſpectio hincque judicium difficile 588
In Vulneris inſpectione caute agendum 589
De Vulneris tractu & impetu 535
Vulnerum conditiones male ſpecillis explorantur 518
Vulnerum ſanatio fortuita 23
Vulnerum ſclopetorum tractus paradoxi 594

Z.

Zodiaci ſigna nulli membro dicata 212

EMENDANDA.

P. 16. in margine l. vindicantur pro vindicuntur.
P. 74. lin. 5. leg. dehortatus ſit pro dehortarit.
P. 130. in margin. leg. ſciſcitari pro ſciſcitare.
P. 158. lin. 31. coloris pro caloris.
P. 240. lin. 11. deleatur haud.
P. 297. lin. 25. compareant pro compareat.
P. 313. lin. 3. phlogoſes pro phlogoſas.
P. 333. in margin. leg. vitellus pro vitellum.
P. 474. in margin. incertæ pro incetæ.
P. 479. lin. 8. conſtet pro conſtare.
P. 481. lin. 19. omnes pro omnem.
P. 483. lin. 16. ejus pro ſuæ.
P. 487. lin. 24. imitandam pro imitandum.
lin. 25. ſuſpectam pro ſuſpectum.
P. 491. lin. 33. utramque pro utrumque.
P. 492. lin. 18. ſatagebat pro ſatagabat.
P. 493. l. 21. dilatat pro dilatant & impedit pro impediunt.
P. 494. lin. 5. obſtetricum pro obſtetricibus.
P. 519. lin. 20. quam pro quem.
P. 540. lin. 9. qua pro quæ.
P. 563. lin. 23. tentando pro tendando.
P. 581. lin. 7. innuebatur pro innuabatur.
P. 620. lin. 9. ratiocinari pro rationari.
P. 624. lin. 5. cicatricula pro cicatriculo.

F I N I S.